38. G. 6.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

8
12 E
37

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERVM ALIQVOT SCRIPTORVM,

Qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum latuerant,

SPICILEGIVM.

Tomus tertius continet

1. Tractatum NICETII Episcopi *De Vigiliis Seruorum Dei.*
2. EIVSDEM *Tractatum de Bono Psalmodiæ.*
3. S. THEODORI STVDITÆ *Sermonem de S. Bartholomæo Apost.*
4. S. ANSELMI *Tractatum asceticum.*
5. PETRI CELLENSIS *Tractatum de Disciplina Claustrali.*
6. MISCELLANEA *Epistolarum.*
7. CHRONICON Fontinellense, *siue* S. Vandregesili. O. B.
8. APPENDICEM I. eiusdem.
9. APPENDICEM alteram.
10. CHRONICON Senonienſe. O. B. *Auctore Richerio Benedictino.*
11. HITORIAM Vizeliacensis Monast. O. B. *Auctore Hugone Pictauino.*

Prodeunt nunc primùm in lucem.

Opera & studio DOMNI LVCÆ DACHERII *è Congregatione S. Mauri Monachi Benedictini.*



PARISIIS,

Apud DIONYSIVM BECHET, & LVDOVICVM BILLAINE Bibliopolas, sub insignia Circini aurei, & S. Augustini.

M. DC. LIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

8.12 E.34

Digitized by Google

LECTORI.

TERTIVM Spicilegij Tomum editurus, paucis præfabor; ne forsan è spicilego ipse sator viderividear. Hæc igitur necessariò prænonenda, Lector, accipe.

NICETII EPISCOPI binos Tractatus, vnum DE VIGILIIS SERVORVM DEI, alterum DE PSALMODIÆ BONO, subministrauit Sangermanensis codex MS. Cuius autem ciuitatis insulas gesserit ipse Nicetius eo in codice non reperi quidem, verùm vt Treuirensi adscribam, suadent aliquousque Epistolæ eius duæ in Concilijs Galliæ ad annos 563. & 565. ab Sirmondo collocatæ; quippe cuius parem doctrinam atque animum redolent, stylúmque genuinum (nam de Nicetio Lugdunensi, qui hac ipsa vixit tempestate, extat nihil quod ipsum eiuscemodi Opusculorum auctorem exhibeat, innuátve.) Ad id etiam me adducunt Gregorij Turonensis elogia, queis sanctitatem Nicetij, eruditionem ac facundiam extollit, asserítque monasticis institutis à puero imbutum, atque Abbatis munere functum: proinde, opinor, tum hosce Tractatus, quò Fratres suos, quos Dei Seruos appellat, de Vigilijs, & psallendi modo

Nicetij Tractatus de Vigilijs Seruorum Dei, & de bono Psalmodiæ.

inſtitueret, protuliſſe. Sic autem eloquitur Gregorius Vit. Pat. cap. 17. *A ſtudioſiſſimis enutritus parentibus, literis inſtitutus, Abbati cuidam in Monaſterio commendatur: in quo loco ita ſe deuotum exhibuit, vt migrante Abbate ipſe ſuccederet. Iam verò aſſumpto Abbatis officio tantum ſe talémque ad inſtructionem Fratrum exhibuit &c. Multa & alia exhortabatur Fratres, vt eos dignos Domino exhiberet ac mundos.* Deinde lib. 10. hiſt. Franc. cap. 29. *Erat tunc temporis* (ſc. Theodeberto Rege) *apud Vrbem Treuericam vir eximiæ ſanctitatis Nicetius Epiſcopus non ſolùm in prædicatione admirabilis facundiæ, verùm etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe.* Ac tandem de Glor. Confeſſ. c. 94. *Nicetius Epiſcopus eleemoſynæ, charitatis, ſanctitatiſque totius refulſit merito.* De Nicetio Treuirenſi agit quoque Fortunatus lib. 3. carm. 9. & 10. Sed Florianum præ cæteris, Nicetium his verbis alloquentem epiſtolâ apud Ducheſnium to. 1. Hiſt. Franc. audiamus. *Benedicitur vna Trinitas Deus noſter, qui vos Pontificalibus meritis Pontificali locauit in vertice, vt non beatitatem dignitas, ſed beatitudo præcederet dignitatem. Nec immeritò cùm ab ineunte pueritia Dominicis militaueris in caſtris &c. Sic enim eſtis Deo præſule in ſtatutis Cœnobialibus eruditi, vt per mare ſeculi ſine ſecularibus fluctibus inoffenſo veſtigio tranſiretis &c.* Nicetium vocat Abbatem Lemouicenſem Auctor hiſtoriæ Treuerorum MS. *Tunc*, ait, *eligentes Sanctum Nicetium Epiſcopum ſtatuerunt, Abbatem vrbis Lemouicinæ, &c.*

II. Sermo S. Theodori Studitæ de S. Bartholomæo Apoſtolo.

SERMONEM S. THEODORI STVDITÆ de Bartholomæo Apoſtolo Latinum è Græco ab Anaſtaſio Bibliothecario Aïoni Beneuentano Epiſcopo dicatum, erui ex membranaceo quaternione Abbatiæ S.

Digitized by Google

Theodorici prope Remos, præ ſe ferente, vt quidem conijcio, annos ſeptingentos. Habes eo in Sermone potiſſimùm Reliquarum illius Apoſtoli Tranſlationem, priùs in Lypparam inſulam, è Lyppara porrò Beneuentum.

III. S. Anſelmi Tractatus aſceticus.

B. ANSELMO Cantuarienſi Archiepiſcopo Tractatum aſceticum attribui potiùs coniecturâ quàm certa fide; nimirum in codicem MS. Cœnobij S. Ebrulfi varia eiuſdem S. Doctoris Opuſcula complectentem cùm incidiſſem, inſertus his ipſis Tractatus ille aſceticus occurrit. Quòd verò Opuſculum iſtud Anſelmi eſſe dubius ego aſſeram, cogit Edinerus in eius vita, cogit item Beccenſis Chronologus, qui accuratè ac minutatim Anſelmi ſcripta recenſentes, Tractatus huius aſcetici meminere haudquaquam. Deinde Anſelmi ſtylum non ſpirat, nec genium. Sit verò Anſelmi, necne, parum refert, quandoquidem eruditione ac pietate ſit conditus, atque ad aſceticæ vitæ inſtitutionem aptiſſimus. Nec tamen diſſimulandum eſſe puto, Tractatum illum maxima parte è Collationibus Patrũ apud Caſſianum fuiſſe ab ipſomet Anſelmo, ſeu alio quolibet Scriptore mutuatum, collectúmve: quanquam non inficior in Anſelmo me nonnulla legiſſe quæ in hoc Tractatu reperiuntur, præcipuè cap. 2. molarum ſimilitudinem eidem Patri familiariſſimam.

IV. Tractatus Petri Cellenſis de Diſciplina Clauſtrali.

Tractatum de Diſciplina Clauſtrali Auctore Petro Cellenſi, tunc S. Remigij Remenſis Abbate, ac poſtmodum Carnotenſi Præſule, mihi olim, anno videlicet 1642. edendum vltrò conceſſerat (manu ſua priùs deſcriptum ex MS. Abbatiæ Clarauallenſis) Nicolaus Camuzatius, cùm in viuis eſſet, Canonicus Eccleſiæ

Digitized by Google

Trecenſis. Elegantiſſimum ſanè Opus atque eruditione refertum; non ijs tantummodò qui procul à ſeculi corruptela vitam agunt, ſed omni viro Eccleſiaſtico, immo & cuilibet Chriſtiano perutile atque ad veram pietatem plurimùm conducens, quiſquis reuoluerit haud dubiè iudicabit. Meminit huiuſce Tractatus ipſemet Abbas R. Canonico ſcribens lib. 8. epiſt. 3. *De vaſe ſiquidem bono & optimo eructauit ſtylus tuus verba bona, quæ me &c. prouocant, & de Clauſtrali Diſciplina non ſolùm cogitare, ſed & ſcribere exorant.* (Is eſt forſitan Ricardus cui ſuum de Diſciplina Opus inſcribit, aítque initio Præfationis alterius: *Amicus diſciplinæ, Ricarde cariſſime, tanquam expertus ſim illam, non ſemel inquietas ſenem elementarium, vt inde aliquo ſcripto tibi quod ſentio decerpam.*) Epiſtola quoque ſexta eius libri tota eſt de hoc Diſciplinæ Tractatu: *Vnum quaternionem*, inquit, *iam impleueram de Diſciplina Clauſtrali, & mittere per præſentium latorem plurimùm feſtinabam, ſed diſſuaſum eſt ab amicis, ne Opus imperfectum amico mittere propter rapaces curioſorum manus & oculos &c.* Illa ætate apud Epiſcopos tantæ erat authoritatis Petrus Abbas, vt eius Sermones ſæpiùs expeterent, quò ſibi commiſſis populis cibum æternæ ſalutis porrigerent: atque inter alios Theobaldus Pariſienſis; ad quem ſic idem Petrus lib. 1. epiſt. 21. *Sermones de Aduentu Redemptoris vt componerem vobis in mandato acceperã, ſed malitiæ ſolicitudinis ſuæ etiam raritatem lucis adiunxit, &.* Finem autem imponens epiſtolæ hæc effatur: *Tres Sermones de Aduentu Domini, & vnum de Natiuitate orditus ſum vobis.*

V. Miſcellanea Epiſtolarum.

In MISCELLANEIS EPISTOLARVM nonnihil velim, Lector, aduertas. Numero Epiſtolæ cui-

Digitized by Google

que in margine affixo annum, quo vel floruêre Auctores, vel maximè quo ſcripsêre, à me ſcias indicatum.

Occurrit primo loco, FACVNDI HERMIANENSIS *Epiſtola fidei Catholicæ in defenſione trium Capitulorum*, quam ex apographo, quod penes me eſt, eadere in lucem nunc primùm edidi, vt ſegregum audaciam comprimerem, retunderem peruicaciam, & vaniſſimos plauſus coërcerem. Simul enim atque publici iuris Opera Facundi feciſſet Iacobus Sirmondus, homines illi tanquam Supremi Senatus decretum Catholicis obtruſerunt obſcura verba Libri 9. cap. vltimo ſub med. quibus ſuadere tentarunt, panis ac vini ſubſtantiam in Chriſti corpus & ſanguinem transſmutari dum ſacrum altaris myſterium peragitur, nuſquam tenuiſſe Facundum: Facundi Epiſtola.

Etenim ſi quod pugnaciſſimè tuentur heterodoxi ſenſerit Facundus, ac proinde dogma Catholicum abiurarit, hoc ipſo quaſi mucrone lethaliter potiùs iugulant ſeſe, quàm labem aliquam afferant Eccleſiæ aut detrimentum. Docet ſiquidem Hilarius initio Canonis 5. in Matth. agens de Tertuliano, explodendam prorſus ſchiſmatici, hæreticíve authoritatem: *Quanquam*, infert, *& Tertuliani volumen hinc aptißimum ſcripſit* (Librum ſcilicet de Oratione dum in Eccleſiæ vnitate viueret compoſitum) *ſed conſequens error hominis detraxit ſcriptis probabilibus authoritatem*. Docet quoque Auguſtinus epiſt. 19. cap. 3. Hieronymo reſpondens, qui ſuam de mendacio officioſo ſententiam, & ſenſu Galat. 2. c. ſeptem Auctorum teſtimonio firmauerat: *Cùm ſint ſex, vel ſeptem, horum quatuor Auctoritatem tu quoque infringis: nam & Laodicenum, cuius nomen taces, de Eccle-*

ſia dicis nuper egreſſum; Alexandrum autem veterem hæreticum: Origenem verò ac Dydimum reprehenſos abs te, lego in recentioribus Opuſculis tuis. Docet poſtremò Vincentius Lirinenſis in Commonitorio c. 39. *Eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt qui in fide & communione Catholica ſanctè, ſapienter, & conſtanter viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto fæliciter meruerunt &c.*

Facundum porrò à communione Catholicorum deſciuiſſe, atque in ſchiſmate permanſiſſe, occubuiſſéque, ex illa quam publicamus epiſtola patet euidentiſſimè; vbi Pontifices Romanos, alióſque, qui ſuum præbuerant aſſenſum abrogationi ac damnationi trium Capitulorum actæ in V. Synodo, ſuggillat ad hunc modum infra pag. 107. ſub med. *Sentiant ſe ab ea præciſos, cuius decreta, quantum in ipſis eſt conuellentes, hæreticorum ſe cateruis fauendo eorum votis pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab Acephalis hæreticis, id eſt Semi-Eutychianis, exquiſita & illicita Capitulorum damnatio; & Vigilij atque Pelagij Romanorum præuaricatorum, & Primaſii Byzaceni præcipui doctoris Acephalorum edita contra Eccleſiam ſcripta proteſtantur. Quæ cùm ita ſint, quomodò iam & illud eis poterit conſtare, quod dicunt vnam ſe cum damnantibus fidem tenere? Cùm nos in vno Domino* IESV *Chriſto Dei & hominis Filio, duarum naturarum proprietatem in vnitate perſonæ confiteamur, quod Catholica ſemper cuſtodit & docet Eccleſia. Iſti autem parendo Acephalis, & in ſcripto dicentes: Anathematizamus impiam Epiſtolam Ibæ, quam ad Marim Perſam ſcripſit, cum his qui vindicant eam, & rectam eſſe dicunt, vel partem eius; omnem proculdubio anathematizaſſe probantur Eccleſiam, quæ eam vindicauit & vindicat*

vindicat, rectámque esse dixit, & dicit. Post aliquanta asserit eos qui damnationi trium Capitulorum assensérunt, *Violasse pactum initum cum Deo, & fidem perdidisse.* Item aduersatos fuisse falsò putat Symboli articulo, *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. En certè*, inquit, *in hoc nunc omnis consistit quæstio, de viuorum mortuorúmque iudicio, quod contra nullam aliquando hæresim vt illud de æqualitate Patris & filij contra Arium, vel de omnipotentia Spiritus sancti in Constantinopolitano contra Macedonium in Symbolo est additum, à nulla vnquam hæresi, nisi ab hac nouissimis temporibus velut ex compacta omnium hæreticorum face exorta, violatum est, per damnationem videlicet viuorum mortuorúmque &c.* quæ breuitati consulens prætermitto. Deinde ait eos *Patrem Diabolum* habere. Postea condemnationem trium Capitulorum *Sacrilegium* appellat; ac multis interiectis subijcit: *Quæ dementia corda eorum inuasit, oculósque eorum fumosa sua vanitas, velut densarum palpabiliúmque tenebrarum opaca nox obcæcauit, vt non viderent, nec perseueranter tenerent quod in Symbolo quando baptizati sunt, acceperunt? sed pro libitu suo, modò muneribus corrupti, modò honoribus & ambitionibus inlecti, modò etiam peregrinæ, siue potiùs serpentinæ versutiæ doctrina circumducti, ventóque superbiæ afflati & inflati contra Deum superbiæ cristas erexerunt præripiendo iudicium eius, &c.* criminatúrque eos tanquam *superbiores & excellentiores audaciâ Diabolo, Antichristo quoque deteriores; neque proinde Christiano nomine censendos, immò appellandos Antichristi ministros, modisque omnibus fugiendos. Hæreticos* non semel pronunciat, *hæreticos nouellos*, quos Nouatiano comparat. Ac tandem: *Quomodò ergo qui*

hæreticis communicant, hæresis crimine teneri negabuntur? Aut qua fronte Catholicæ communicare sibi videntur? &c. Damnate errorem quem induxistis, auferte damnationis malum quod intulistis, per quod & hæretici facti, & hæreticorum fautores extitistis.

Sat superque, ni fallor, ex edita à me Epistola probatum est, Facundum, cùm tam impudenter, atque ore maledico, tot calumnijs, tótque iniurijs viros probatæ virtutis, fidei defensores, ac de Ecclesia optimè meritos appetierit, seipsum schismatis reum prodidisse, & in eo præfractum ad mortem vsque perseueraſſe: atque adeò vides, Lector, cuius sit habendus nominis ac auctoritatis Facundus ipse; & quam petulanter eo duce Acatholici de augustissimo Eucharistiæ Sacramento dogmata à Christo ad nos vsque per Apostolos ac Patres orthodoxos deducta pessundare, prorsúsque subuertere incassum laborent.

Iusti Orgelitani. In duas Iusti Orgelitani epistolas reuoluẽdo codicem MS. Bibliothecæ Corbeiensis incidi; vnã prelo subieci, alteram reperi quidem in Orthodoxographa, atque in priori Bibliothecæ Patrum editione, Commentario eiusdem Auctoris super Cantica Cantic. præfixam, sed oscitanter in posterioribus omnibus prætermissam: quo velim, Lector, aduertas pluteos Bibliothecarũ antiquis editionibus haud superfluè aliquãdo & inaniter onerari.

Anselmi Cantuar. Epistola B. Anselmi ad Lanfrancum, Menologio eius præponenda, ideò hîc à me inserta est, quòd characteres propè obliterati interitum minarentur.

Theobaldi Stampẽsis. Denique his, quas diuulgo, Epistolis Theobaldi Stampensis facilè confutatur Pitseus, qui agens de Scriptoribus Angliæ Theobaldum & seculo XIII. in vi-

uisextitisse, & purpuram Cardinalitiam Romæ induisseperperam scribit: quippe Theobaldum ex epistola ad Roscelinum Anselmi Cantuar. & Iuonis Carnot. ætate floruisse certo certius est: Legesis epistolas, Anselmi quidem lib. 2. 41. Iuonis autem 7. vbi Roscelinus hæreseos insimulatur. Innuit quoque Faricius Abdendon. Abbas (Anselmo Cœlitibus adscripto) à Rege exoptatus*, Stampensem sibi æqualem fuisse. Porrò de Cardinalitia illius dignitate sic nutabundus effatur Ciaconius in Nicolao IV. *Theobaldus Stampensis Anglus, de cuius Cardinalatu addubito, quicquid dicat Auctor* (Pitseus) *Catalogi Scriptorum Angliæ.*

* *Henricus de Knyghton inter Scriptores hist. Ang.*

Triplex Chronicon, quod manu propria Andreæ Ducheſne orbis Gallici olim syderis splendidissimi descriptum edo, V.C. Franciſci eius filij eruditissimi beneficio singulari debeo, debebúntque quotquot illo vsuri sunt viri literati.

Chronicon Fontinellense.

Chronicon Fontinellensis, nunc S. Vandregesili, Abbatiæ in Normania sitæ, diœcesis Rotomagensis, ad vetustissimum eiusdem Monasterij apographum ante annos sexcentos exaratum contuli; At verò quod initio est proœmij loco assutum, scilicet *Commemoratio Genealogiæ Arnulfi, &c.* Chronologi huius minimè esse arbitror; sed eo iuniorem quempiam edidisse conijcio: quippe quæ ad annum Verbi incarnati DCCC. LXXXV. progreditur; Chronici verò parens in Ansigisi gestis desinit, quem Ludouico Pio imperante Abbatiæ pedum gestasse constat. Insuper, si vtriusque vnus idémque conscriptor fuerit, vt quid amabo proximè pòst in ipso primi capitis limine S. Vandregesili genealogiæ seriem retexeret? censendus foret memoriæ

labilis quammaximè. Atat Auctor ipſe, opinor, non obſcurè ſuam prodit ætatem pag. 221. in Wandone Abbate qui obijt an. 756. his verbis: *Teſtantur plurimi qui illum viderunt, ideò non neceſſe æſtimo omnia de eo inſerere, &c.* paginâ item 222. *Nam Bortgaudus Monachus, qui eum* (Wandonem) *ſepulturæ tradidit, referre erat ſolitus, dum eum in ſarcophago poſuiſſet &c.* pag. 226. *Hæc de eo* (Auſtrulpho Abbate) *narrare erat ſolitus bonæ recordationis Hardoinus Cellæ S. Saturnini Mart. Presbyter, qui ſub eius tempore hoc in Cœnobio clericatus ſuſcepit habitum &c.* pagina denique 233. *Interea defuncto Magno Carolo Imperatore Auguſto diuæ memoriæ, Ludouicus eius filius in Imperium eleuatur.* Duo verba, *diuæ memoriæ*, ſubindicant Auctorem eâ ſcripſiſſe tempeſtate. In ſumma, arbitror illum, quàm Anſigiſus ab humanis eſſet exemptus paulò pòſt vita functum, hoc eſt, anno plùs minùs DCCCXXXIV. quo finem ſuo impoſuit Operi: ſiquidem Appendicis primæ Scriptor nonnihil actuum Fulconis Abbatis attingens, anno DCCCXXXV. regimen eum ſuſcepiſſe Monaſterij Fontanellæ aſſerit proximè poſt Ioſephum Anſegiſi ſucceſſorem, qui Abbatia per menſes tantummodo ſeptem potitus eſt. Hactenus de Auctoris ætate.

Prætereà obſeruandum moneo illo in Chronico prætermiſſa quorundam Abbatum geſta, vel quòd exciderint, vel quòd nihil dignum memoria ab his actũ, ſeu alijs motus Auctor rationibus ea ſilentio premenda putauerit. Fragmentum equidem geſtorum Lamberti Archimandriæ, pòſt Lugdunenſis Archiepiſcopi ſanctitate conſpicui, in calce codicis præfati Fontinellenſis reperi, ſed mutilum, vt pote folium vnum aut alte-

Digitized by Google

rum è codice fuit auulſum, exeſúmve à blattis. Proœmium illud, cuius titulus, *Commemoratio genealogiæ Arnulfi &c.* necnon, *Conſtitutionem Anſegiſi Abbatis* in fine Chronici ſubiectam haudquaquam complectitur vetus MS. Fontinellæ, Chronicon duntaxat habet vnà cum vitis Vandregeſili, aĕ præcipuorũ illius Aſceterij Archimandritarum fide & moribus ſanctiſſimorum. Proœmij ſuppetias iuit Ducheſnij apographum, atque libellus manu antiqua exaratus Fontinellenſis Cœnobij vitam continens B. Vandregeſili, ac partem Miraculorum S. Wlfranni. Forent & alia, fateor, animaduertenda, verùm cùm nõ neſciam è noſtris quendã elucidando, quo de agimus, Chronico, atque eruendis Fontinellæ monumentis multùm diúque à ſexennio inſudaſſe, vt ad hæc vſque tempora eiuſce Monaſterij hiſtoriam perducat concinnétque, ne meſſem in alienam inferre falcem videar, manum continere & calamum interim iudicaui. Verbo dicam, parachroniſmos, næuóſque ſi quando, Lector, offenderis, vbi præſertim Regum Francorum anni cum Reparatæ Salutis comparantur, non ignobile Opus ideò abiiciendum, immò verò tum ob antiquitatem, tum etiam ob ſtyli grauitatem, tum maximè præclaras ob res poſteritati conſcriptas, plurimi abs te faciendum cenſeo.

Initium huius Proœmij to 5. p. 2. Antiq. lect. inſeruit Henric. Caniſius.

Subiectam, quam vides, duplicem Appendicem præſtitit Fontinellæ MS. alteram perbreuem, ſed eiſdem quibus & Chronicon characteribus, atque à ſynchrono vel ſuppari Monacho ſcriptam: prolixiorem alteram: videlicet pericope eſt è libro exciſa Miraculorum in trãſlatione corporis S. Wlfranni diuinitus patra-

torum ; quæ haud inelegantèr retulit teſtis oculatus antequam Normanni Duce Guilelmo Inſulas Britannicas armis quærerent, ſubiugarent, nempe annum circiter MXL. Vitamprotraxiſſe ad annum MLIII. ipſemet indigitat euidentiſſimè, dum pag. 268. Gradulfi Abbatis exceſſum è vita mortali ediſſerit: *Obiit autem*, inquit, *Anno ab Incarnatione Domini MXLVII. Huic ſucceſſit frater illius pro carnis origine, nomine Robertus, anno fermè XII. Willelmi Comitis &c. atque nunc vſque ſub cæleſtis Regis imperio Monarchiam regni pro arbitrio potenter diſponit, &c.*

Idcirco autem pericopen hanc erui, quòd Abbates aliquot Fontanellenſes, & quæ patriam dilucidant hiſtoriam notatu digna recenſeat.

Poſtremò, vt ſincerè dicam quod ſentio, Aſceteriũ Fontanellenſe ſeminarium fuit ſanctiſſimorum Epiſcoporum. Vidit ſibi præſidentem, ac mira perpetrantem non ſemel Rotomagenſis Eccleſia, Vidit Remenſis, Senonenſis, Lugdunenſis, vidit Apoſtolum Friſia, vidit demum infulis ſuis redimitum diuerſis in Ciuitatibus Gallicana Eccleſia Monachum Fontanellenſem: notiora ſunt quæ refero, quàm in illis ſigillatim vt immorer recenſendis : nihil etenim frequentius Martyrologia vti Fontanellæ nomen, nihil auguſtius commemorant.

Choniton Senoniẽſe.

CHRONICI SENONIENSIS fronti Auctor Richerius inſcribitur, quod & videre eſt in Præfatione: *Ego Frater Richerius Monachus Senonienſis &c.* pagina 272. Quò emendatiùs Chronicon in publicum prodiret, apographum annos præ ſe ferens ſexaginta, cum archetypo ſtudiosè collatum, perhumaniter ad me

Digitized by Google

tranſmiſit R.P. Alexander de Leſcale eiuſdem Aſceterij Prior.

Stylo rudi quidem Chronicon texuit Auctor, ac dubia, non identidem ſed rarò, pro certis, & quæ ex ſolo vulgi rumore didicerat, immiſcuit; at quem ſeculi barbaries & ſimplicitas excuſat. Quas verò per ſe tractauit, perſpexit oculis, ijs rebus fidem adhibendam inficias, reor, ibit nemo. Quin & anterioris æui acta ipſe referens, quam ſubinde religioſus extiterit, qui nonnulla mauult premere ſilentio, quàm incerta aut excogitata intexere, ingenuè profitetur in Præfatione: *Licet imperito ſtylo & inculto ſermone ea quæ in quibuſdam ſcriptis adnotatis de fundatione huius Senonenſis Abbatiæ &c. reperire potui, licet perpauca ſint, relatu digna, & ea quæ proprijs oculis vidi, & auditu audiui & circumiacentium Eccleſiarum fundationes, & Conſtructorum nomina & dignitates, quibuſque Regibus vel Imperatoribus claruerint, huic membranæ adnotare & inſerere ſtudui.* Initio libri 2. *Quia verò de B. Gundelberti ſucceſſoribus, vel ipſorum actibus pauca vel nulla ad ſcribendum inuenire potui, exceptis tantùm nominibus, nihil de meo addere præſumpſi, ne rumorum inciperem nouus auctor haberi.* Ibidem paucis interiectis: *De quo* (Magneramno Abbate) *quia nihil plus inueni, nihil ſcribere poſſum.* Lib. 4. c. 20. *De Henrico huius loci Abbate quia noſtris temporibus oculata fide actus ipſius & vidimus & cognouimus huic paginæ adnotare non pigebit.* Quâ porrò Richerius vixerit tempeſtate ſignat ipſe his verbis in lib. 3. pag. 358. *Ego quidem tunc temporis* (Friderico Alemannorum Rege, Theobaldo Duce Lotharingiæ) *ab Abbate Henrico Senonienſi ad ipſum Ducem Lotharingiæ miſſus*

ſum, eo quòd Philippus Dominus de Gillibertiuillare &c. Et poſt pauca Synodum Lateranenſem an. MCCXV. celebratam Innocentio III. Pontifice Romano præſidente deſcribit. Ipſum tandem ad annum peruenisſe MCCL. & vltrà, coniectare licet ex ijs quæ narrantur in cap. 4. ac conſequentibus libri quinti.

Hiſtoria Vizeliacenſis.

Quadriennium iam effluxit quo refugiebat animus Hiſtoriam Vizeliacenſis Monaſterij ampliſſimis hiatibus fœdatam in publicum proferre: ſpes enim erat illius integræ aliquando è ruderibus, antríſve Monaſteriorum, vbi fortean adhuc in puluere & ſitu cum tineis deluctatur, eruendæ: Verùm crebris amicorum hortationibus interpellatus, ſuaſionibus impulſus, ne à me repulſam paterentur, ceſſi tandem eorum votis (viri enim ſunt inter Literatos eruditione iuxtà ac pietate præcipui) atque hiſtoriam quamuis lacunis dehiſcentem, vetuſtis tamen nobilitatam monumentis, doctéque ac eleganter conſcriptam, noluidiutiùs tenebris obuolui, immò luci, vt pote vtilitati literariæ profuturam libens expoſui.

Vide pag. 554.

Hiſtoriam placuit Auctori Hugoni Pictauino quadripertitam proponere. In priori parte Conditorum tabulas, Romanæ Vrbis literas, diplomata Regum, atque alia id genus reſcripta, tanquam eorum quæ erat in medium producturus fundamenta ſubiecit. Depingit in altera Epiſcopum Eduenſem quâ fas quâ nefas libertates Eccleſiæ Vizeliacenſis infringere, ac iura ſoli Romano Pontifici competentia vſurpare conantẽ. In tertia demum & quarta luctuoſas prodit tragœdias à Comitibus Niuernenſium peractas, qui incurſionibus ac direptione per ſe, pérque ſuos non ſemel in Mona-

Digitized by Google

Monaſterium Vizeliacenſe, vniuerſúmque eius dominium, vt illud ditioni ſuæ adiungerent, graſſati ſunt, barbarorum more Monachos expulerunt, Oppidanos à legibus & ſubiectione Abbatis eorum Domini aperta vi ſubtraxerunt. Auctor ipſe nihilominus victorias ab Abbate & Monachis, non tamen ſine ingenti labore ac diſpendio rei familiaris, tum de Epiſcopo, tum etiam de Niuernenſibus, afflante diuino Spiritu, Pontificibus Romanis iuuantibus, fauente in primis Rege Ludouico ſeptimo, reportatas deſcribere non omittit. Interſerit etiam inſigniora ſui temporis, quæ Ciuilem, Eccleſiaſticámque hiſtoriam admodùm illuſtrant.

Quonam anno cucullum Vizeliacenſes veſtibus Canonicorum aſſumptis abdicauerint, videſis in Obſeruationibus ad Guiberti de Nouigento Opera, pag. 658.

Cæterùm, labes quaſdam & lapſus cur minimè abſterſerim, anxiè forſan ſciſcitabitur nonnemo rei antiquæ non ſat peritus. Næ id à me religiosè ſemper obſeruatum pura atque integra veteris æui ſcripta vulgare, cùm præſertim ea haud indoctis, at in illis apprimè verſatis Lectoribus offerre mens fuerit, qui ex oppoſitis eiuſmodi hallucinationibus ipſammet veritatem ſolerter aliquando expromere, vel ſanè falſum à vero, certúmque à dubio ſecernere, quídve expungendum, quid admittendum dijudicare norunt. Attamen quæ mihi videntur obſcuriora, quæque Lectorem latere conijcio, annotatiunculis identidem marginalibus explico, aut certè quæ accuratiùs ac prolixiùs exploranda ſunt, in Præfationibus dilucidare co-

Digitized by Google

nor. Si quid præterea erratum deprehenderis, Lector, (quod futurum non inficior, diligentiam licet omnem adhibuerim) haud incuriæ meæ, sed Typographorum insciticæ & oscitantiæ velim ascribas, & condones.

Ad extremum nonnulla ex ijs, quæ hoc in spicilegio promo, W. CC. Henrico atque Hadriano Valesijs fratribus, quos scripta singulari ac recondita, quâ pollent, eruditione referta literarium per orbem longè latéque diuulgarunt, noueris Lector, accepta me referre: aliorum verò, qui nonnihil contulere, nomina in Elencho infra posito cum laude indicare haud prætermitto.

Digitized by

ELENCHVS
CONTENTORVM IN TOMO TERTIO SPICILEGII.

TRactatus NICETII Episcopi (f. Treuirensis) de Vigilijs Seruorum Dei.

Idem De Bono Psalmodiæ. pag. 1

Sermo S. THEODORI Studitæ de S. Bartholomæo Apostolo, interprete ANASTASIO Bibliothecario; vbi de translationibus corporis eiusdem Apostoli in Liparam insulam, atque è Lipara Beneuentum. 7

S. ANSELMI Cantuarien. Archiepiscopi Tractatus asceticus. 13

PETRI CELLENSIS Tractatus prolixus de Disciplina Claustrali. 24

MISCELLANEA EPISTOLARVM. 42

SYLLABVS EPISTOLARVM. pag. 106

Annum Christi, quo vinebant Scriptores, prior numerus, alter Epistolarum ordinem, paginam tertius designat.

DXLV. 1. Epistola Facundi Hermianensis Episcopi in defensione trium Capitulorum. 106

Ex MS. museoli nostri.

DXXXV. 2. Iusti Episcopi Orgelitani ad Sirgam Papam. 119

Ex MS. Corbeiæ antiquæ. O. B.

MLXXXVIII. 3. S. Anselmi ad Lanfrancum Cantuar. Archiep. 121

Ex MS. Beccensis Abbatiæ. O. B.

MXCIII. 4. Raimundi Gallæciæ & Henrici Portugalliæ Comitum, Hugoni Abbati Cluniacensi. 122

Ex MS. Abbatiæ Cluniacensis.

MXCIV. 5. Vrbani Papæ II. Priuilegium pro Attrebatensi Ecclesia, seu de restituto ipsi Episcopo. 123

Ex MS. Corbeiæ. O. B.

MCI. 6. Paschalis Papæ II. Daymberto Archiep. Senonensi. 126

Ex MS. S. Florentij Salmurienſis. O. B.

MCII. 7. Eiusdem ad Lambertum Episcopum Attrebat. quâ restitutum Episcopum confirmat, munitque priuilegijs. 126

Ex MS. Corbeiæ. O. B.

MCIV. 8. Canonicorum Ecclesiæ Parisiensis Paschali PP. II. 128

Ex MS. S. Florentij Salmurienſis.

MCIV. 9. Paschalis Papæ II. ad Archiepiscopos & Episcopos Prouinciarum Remens. Senonensis, ac Turonens. vt Philippum Regem, & eius pel-

Digitized by Google

licem à vinculo excommunicationis absoluant. 128
Ex MS. Corbeia. O. B.
Iuramentum, seu Confessio Philippi Regis. 129
Ex eodem MS.
MCV. 10. Paschalis PP. II. Daymberto Archiepiscopo Senon. 130
Ex MS. S. Florentij Salmuriensis.
MCVII. 11. Eiusdem de Legatione S. A. data Girardo Engolism. Episcopo. 131
Ex MS. S. Albini Andegauensis.
MCX. 12. Eiusdem Guidoni Archiepiscopo Viennensi. 132
Ex MS. S. Florentij Salmur.
MCVIII. 13. Theobaldi Stampensis ad Episcopum Lincolniensem, de quibusdam in diuina pagina titubantibus. 132
14. Eiusdem Faricio Habendonensi Abbati. 137
15. Eiusdem ad Margaritam Reginam. 139
15. Eiusdem ad Philippum amicum. 140
17 Eiusdem ad Roscelinum Clericum Compendiensem, quem peruersè sentientem de Ecclesiasticis dogmatibus confutat. 142
Ex MS. Beccensis Abbatiæ. O. B.
MCXXI. 18 Callisti Papæ II. Ludouico VI. Francorum Regi. 146
19 Ludouici VI. Regis Frãc. Callisto Papæ 2. quâ cõqueritur de Archiep. Lugdunensi, qui vsurpare tentabat Primatũ Senonensis Ecclesiæ. 147
MCXXIV 20 Calisti II. PP. Gaufrido Carnot Episc. Ioãni Aurel. Steph. Paris. 149
MCXXV. 21 Honorij Papæ II. Canonicis Ecclesiæ Turonens. 149
MCXX-VII. 22 Eiusdem Ludouico VI. Franc. Regi. 150
MCXXX. 23 Ludouici VI. R.F. Legato Sedis Apostol. 151
Ex MS. S. Florentij Salmur.
MCXXX. 24 Cleri Rotomagens. ad Honorium II. Summum Pontif. pro electione Hugonis in Archiep. 151
Ex MS. S. Germani Paris.
MCXXX. II. 25 Innocentij Papæ II. Ludouico VI. R.F. 152
26 Archembaldi Ecclesiæ Aurel. Subdecani Hérico Archiep. Senon. 153
27 Gaufredi Episcopi Carnot. Henrico Archiep. Senon. 154
28 Innocentij PP. II. Gaufredo Carnot. & Stephano Paris. 154
29 Eiusdem Stephano Episc. Paris. 155
30 Stephani Episc. Paris. Henrico Archiep. Senon. 155
31 Eiusdem Legato S. A. 157
32 Henrici Archiep. Senon. Stephano Episc. Paris. 158
33 Stephani Paris. ad Henricum Senonens. 159
34 Gaufredi Episcopi Carnot. Stephano Episc. Paris. 160
35. Abbatum, & Clericorum Parisiensium Innocentio pp. 2. 161
36. Stephano Episc. Paris. 162
37. Eidem. 163
38. Gaufridi Episcopi Carnot. ad eundem Stephanum. 163
39. Eiusdem Stephano Episc. Paris. 164
40. Stephani Episc. Paris. de Matthæode Montemorenciaco. 165

Digitized by Google

Ex MS. S. Florentij Salmur.

41. S. Bernardi Goffrido Abbati S. Medardi Sueſſion. 165
42. Eiuſdem Rainaldo Abbati. 166
43. Eiuſdem ad Papam Innocentium pro Arnulfo Lexouienſi Epiſcopo electo. 167

Ex MS. Corbeiæ. O. B.

MCCIV. 44. Fundatio Monaſterij B. MARIÆ de Sylua-regali diœceſ. Arelat. Ord. Ciſt. 168

Ex MS. Vallis-magnæ. O. Ciſt.

MCCV. 45. Stephani Archiepiſcopi Cantuar. Ioanni Anglorum Regi. 170
46. Ioannis Regis Angl. Stephano Cant. Archiep. 170

Ex MS. Ciſtercienſ. Abbatiæ ab erudito Iacobo de Lannoy eiuſdem Cœnobij Monacho Presbytero deſcriptæ.

MCCXX. X. 47. Gregorij Papæ IX. ad Archiepiſc. Arelat. & Epiſc. Arauſicanū. 171
48. Ad Petrum de Collemedio S. A. Legato. 172
49 Eidem Petro. 173

MCCXX-XII. 50. Ad Comitem Tholoſanum. 174
51. Ad eundem de Monacho Conchenſi crudeliter interfecto. 174
52. Abbatis ac Conuentus Conchenſis Raymundo Comiti Toloſano. 175

MCCXX-XII. 53. Gregorij pp. IX. Epiſcopo Tornacenſi. 176
54. Ad Ludouicum Regem Francorum. Rationes reddit cur Comitatum Venaſcenum detineat. 177
55. Ad Reginam Franc. 179
56. Ad Comitem Toloſanum. Ibidem.
57. Epiſcopo Tornacenſi. 180

MCCXX-XIII. 58. Ad Comitem Toloſanum. Confirmat inſtitutam ab Legato Apoſtolico Academiam Toloſ. eiúſque Statuta. 181

MCCXX-XIV. 59. Ad Archiep. & Epiſcopos in Prouincia conſtitutos. 183
60. Comiti Toloſano, cur terram Venaſcenſem non reſtituerit. 183

Ex MS. V. C. Antonij de Vion Domini d'Heronual.

CHRONICON, ſeu Geſta Abbatum Monaſterij Fontinellenſis, nunc S. Vandregeſili, diœceſis Rotomagenſis. O. B. Auctor ſcribebat ante octingentos annos. 185

APPENDIX I. eiuſdem Chronici Auctore ſupppari. 248

APPENDIX altera ab Auctore ſcripta priuſquam Guilelmus Normanniæ Dux Angliam fuit adeptus. 248

CHRONICON Senonienſis Abbatiæ in Voſago diœceſis Tullenſis, O. B. Auctore Richerio eiuſdem Monaſterij Monacho Benedictino: ab ipſa fundatione ad annum circiter. 1250. 271

HISTORIA Vizeliacenſis Monaſterij Ordinis S. Benedicti, iuri ſolius Romani Pontificis ſubditi: quam Hugo Pictauinus, Guilelmi Abbatis Vizeliac. Notarius, ſcribere aggreſſus eſt an. 1156. eāq; an. 1167. abſoluit.

Cōtinet Teſtamentum Gerardi Comitis de Roſſilone, ſeu Tabulā fundationis, literas Pontificias, Regum Diplomata &c. necnon Fundationē Abbatiæ Pultariæ eodem Gerardo conditore, pag. 446. & ſeqq.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt: ne quis in Regno ſuo, aliiſque locis ſuæ ditioni ſubjectis, Librũ cui titulus: *Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum latuerant,* SPICILEGIVM. *Videlicet,* NICETII *Epiſcopi Tractatus duos de Vigiliis Seruorum Dei, & de Bono Pſalmodiæ:* THEODORI STVDITÆ *Sermonem de S. Bartholomæo &c.* PETRI CELLENSIS *Tractatum de Diſciplina Clauſtrali:* MISCELLANEA *Epiſtolarum:* CHRONICA, *Fontinellenſe, & Senonenſe: Hiſtoriam Vizeliacenſem:* & alia in Diplomate contenta, abſque D. Lucæ Dacherij conſenſu, aut eorum quibus permiſerit, intra viginti annos imprimat aut diuendat. Si quis ſecus fecerit, multa indicta, prout ampliùs in ipſo Diplomate continetur. Lutetiæ Pariſiorum 19. Iunij 1654.

Sic Signatum,

De Mandato Regis,
LE COQ.

Conceſſio indulti Priuilegij.

PRæfatus Lucas Dacherius conceſſit Dionyſio Bechet, & Ludouico Billaine Bibliopolis Pariſienſibus, vti indulto Priuilegio. Pariſijs in Abbatia S. Germani à Pratis die 1. Februarij 1658.

Sic Signatum,

F. LVCAS DACHERY.

Digitized by Google

TRACTATVS NICETII EPISCOPI

DE VIGILIIS SERVORVM DEI.

CAPVT I.

BONA, & digna, & ſancta res, & apta prorſus, ſatiſque conueniens de ſanctis Vigilijs nunc dicere, & conferre ſermonem, quando ipſa lucubratio geritur à ſollicitis & religioſis: nox cœca eſt, & neceſſaria caligo corporibus, quæ non ſolùm homines, ſed etiam in ſomno detinet animantes, vt reparatis viribus per ſoporem, poſſint diurnos labores ſuſtinere vigilantes. Bonus Deus, qui ita proſpexit, ita conſtituit, vt homo exiturus ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam, haberet vicarium tempus, in quo à laboribus duris, & multa fatigatione requieſceret. Ergo diem ad opus, noctem fecit ad requiem, & pro hoc, ſicut pro omnibus, gratias debemus agere illi qui præſtitit. Nouimus autem multos hominum, vt aut maioribus ſuis placeant, aut ſibi aliquid peculiariter proſint, noctis particulam ad aliquod opuſculum ſegregare, & id pro lucro ducere, quod furati de ſopore ſuo operari potuerunt. Quòd ſi in carnalibus inſtrumentis, id eſt, victui ac veſtitui neceſſariis, qui vigilant non reprehenduntur, immò laudantur, quantò magis nos qui ſacras Vigilias, tam ſpirituali opere fructuoſas,

Nox neceſſaria ad requiem.

Dies ad opus.

Digitized by Google

orationibus scilicet, hymnis, lectionibus fœcundas, obseruare, & amare debemus, vt à Domino Deo mercedem recipiamus?

CAPVT II.

Contra Vigiliarum vituperatores.

EQVIDEM sunt homines qui ista reprehendunt, sed à fide Catholica & Religione alieni sunt. Sed non est mirum. Quomodò enim impiis & profanis religiosa placere possunt? Quibus si placerent, nostri essent, quod sumus vtique Christiani. Si verò nostri sunt quos Vigiliarum sanctarum salutifer actus offendit, vt nihil de his deteriùs suspicer, aut pigri sunt, aut somniculosi, aut senes sunt, aut infirmi. Si pigri sunt, erubescant; quia illis insonant Prouerbia Salomonis: *Vade ad formicam, ô piger; & æmulare vias eius.* Si somniculosi sunt, expergiscantur Scriptura proclamante: *O piger quousque dormis? Quando autem de somno surgis? Modicum quidem dormis, modicum sedes, modicum autem dormitas, pusillum autem manibus amplecteris pectus. Deinde, superueniet tibi tanquam viator paupertas, inopia autem sicut bonus cursor:* Si autem senes sunt, quis eos compellit vt vigilent? quamquam & non compulsi vigilare debent pro ipsa ætate sua, & Dominum Deum instantiùs orare. Vigilare itaque debent sedentes, si stare non præualent. Si verò infirmi sunt membris, quod ipsi facere non possunt, non reprehendant: Imò secundum Prophetam rigent lacrymis stratum suum, & dicant: *Sic memor fui tui super stratum meum.* Commendent etiam vigilantibus, vt eos suis precibus adiuuent, quòd adiuti à Domino super lectum doloris sui canere quandóque mereantur, dicentes: *In matutinis meditabor in te, Domine, quia factus es adiutor meus.* Alioquin stultum, & satis extraneum est à religione, vt quia ipsi currere non valemus, bene currentibus derogemus; quia etsi non possumus, debemus non inuidere, sed congratulari potentibus. Sicut enim qui consentit maliciæ, particeps est pœnæ, sic participatio gloriæ speranda est de consentione bonitatis: Alios enim coronat affectus, alios voluntas pia lætificat.

Nec sanè onerosum vel difficile videri debet etiam delicatis vel infirmis corporibus in septimana duarum noctium,

Digitized by Google

id eſt Sabbati, atque Dominicæ, portionem aliquam Dei miniſterio deputare: iſta enim quaſi purificatio eſt dierum quinque vel noctium, quibus ſtupore carnali ingraueſcimus, aut mundanis actibus obſeſſi lætamur. Nec erubeſcat aliquis in bono ſtudio ſanctitatis, quia non erubeſcunt improbi in perpetrando opere fœditatis. Meritò ergo ſcriptura in Prouerbijs dicit: *Eſt confuſio quæ adducit peccatum.* In bono enim opere confundi, peccatum eſt, ſicut in malefaciendo non confundi pernicies eſt. Si ſancti eſtis, amate vigilias, vt theſaurum veſtrum vigilando cuſtodientes ipſi in ſanctitate ſeruemini. Si peccatores eſtis, magis currite, vt vigilantes, & Deum orantes, purgemini; vt tundentes pectora frequentiùs clametis ad Dominum ex toto corde dicentes: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo:* Qui enim ab occultis deſiderant iam purgari, neſcio an eos delectet iiſdem miſeriis inquinari. *Eccli. 4. 25.*

CAPVT III.

TEmpus exigit, Cariſſimi, vt de auctoritate Vigiliarum, de antiquitate, déque ipſa vtilitate pauca dicamus: Magis enim quilibet labor libenter ſuſcipitur, ſi ante oculos proponatur ipſius laboris vtilitas. Antiqua eſt Vigiliarũ deuotio, familiare bonum omnibus ſanctis. Eſaias denique Propheta clamat ad Dominum dicens: *De nocte vigilat ſpiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua ſunt ſuper terram.* Dauid & regio & prophetico ſpiritu ſanctificatus vnguento, ita canit: *Domine Deus ſalutis meæ in die clamaui, & nocte coram te:* Item dicit: *Memoratus ſum in nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam.* Accipe eiuſdem Prophetæ aliam vocem, quæ & tempus & habitum deprecantis oſtendat: *In noctibus*, inquit, *extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Et ne veſpertinas tantùm horas noctes æſtimes appellatas, occurrit & dicit: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Ecce habetis & tempus expreſſum, & exurgendi ſollicitudinem quomodò confiteamini Deo oſtenſam. Vtilitas antiquitaſque vigiliarum.

Adhuc conſideranti mihi intentionem Sanctorum, maius aliquid ac laborioſius occurrit, & vltra naturæ humanæ conditionem ſuggeritur, cùm eundem Prophetam audio ita pſal-

Digitized by Google

lentem : *Si ascendero in lectum strati mei : si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem : aut requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Quis non stupeat tantam in Dei amore animi deuotionem ; vt somnum sibi, sine quo vtique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum Rex & Propheta reperiret ? Quæ res nos debet fortiter ammonere, vt si ipsi locus Dei esse volumus,& tabernaculum eius ac templum cupimus haberi perpetuò, sicut Paulus Apostolus asserit, dicens : *Vos estis templum Dei :* In quantum possumus exemplo Sanctorum vigilias diligamus, ne & de nobis dicatur : *Dormierunt somnum, & nihil inuenerunt* : quin potiùs gratulabundus vnusquisque vestrum iam dicat : *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus,* Quia *bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime ; ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Hæc & eiusmodi tanta ac talia ideò sancti illi cecinerunt, & scripta reliquerunt, vt nos eorum posteri paribus eorum excitaremur exemplis, ad celebrandas etiam noctibus nostræ salutis excubias.

Sed à veteribus veniamus ad noua ; à ministris legis ad ministros Euangelij, vt de nouo etiam Testamento Vigiliarum gratia consignetur. Anna filia Phanuel vidua continuis orationibus, ac ieiunijs seruiens, non discessit de templo die ac nocte. In Euangelio legitur, Et Pastores illi sanctissimi dum super gregem suum nocturnas exercent vigilias & Angelos in splendore videre, & Christum natum in terris primi audire meruerunt. Iam verò institutio Saluatoris nonne omnes ad vigilandum auditores exsuscitat, siue in parabola boni seminatoris docendo : *Dum dormirent homines, venit malus, & superseminauit zizania inter triticum, & abijt.* Qui si vigilassent, nec malus forsitan zizania seminare potuisset. Siue cum dicit : *Sint lumbi vestri pracincti, & lucernæ ardentes, & vos similes exspectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis. Beati serui illi quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes : Et si vespertina,* inquit, *hora venerit, etsi media nocte, etsi galli cantu, & inueniat eos vigilantes, beati sunt. Itaque & vos estote pa-*

Digitized by Google

rati, quia qua hora neſcitis filius hominis venturus eſt. Nec verbis ſolummodò docuit vigilare, ſed etiam exemplo confirmauit. Namque teſtatur Euangelium, quia *erat* IESVS *pernoctans in oratione Dei*: Pernoctabat non ſibi, ſed vt ſciremus quid omnes facere debeamus. Et ipſe increpat Petrum tempore Paſſionis dicens: *Non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Et ad omnes iam dicit: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Hæc verba eiuſmodi exemplo, oro vos, quem non de profundo etiam mortis ſimili modo valeant ſuſcitare?

His inſtructi ſermonibus, his confirmati documentis Beati quoque Apoſtoli & ipſi vigilauerunt, & Vigilias imperauerunt. Petrus Apoſtolus in carcere noctu ab Angelo ſuſcitatur, & ipſi referante portam ferream in domum Mariæ peruenit vbi erant multi congregati, non dormientes vtique, ſed orantes. Idem in Epiſtola ſua ponit & dicit: *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem tranſuoret.* Paulus, & Sileas in cuſtodia publica circa medium noctis orantes, hymnum audientibus vinctis dixiſſe memorantur; vbi repente terræmotu facto, & concuſſis fundamentis carceris, & ianuæ apertæ, & omnium vincula ſunt ſubitò ſoluta. Item Beatus Apoſtolus Paulus ſuper exercendis vigilijs adhortatur Theſſalonicenſes, dicens: *Vigilate, & ſtate in fide, confortamini & viriliter agite.*

CAPVT IV.

HÆc ſufficiant de auctoritate & antiquitate ſanctarum Vigiliarum. Supereſt vt ſecũdum promiſſum de earum vtilitate aliqua proferamus, quanquam ſentiri magis poteſt per exercitium ipſa vtilitas, quàm loquentis ſermone narrari. Guſtando enim videtur quia ſuauis eſt Dominus: Qui ergo guſtauit, intelligit, & ſentit quantum pectoris vigilando deponitur, quantus mentis ſtupor excutitur, quanta lux animam vigilantis & orantis illuſtrat, quæ gratia, quæ ſancta viſitatio membra vniuerſa vigilantis lætificat: vigilando timor omnis excluditur, fiducia naſcitur, caro maceratur, vitia tabeſcunt, caſtitas roboratur, cedit ſtultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput Diabo- Vtilitas Vigiliarum.

lus gladio spiritus vulneratur. Quid hâc vtilitate magis necessarium, quid istis lucris sanctis commodius, quid hac delectatione suauius, quid ista fœlicitate beatius? Teste etiam Propheta, qui in principio Psalmorum suorum beatum virum describens, summam beatitudinis eius in hoc versiculo collocauit, dicens: *Si in Domini lege meditetur die ac nocte.* Bona est quidem diurna meditatio, bona oratio, sed multò gratior & efficacior est nocturna meditatio; quia per diem necessitates variæ obstrepunt, occupationes destruunt mentem, sensum multiplex cura dispergit: nox autem secreta est, nox quieta est & oportuna orantibus, aptissima vigilantibus, dum carnalibus occupationibus expeditos, collecto sensu totum hominem diuinis conspectibus sistit. Itaque Deo placitas cognoscite esse Vigilias ad celebrandam benedictionem.

Quæ ad Vigilias præparatio.

Tantùm, Carissimi, qui vigilat oculis, vigilet & corde, qui orat spiritu, oret & mente; quia nec satis vtile est oculis vigilare, & animo dormitare, cùm ex contrario ex persona Ecclesiæ scriptura dicat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Curandum est etiam ante omnia ne nimietate cibi vel potus nostrorum vigilatorum pectora onerentur, ne cruditatem ructantes & crapulam, non solùm ipsi nobis insuauissimus, sed etiam gratiæ Spiritus sancti indigni iudicemur. Dixit namque vir quidam inter Pastores eximius: Sicut fumus, inquit, fugat apes, sic indigesta ructatio auertit & abijcit Spiritus sãcti charismata. Ergo tanquam diuinum celebraturi mysterium antè nos per abstinentiam parare debemus, vt integrati & expediti vigilare possimus: cogitatio quoque mala pellatur, ne malè vigilantium *oratio fiat*, sicut legitur, *in peccatum.* Sunt enim & ex malignis malè dictæ vigiliæ, vt in Prouerbijs legitur, *quia ablatus est somnus ab oculis eorum. Non enim dormiunt*, inquit, *nisi malè fecerint.* Sed absint, & longè absint ab hoc Conuentu tales vigiliæ, sed potiùs vigilantium pectus clausum Diabolo, sit apertum Christo, vt quæ labiis sonamus, corde teneamus. Tunc erunt acceptabiles apud Deum nostræ vigiliæ, tunc pernoctatio salutaris, si competente diligentia, & deuotione sincera, ministerium nostrum diuinis obtutibus offeratur.

Hæc de Vigiliarum auctoritate & antiquitate, nec non

Digitized by Google

etiam de earum ſancta vtilitate dicta ſufficiant. De hymnorum autem Pſalmorúmque deuotione quàm grata ſint & acceptabilia Deo, nunc quatulumcumque dixiſſem niſi ratio prolixior volumen aliud poſtularet, quod Domino largiente ſequenti exhibebitur lectione.

TRACTATVS NICETII EPISCOPI

DE PSALMODIÆ BONO.

CAPVT I.

DE Pſalmodiæ bono dicamus quæ nobis Deus donare dignatur. Nos itaque, Cariſſimi, qui tam Propheticis, quàm Euangelicis & Apoſtolicis ſumus omnes eruditi magiſterijs, quorum nobis dicta & facta ante oculos proponamus, per quos ſumus omne quod ſumus: & quàm ſint grata & accepta Deo ſpiritalia cantica, à primordio repetentes, ijſdem auctoribus aſſeramus. Si autem quæramus quis omnium primus hoc genus inuexerit, non inuenimus alium niſi Moyſen, qui canticum Deo inſigne geſtauit, quando percuſſa Ægypto decem plagis, & Pharaone demerſo, populus per inſueta maris itinera ad deſertum gratulabundus egreſſus eſt, dicens: *Cantemus Domino; gloriosè enim honorificatus eſt.* Primus igitur Moyſes dux Tribuum Iſraëlis choros inſtituit, & vtrumque ſexum diſtinctis claſſibus, ſe ac ſorore præeunte, cantare Domino canticum triumphale perdocuit. Poſtmodum Debbora nobilis fœminâ in libro Iudicum hoc miniſte-

Qui Pſalmodiæ Auctores.

Digitized by Google

rio functa reperitur. Ipse tamen Moyses è corpore recessurus terrificum carmen in Deuteronomio iterauit; quod scriptum testamenti vice populo dereliquit, vnde scirent quæ pœna & quales eos contribulationes sequerentur, si à Domino recessissent. Omnes miseri atque miserandi qui tali tamque euidenti denunciatione prætermissa noluerunt à peccatis & ab inlicitis superstitionibus præcauere.

Iam verò posteà multos inuenies non solùm viros, sed etiam fœminas spiritu diuino completas, Dei ceciniſſe mysteria, etiam ante Dauid, qui à pueritia in hoc munus à Domino specialiter electus, & cantorum princeps, carminum thesaurus esse promeruit. Quid adhuc puer in cythara suauiter fortitérque canens, malignum spiritum, qui operabatur in Saüle, compescuit: non quò cytharæ illius tanta virtus erat, sed quia figura crucis Christi, quæ in ligno & extensione neruorum mysticè gerebantur, iam tunc spiritum Dæmonis opprimebat.

Psalmorũ Dauidis vtilitas maxima.

Quid in his Psalmis non inuenies quod faciat ad vtilitatem & ædificationem, ad consolationem humani generis, conditionis, sexus, ætatis? Habet in Psalmis infans quid lacteat, puer quid laudet, adolescens quid corrigat viam; iuuenis quid sequatur, senior quid precetur. Discit fœmina pudicitiam, pupilli inueniunt Patrem, viduæ Iudicem, pauperes perspectorem, aduenæ custodem. Audiunt Reges iudicésque quid timeant: Psalmus tristes consolatur, lætos temperat, iratos mitigat, pauperes recreat, diuites vt se agnoscant, ammonet, & ne superbiant, increpat, omnibus omninò suscipientibus se aptam medicinam contribuit Psalmus, nec peccatores despicit, sed remedium eis per pœnitentiam lacrymosam salubriter ingerit. Dominus itaque Deus noster per Dauid seruum suum confecit potionem, quæ dulcis esset gustu per cantationem, & efficax ad curanda vulnera peccatorum per suam virtutem: Suauiter enim Psalmus auditur dum canitur, penetrat animum cùm delectat; facilè Psalmi memoriâ retinentur, si frequenter psallantur; & quod legis austeritas ab humanis mentibus extorquere non poterat, hi per dulcedinem cantionis excludunt. Nam quicquid Prophetæ, quicquid Euangelia ipsa præcipiunt, in his carminibus suaui

meditantium

Digitized by Google

meditantium dulcedine continetur.

Deus oſtenditur vt timeatur, ſimulacra ridentur, iuſtitia ingeritur, iniquitas prohibetur, miſericordia laudatur, incredulitas abdicatur, veritas requiritur, mendacia damnantur, dolus accuſatur, innocentia collaudatur, ſuperbia deijcitur, humilitas ſublimatur, pœnitentia prædicatur, pax ſequenda depromitur. Contra inimicos protectio poſtulatur, vindicta promittitur, ſpes certa nutritur, & quod his eſt omnibus excellentius, in pſalmis Chriſti ſacramenta cantantur. Nam & generatio eius exprimitur, & reiectio plebis impiæ, & Gentium hæreditas nominatur, virtutes Domini cantantur, Paſſio venèranda depingitur, Reſurrectio glorioſa monſtratur, ſedes quoque ad dexteram mirabiliter depingitur. Deinde igneus Domini manifeſtatur aduentus, terribile de viuis & mortuis iudicium panditur. Quid plura? Etiam ſpiritus creantis emiſſio, & terræ renouatio reuelatur, poſt quæ erit in gloria Domini ſempiternum iuſtorum regnum, peccatorum perenne ſupplicium.

CAPVT II.

HÆc ſunt cantica Dei quæ canit catholica Eccleſia Dei. Hæc ſunt quæ hîc noſter Conuentus ſono etiam vocis exercet, hæc non ſolùm Cantorem non reſoluunt, ſed potiùs ſtringunt. Hæc cantica placent Deo, vbi totum quod agitur ſpectat ad gloriam Creatoris. Meritò idem Propheta omnes & omnia ad laudem Dei cuncta gubernantis hortatur dicens: *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Seipſum quoque pollicens laudatorem dicebat: *Laudabo nomen Domini cum cantico, & magnificabo eum in laude.* Laudate Dominum in vita veſtra, immolate Deo ſacrificium laudis pro anima & vita veſtra, & per ipſum oſtenditur vobis in anima veſtra, quà ad eius peruenìatis ſalutare.

Delectat Dominum noſtrum de pura conſcientia laus emiſſa, ſicut idem hortatur Hymnigraphus, dicens: *Laudate Dominum quia bonus eſt pſalmus; Deo noſtro ſit iocunda decoraque laudatio.* Hanc ſcientiam gerens, hoc officium Deo placitum ſciens idem Pſalmiſta teſtatur: *Septies in die laudem dixi tibi.*

Et adhuc ampliùs aliquid pollicetur: *Et lingua*, inquit, *mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.* Sentiebat enim sine dubio de tali opere beneficium, sicut ipse commemorans dicit: *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.* Tali tutamine & tali clypeo armatus & fortissimum illum Goliam gigantem strauerat, & sæpe de alienigenis victoriam reportarat.

CAPVT III.

Psalmodiæ vsus antiquus.

LOngum erit, Carissimi, singula quæ sanctorum historia continet dicere, præsertim cùm res exigat de nouo Testamento aliqua ad veterem confirmationem & ad vestram instructionem debere proferri. Ergo inuenies primùm Zachariam patrem magni Ioannis post longum illud silentium in hymnivice prophetasse, nec Elisabeth, diu sterilis, edito de promissione filio Deum de ipsa anima magnificare cessauit; nato in terris Christo laudem sonuit exercitus Angelorum; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Annunciantes pueri in templo, *Osanna filio Dauid clamauerunt*; nec Pharisæis liuore strepentibus Dominus ora Innocentium clausit, sed potiùs aperuit, dicens eis: *Non legistis scriptum, ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Etsi isti tacuerint, lapides clamabunt. Ipse Dominus in verbis Doctor, in factis consummator, vt hymnorum ministerium gratissimum comprobaret, cum Discipulis hymno dicto exiuit in montem Oliueti. Quis iam tali documento de Psalmorum & hymnorum religione dubitabit? quando ille qui à Cœlestibus cunctis adoratur & psallitur, ipse cum discipulis hymnum cantasse perhibetur?

Et Ioannes in Apocalypsi refert se spiritu reuelante vidisse, & audisse vocem aquarum multarum, & tonitruorum validorum, dicentium Alleluya, ex quo nullus debet ambigere hoc vigiliarum sanctarum ministerium, si digna fide & deuotione vera celebretur, Angelis esse coniunctum, quos constat sine somno, sine occupatione indesinenter laudare Deum in cœlis, & benedicere saluatorem. Quæ cùm ita sint, Fratres, iam pleniore fiducia hymnorum mysterium fideliter im-

Digitized by Google

pleamus, magnam nos credentes à Deo gratiam conſecutos, quibus conceſſum eſt cum tantis ac talibus ſanctis, Prophetis dico atque Martyribus, Dei æterni miracula. Hîc cum Dauid Domino cõfitemur quoniam bonus eſt; cum Moyſe potentiam Domini magnis illis canticis perſonamus; cum Anna, quæ Eccleſiæ ſpeciem gerit, olim ſterilis, nunc fœcunda, in Dei laude corde confirmamur; cum Eſaïa de nocte vigilantes pſallimus; cum Abacuc, cum Hieremia, cum Iona ſanctiſſimis vatibus orando cantamus: Cum tribus æquè pueris, quaſi in fornace poſiti, conuocatâ omni creaturâ Creatori omnium benedicentes pſallimus. D. eſt hîc.

Quid hac vtilitate commodius, quid hac delectatione iocundius, quia & pſalmis delectamur, & orationibus irrigamur; & interpoſitis lectionibus paſcimur? Et verè ſicut boni conuiuæ ferculorum varietate delectantur, ita noſtræ animæ multiplici lectione, & hymnorum exhibitione ſaginantur.

Tantùm, Cariſſimi, intermittentes fabulas ſuperfluas, intento ſenſu & vigilanti mente pſallamus, & Deo non diſpliceamus. Sic enim nos hortatur pſalmus dicens: *Quoniam Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter*; id eſt, intelligenter, vt non ſolùm ſpiritu, hoc eſt, ſono vocis, ſed & mente pſallamus, & ipſum quod pſallimus cogitemus, ne captiuata mens fabulis & extraneis cogitationibus laborem habeat infructuoſum. Sonus etiam vel melodia conſentiens ſanctæ religioni pſallatur, non quæ tragicas difficultates exclamet, ſed quæ in vobis veram Chriſtianitatem demonſtret; non quæ aliquid theatrale redoleat, ſed compunctionem peccatorum faciat. Sed & vox omnium veſtrum non diſſona debet eſſe, ſed conſona. Non vnus inſipienter protrahat, & alter contrahat, aut vnus humiliet, alter vocem extollat; ſed innitatur humiliter vnuſquiſque vocem ſuam intra ſonum chori concinentis includere, non extrinſecus extollentes, aut protrahentes quaſi ad ſtultam oſtentationem indecenter efferre, neque hominibus placere velle. Totum enim tanquam in conſpectu Dei, non hominibus placendi ſtudio celebrare debemus. Habemus enim & de hac vocis conſonantia formam poſitam, vel exemplum, tres illos vtique beatiſſimos pueros, de quibus refert

Quàm attentè pſallendum eſt

Modus pſallendi

Propheta Daniël: *Tunc*, inquit, *hi tres quaſi ex vno ore hymnum dicebant, & glorificabant Deum in fornace, dicentes: Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum.* Videtis quia pro magiſterio ponitur quòd tres pueri pariter Deum ex vno ore humiliter ſanctéque laudauerint. Et nos vtique omnes quaſi ex vno ore eundem pſalmorum ſonum, eandémque vocis modulationem æqualiter proferamus: Qui autem æquare ſe non poteſt cæteris, meliùs eſt ei tacere, aut lenta voce pſallere, quàm clamoſa voce omnibus perſtrepere: Sic enim & miniſterij implebit officium, & humiliter pſallenti fraternitati non facit offendiculum. Si ergo & noſtra omnium vox fuerit inoffenſa, vel conſona labiorum cymbalis bene ſonantibus, & nos delectabit, & audientes ædificabit, & Deo noſtro ſuauis erit tota laudatio, qui in domo ſua, ſicut legitur, vnanimes habitare facit: Quando enim pſallitur, pſallatur ab omnibus; cùm oratur, oretur ab omnibus; cùm lectio legitur, facto ſilentio æquè audiatur ab omnibus, vt legente lectore omninò clamoſis vocibus nemo perſtrepat, & antequam legatur omnes conuenite. Si quis autem ſuperuenerit cùm lectio celebratur, adoret tantùm Deum, & præſignata fronte, aurem legi Dei ſollicitè commodet.

Patet tempus orandi cùm omnes oramus, patet tempus cùm volueritis, & quoties volueritis priuatim orare, ne obtentu lectionis doleas te perdidiſſe * lectionem, quia non ſemper eam quilibet paratam poteſt habere: nam grande tempus ſemper in promptu eſt: nec putetis paruam vobis naſci vtilitatem ex ſacræ lectionis auditu; quia oratio ipſa fit pinguior, dum mens recenti lectione ſaginatur, & currit per imagines diuinarum rerum quas nuper audiuit. Nam & Maria ſoror Marthæ, quæ ſedens ad pedes IESV ſorore neglecta verbum Domini intentiùs audiebat, bonam partem ſibi elegiſſe Domini voce firmatur. Ideò enim & Diaconus clara voce in domo Dei ſancti præconij ammonet cunctos, vt ſiue orando, ſiue in flectendis genibus, ſiue in pſallendo, ſiue in lectionibus ſollicitè audiendis, vnitas ſeruetur ab omnibus; quia vnanimes homines diligit Deus, & in ſua Domo eos efficit habitare; in qua domo qui habitant beati pronunciantur in pſalmo, quia ipſi laudabunt Dominum in ſæcula ſæculorum, Amen.

* orationem. Ex lectione vberior orationis fructus.

Digitized by Google

SERMO
S. THEODORI STVDITÆ
DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO.

Interprete Anaſtaſio Bibliothecario.

Epiſtola eiuſdem.

SANCTO ac venerabili Aroni Antiſtiti Beneuentino ANASTASIVS *ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Bibliothecarius in Domino ſalutem.* Feruens ſanctimonia tua circa Bartholomæum Apoſtolum multi amoris affectu me nuper hortata eſt, vt quia iam eius penes ſe celebris habebatur memoria, ſi quid in laude ipſius ſaltem Græcè inueniretur, quod vel Latinè, vel Græcè ſit interpretatum, ſibi miſiſſem. Verùm quamuis in laude ipſius multa inueniantur, quæ vel Latinè, vel Græcè deſcripta ſunt, vnus tamen ſermo nuper editus eſt, qui vtrum Latinè reperiatur nullo hactenus declaratur indicio. Hunc ergo interpretari, & Paternitati tuæ deſtinare decreui. Si autem quæris quis tanti Sermonis habeatur Expoſitor; libenter aperiam. Theodorus videlicet quidam Sacerdos apud Conſtantinopolitanam vrbem temporibus fuit Adriani, & Leonis Romanorum Pontificum, vir valde mirabilis, qui non ſolùm fidei conſtantia, verùm etiam ſcientiæ gratia, & ſignorum polleret virtutibus; duorum Imperialium, inſigniúmque Cœnobiorum, Studij ſcilicet & Saccudiorum, conſtitutus eſt Abbas. Qui ſemper in Apoſtolicæ ſedis Communione perſiſtens hæreticorum nænias, & Imperatorum veſaniam fidei conſtantiâ etiam tormentis affectus mentis virtute repreſſit; necnon & ſancti Spiritus gratia plenus Opuſcula nonnulla compoſuit, inter quæ & ſermonem hunc de B. Bartholomæo ſatis vtilem, obſcuris dictionibus (quem interpretari tibi voluiſti) Græco edidit famine, qui Græco vocabulo ἔγκωμιον dicitur, quod Latinè præconium ſiue laus exprimitur. Qui

ad Latinitatis notitiam fideliter tranſlatus, vt ſcrupulum omnem de nutantium pectoribus auferat, & improbas inuidorum ac detrahentium linguas comprimat, atque ignorantiam inſtruat inſciorum, conſequenter legendus eſt. Et reuera, quia Salomon ait: Memoria iuſtorum cum laudibus: Scio quoſdam non ſcientes vtriuſque idiomata linguæ interpretationi meæ derogaturos, & me ea paſſurum quæ quondam ille cæleſtis Bibliothecæ cultor à ſuis æmulis pertulit. Verùm quiſquis ille fuit, eius ſalubribus monitis eruditus non ſe quis ad detrahendum velut improbus ingerat, ſed ad corrigendum quaſi probus accedat; nec poſt dorſum fratris carnes inuidentiæ dente decerpat, ſed palam, ſi poteſt, quod à vero diſcrepat, affectu charitatis emendet. Non enim maiorem gratiam conſecutum inuideo; ſed grates authori rependo, qui etſi non per me, per quoſcunque tamen Latinos de die in diem donis replet, quibus ſe Græci ditatos eſſe magnopere gloriarentur. Tu tamen, obſecro, ſi hæc tranſlatio parua placet eam legendam Eccleſiæ trade, & pro me Deo hanc legenti ſaltem ſemel Kyrie eleïſon dicere iube. Salue Præſul amate Deo ſine margine, ſalue & memor eſto fratris tui Anaſtaſij.

PRÆFATIVNCVLA.

BEATI BARTHOLOMEI *Apoſtoli venerabile omniúmque laudum ſolemni attollendum corpus præconio; qualiter de Armenia Indorum prouincia poſt deceſſum Polimÿ Regis, atque Pontificis, aliquantis elabentibus annis per iniquorum atque infidelium perfidiam, immò diuinæ diſpenſationis nutum, Lippareos mirabiliter ſit euectum in Inſulam, vnde hodierna ſolemnitas celebratur, cuiuſdam Theodori Reuerentiſſimi Sacerdotis veridica eſt relatione reſeratum: habet enim ſic huiuſmodi narratio illius.*

SERMO S. THEODORI.

MAXIMVS quidem labor, &, vt addam, gloria eſt ſanctorum laudes contexere, virtutes prædicare, ſed maiori deuotione Martyr quiſque debet attolli, in cuius beatificatione omnis ſermo non ſufficit. At verò & Apoſtolum

Digitized by Google

irreprehenſibiliter collaudare, quantæ putas eſſe poterit etiam inſignium magiſtrorum induſtriæ, ſcilicet quem ſpiritus ad contemplationem laudibus & modulatis vocibus extulit? Cuius enim ſonus in omnem terram exiuit, vt verborum virtute fines ordinaret orbis, oportet vtique vt & laus eius ex æquo intelligatur, & fideliter proferatur: & ad hæc quis tam idoneus, quis ſufficiens, quis robuſtus? Nunquidnam quia nec Petrus, nec Ioannes eſt Diuinus Bartholomeus; idcircò paucioribus eſt ſermonibus prædicandus, & quaſi non ſit multi præconij, minus aliquid efferendus? Apoſtolum Chriſti audis ex toto, & non pertimeſcis eum qui miſit illum? Teſtem veritatis ſenſu capis, & non miraris eum qui eſt dignè canendus, quin & ſi multorum vnus erat, nulli tamen famulorum Dei minori laude comparandus: An quia eſt diuini duodenarij numeri medius? Eſt enim & hic duodenarij in ſenario medietas, ſicut in citharæ harmonia ſimilis, æquum & ab vtraque parte ſonum diuinæ ſermocinationis ſimilem dans. At verò ſi volueris vt in Apoſtolico ordine, ſicut in annuali circulo vniuſcuiuſcunque menſis, ex æquo vtilis omnimodis conferatur numerus, & propria alter alterius quantitate & qualitate ſuam habeat differentiam, non planè nobis is qui laudatur exiguus, ſed & nimis ſublimis virtute ſpiritus apparebit, habens quid in ipſa ſupputatione myſticum Dei verborum typum ſecundum arithmeticam artem. Solus enim ſenarius numerus à primamonade perfectus partibus ſuis cõplens ex his ipſis medietatem quidem ſuam quæ eſt tria, tertiam verò partem ſuam perficiens ex duobus, ſextam autem ex monade conſummans. In quo verò numero hic Apoſtolus ſi ſecundum Euãgelicum dinumerauerimus catalogum ſextus reperitur: Porrò & ſi ſecundum Actuum Apoſtolorum catalogum numerauerimus, ſeptimum ponemus Bartholomæum, erítque ipſe iterum principium & vertex ſecundæ exados. Ita vt hinc poſſimus argumentari eum ad Petrum habere comparationem, dum ex prima quidem exade principium reputatur in Petro, ex ſecunda verò, quia ſummitas eſt eorum qui poſt ipſum ſunt, dinumerantur, principium taxatur in Bartholomeo. Nota, dilectiſſime, Petrus docet nationes; ſed & Bartholomæus conſequenter paria inueſtigat.

S. Bartholomæus cõparatur B. Petro.

Digitized by Google

Petri ſpecioſi pedes bona Euangelizantis, ſed & Bartholomæi æquè iocundi ſublimia de Deo loquentis. Petrus operatur prodigia magna, ſed & Bartholomæus facit miracula valida. Petrus deorſum capite crucifigitur, ſed è diuerſo Bartholomæus pœnas pro Chriſto ſuſtinens poſtquam viuens excoriatus eſt, capite plectitur. Quotquot igitur Petrus agit, totidem operatur & Bartholomæus. Ad quot valet Petrus myſteria capeſſenda, ad tot Bartholomæus ſufficit penetranda, æqualiter exequitur diuini verbi rationem, æqualiter fundat Eccleſiam, æqua lance habuit & cætera diuina chariſmata.

Veni ergo placatus, eſto ferax verbi, ô Beate, reſera linguam meam mutam, da mihi materiam præconia tuæ magnitudinis enarrandi, non vt ipſe proficias aliquid habens intrinſecus beatitudinum plenitudinem, ſed vt quoquomodo declaretur amor circa te diuinitus prædeſtinatus, vt & ego pauperrimus puer tuus paternis orationibus fruar in laude celebritatis tuæ. Non enim poterit ſine participatione illuminationis permanere, qui ad ſplendorem radij ſolis acceſſerit, vel papillas erexerit.

Alius igitur Apoſtolorum hîc, alius verò alibi percepit partem orbis in prædicatione cognitionis Dei, & omnes vniuerſitatem ſibi diſpertientes, prædicatores Regis Regum Chriſti conſtituti ſunt: *Conſtitues* enim *eos principes ſuper omnem terram* ſcriptura pronuntiauit. Ei autem qui nunc celebri fama laudatur ſors & portio Armeniæ locus, qui eſt ab Euilath vſque Gabaoth, & in multis gentibus & ciuitatibus eſt diſtributus. Iſte ergo cùm mitteretur myſticè verbum Dei annuntiare hæc diuinitus audiuit à Domino: Vade Diſcipule ad prædicandum, exi ad pugnam, capax eſto periculorum: conſule figmento meo, cuius miſertus homo factus ſum, & pro quo mortis dedecus elegi. Ego paternum opus conſummaui; primus veritatis teſtis factus ſum; vos quod neceſſarium eſt implete, & quæ poſt verba prædicationis meæ mundo deſunt ad ſimilitudinem meam ſupplete. Imitare Magiſtrum tuum, æmulare Dominum tuum, æqua paſſione ſanguinem pro me pone, & carnem cruciatibus trade, patere quæque ſuſtinui pro te paſſus. Oſtende in teipſo manifeſtas actiones characteris mei. Arma tibi ſint benignitas in ſudoribus,

Pſal. 44.17.

In Armenia prædicat Euangelium.

Bartholomæum alloquitur Chriſtus.

bus, manſuetudo inter maledicos, patientia in his qui te peremerint; Vt ouis in medio luporum efficere, virtutibus armatus ad bella acuere. Non reſultauit Apoſtolus; non dixit, quomodò lupos nanciſci poterit agnus, vnus decem millia? quomodò præcipiet peregrinus primis ciuium, exul ducibus, Regibus is qui vnam poſſidet tunicam: Sed vt famulus fidelis Dominico acquieſcens præcepto, pergit gaudens, nihil deferens ſecum, niſi tantùm Chriſti pretioſum nomen pro omni armatura.

Itaque aggrediens verbo prædicationis prouinciam ſorte perceptam, quanta illic geſſerit, quanta ſubiens pertulerit, ſequens ſermo depinget; quorum quidem ſunt quædam ſecundum traditionem antiquæ relationis acta, quædam verò ſecundum rationem Euangelicarum doctrinarum geſta conſiſtunt. Si enim lux mundi eſt iuxta quod veritas Diſcipulis ait: *Vos eſtis lux mundi*; profectò ea quæ lucis ſunt operatus eſt in his qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant: Et ſi ſal terræ eſt, manifeſtum eſt quia gentes irrationabiles veritatis ratione ſaliens emundauit. Et ſi operarius euangelicè nominatus eſt, conſequenter & agriculturam ſpiritualem perfecit; quod enim à magiſtra veritate communiter omnibus dicitur, & per ſingulas perſonas rationabiliter accipiendum eſt. Itaque vide eum ſecundum allegoriam aliquando quidem non terram arare bobus trahentibus ferrum, ſed linguæ aratro rationabilia rura ſulcantem, iugo videlicet contemplationis & actionis, nec ſeminantem aliquid defluentium & corruptibilium, ſed fidei verbum in profundum cordis recondentem: aliquando verò plantantem paradiſos & vineas Domini, illos ſcilicet qui iam receptione verbi ad meliora incrementum fecerunt, & ab ineunte ætate per ſingula tempora fructus multiplices ediderunt: aliquando autem medicinaliter exhibita ſingulis paſſionum remedia conferentem.

Verùm eundem noſſe velis cæcos oculos illuminantem: leproſos mundantem: febres expellentem: claudis vadere, ſurdis audire præbentem: atque reliquorum languorum multimodas expellendo ſpecies, duplici ſanitate naturæ propriæ languidos reſtituentem, & certè paſtoralem morem ſuſcipientem & ſemitas Deo perficiente, deducentem, reuocan-

tem, pugnantem, propellentem beſtias hæreſeos, dæmoniúmque phalanges: imperfecta rigare manu, educare creſcentes in ætate Chriſti, ſpinas intelligibiles euellere, vel ſiluas impactas ſecare, ſepes dogmaticas circumponere, & quicquid eorum de eſſe conſtiterit quæ opportunè ſunt ſequenda facilè præuidere. Ipſe autem ædificator & Architectus ædificij ac fabricationis non manufactæ, Templorum videlicet Domini, quæ per ſpiritum & veritatem conſtruuntur, ac perficiuntur in populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Intuere mecum, ó homo, ciuitates & habitacula, quæ olim populus ſeductus infidelitate poſſedit, nequiter turrim ponens in Dei cognitione, & aduerſariorum inſidias facilè dimiſſas, campos florentes, vineas condenſitate pullulantes, hortos odorem dantes, ægrotantes omni langore, & omni infirmitate ſanitati priſtinæ reformatos; quæ talia ſunt, vt ita quis dicat, prima ſpolia & exuuiæ tanti agonis labores & in fame, & in ſiti, in frigore & nuditate, in contumelijs & opprobrijs, in carceribus & vinculis. in perſecutionibus & adductionibus de loco in locum, de ciuitate in ciuitatem, de theatro in theatrum; in tormentis & verberibus; & ad extremum in occiſione & gladio. Propter quæ namque oportuerat eos remunerare bonis Magiſtrum, Saluatorem & Medicum: pro his operantur atrocia, conuitiantur, detrahunt, percellunt, torquent, rodunt. Quid non diſcentes? quid non agentes? quid non excogitantes? quid non adinuenientes eorum quæ ad acriorem afflictionem, & tribulationis augmentum proficere crediderunt? Papæ, crudelitatem! O feralem inſaniam! quales mercedes Creatori obtulerunt, qui viſum, qui auditum receperant, pro honore inhonorantiam, pro benedictione maledictionem, pro requieſcibili vita amariſſimam mortem.

Albaniæ cute extracta crudele ſupplicium paſſus eſt.

Legitur etiam in geſtis eius antiquioribus & emendatioribus, quòd Lycaoniæ verbum vitæ prædicauit. Dehinc Indiæ euangelizans, ad vltimum in Armenia maiori, quæ eiuſdem eſt prouinciæ, in Albano ipſius Armeniæ vrbe poſtquam multa & intolerabilia tormenta ſubijt, decoriatus ab impiis in modum follis, capite plexus eſt; ſicque demum à fidelibus ibidem ſepultus. Qui videlicet glorioſus fidelium patronus

Digitized by Google

etiam poſt obitum apparuit magnus Dei prædicator. Non enim vel poſtquam migrauit ex hoc mundo neglexit occiſores; ſed vt paſtor bonus quantum temporis erat, inuitabat miraculis perditos, & prodigijs admittebat auerſos. Sed beſtialem mentem, & inhumanum cor nil erat quod compeſceret, nil quod retraheret vſquequo in profunda malorum decidérent. Quid ergo de cætero faciunt? Inſaniunt contra ſacrum illud corpus; furunt contra diuerſas iugiter præſtantem ſanitates ſacri corporis arcam. Reſpuunt remedium ægroti; orbi manum ducentem, cæci lucisdatorem, naufragi gubernatorem, morte affecti viuificatorem. Et hoc quomodo? proijciũt in pelagus ipſam, quâ ſacrum tegebatur corpus, lapideam arcam, vt in profundum penitus demerſa vlteriùs non compareret tanquam eis tantus Apoſtolus nulla præſtiterit beneficia. Inuidorum etenim vitium huiuſmodi eſt, vt voluntaria perditione ſua nec aliarum fieri ſalutem patiantur. Sed js qui per Dauid longè ante clamauit: *In mari viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis; & veſtigia tua non cognoſcentur*: Et hic tumidum mare meabile & peruium lapideæ arcæ præbuit. Et Petrus magnus clamãte ad eum Chriſto in mari ambulaſſe dignoſcitur. Quod & diuinus Bartholomæus ſimiliter arcæ corpus ſuum geſtanti gradiens contra fluctus exhibuit. O miraculum diuinum! ô opus magnificum! Mota eſt enim impetu ipſa arca de regione Armeniæ, cum quatuor aliorum Martyrum arcis, quæ ſimiliter dum ſigna operarentur cum ea in mare fuerant proiectæ & per tantum ſpatium maris quatuor his ambulantibus & præcedentibus, & obſequium Apoſtolo quadammodo facientibus, venerunt in vlteriores partes Siciliæ in Inſulam, quæ vocatur Lypparis, facta reuelatione ad ſanctiſſimum AGATHONEM qui illic erat Epiſcopus Hoſtenſis. Quis audiuit tantum prodigium? quis didicit tam magnificum opus? O miraculum in miraculo! Lypparis autem, id eſt, pinguis, quodammodo Inſula Lypparis ferens ipſa ſibi pinguedinis futuræ nomen. Ipſa forſitan hæc ineffabilibus vocibus clamabat: Veni ad me pauperculam theſaure ditiſſime ſancti Spiritus. Veni ad me, quæ ſum inhonorabilis, pretioſiſſima margarita. Veni ad me ſupplicem, qui à perfidis abjectus es iniquiſſimè; inhabita me, & multipliciter inhabita-

Pſal.76.20.

Proiectum in mare corpus ad Lypparam Inſulam appulit.

bor. Salua me, & populoſa ero : nomine fungar & vbique perſonabo. Si alij te magnum cœli luminare contempſerunt, & repulerunt, ſed ego ſplendorem tuum deſidero hactenus triſtis & moeſta. Si alij menſa viuorum eloquiorum tuorum potiti ſunt, ſed ego reliquiarum tuarum vt catellus micas colligere geſtio.

Quatuor Martyribus vna cum S. Bartholomæo Sicilia fuit ditata.

Poſt hæc quaſi quoſdam miniſtros ſuos, alium Martyrum hîc, alium verò illic relinquens Apoſtolus retrorſum, PAPINVM quidem dimiſit in Ciuitate Siciliæ quæ dicitur Mylas ; LVCIANVM verò deſtinauit Meſinam ; reliquos autem duos in Calabritidem terram direxit : GREGORIVM quidem in ciuitatem quæ dicitur Columna ; ACATIVM autem in ciuitatem quæ vocatur Cale ; quatinus vnuſquiſque eorum in vnaquaque ciuitate protector eſſet habitatorum, qui etiam vſque hodie ſplendent ſuffragijs ſuis. Ipſe præterea velut quis Rex domus propriæ requie potitus, profectus eſt ad ciuitatem ad quam cælitus vocabatur, ſuſceptus præclarè cum multis luminaribus, odoribus, atque hymnis ; cunctis etiam, qui illic aderant, ei obuiam in exultatione procedentibus.

De cætero dum peruentum eſſet ad vrbem, non progrediebatur arca ; quidam enim ſummopere trahebant ; illa autem erat immobilis. Et cùm eſſet populus in multa dementatione, reſumpſit tandem gaudium triſtitia, quia obtinuit quod petierat à Domino : *prope eſt* enim *Dominus inuocantibus eum*. Super duas itaque vitulas caſtas aſſumpta, repoſita eſt vbi ſacrum eius Templum protinus eſt locatum ; facto etiam cum conſummatione miraculo præcipuo. Denique cùm mons, qui Vulcanus vocatur, penè contiguus eſſet Inſulæ, nociuus erat his qui circumquaque morabantur. Tunc receſſu inuiſibili motus eſt quaſi ſtadiis ſeptem circa mare ſuſpenſus, ita vt vſque hodie appareat videntibus quaſi figuratio tractus fugientis ignis. Porrò quot & quanta deinceps mirabiliter operatus ſit, aut mira faciens operetur hactenus circa eos qui à diuerſis langoribus & infirmitatibus obſtricti ad ipſum fide confugiunt, nec neceſſarium eſt dicere ob prolixitatem tractatus, nec incredibile audienti, cùm pignus ex vno habeat aliorum exhibitiones mirè geſtorum. Sed aue, ô Beate Beatorum, térque quatérque Beate Bartholomæe, Aue qui es

Pſal. 144. 18.

Digitized by

Dei amator & imitator, boni ſcilicet Magiſtri. Aue qui es diuinæ lucis, ſplendor ſanctæ Eccleſiæ : Aue qui es bene ſonans organum ſpiritualis melodiæ: Aue artificioſe rhetor veræ ſapientiæ. Aue qui es peritæ capturæ piſcator rationabilium piſcium : Aue qui es multi chori, & dulcis fructus palmes, Chriſti viuidæ & paternæ culturæ vitis : Aue digne meritis famule Domini vniuerſorum : Aue merito deſiderabilis amice cæleſtis ſponſi: Aue qui es ſapientiæ fluentis & multiplicis potationis ac lumen ſpiritualis paradiſi : Aue qui es diuina virtute vulnerator Diaboli, mundum ſuo latrocinio vulnerantis : Aue qui multipliciter appares mundo Lucifer Dei cognitionis. Gaudeas diuinitùs illuſtrata & ignea columna Orthodoxiæ : Gaudeas ſol orbis terræ, qui cuncta illuminas : Gaudeas os Dei ſapientiæ linguam habens ignitam : Gaudeas iugiter emanans fons ſanitatum: Gaudeas Dæmonum terribilis inſecutor : Gaudeas qui es multipliciter optabilis formoſitas Armeniæ : Gaudeas qui ab oriente ad occidentem per mare ambulaſti gloriosè : Gaudeas qui es Lyppareos ſalutabilis, & multimodis adorabilis gloriatio : Gaudeas qui mare ſanctificaſti meabilibus greſſibus : Gaudeas qui terram purpuream feciſti rubore ſanctiſſimi ſanguinis tui : Gaudeas qui aërem ſuauitatis odoribus repleſti ſacris ſpiraminibus diuinorũ eloquiorum tuorum : Gaudeas qui ad cælos commeaſti, & medius in choro diuinæ aciei tuæ refulges in gloriæ inace eſſibilis ſplendore, in exultationis inſatiabili iocunditate. Illinc nos, benigniſſime, intuearis ; Illinc benedicas te beatificantes ; Illinc glorifices te glorificantes; Illinc concordes orbẽ terræ pacatum. Sacerdotes iuſtitiâ in ſanctitate induantur ; Reges bonis operibus in Orthodoxia contra Barbaros armentur ; Monaſticam vitam tenentes conuerſationem æqualem Angelorum ac ſine dolo cuſtodiant ; Viri mulieribus, & rurſum mulieres viris competentem legem conſeruent; patres cum filijs, prælatos cum ſubditis, dominos cum ſeruis, mutuum dantes cum debitoribus, venundantes cum emptoribus; cæteráque omnia beneuolentię tuæ affectu ad vtilitatem Reipublicæ protege, & cuncta quæ ſecundum beneplacitum Dei dirigi debent, patrocinio tuo defende; & præcipuè alumnos decoratæ Lyppareos, Paſtorem quoque ac gregem qui conſtruxit ſa-

crum Templum tuum, & eum qui te, licet breuiter, ex se laudare præsumit in Christo IESV Domino nostro, quem decet omnis gloria, honor & adoratio, cum omnipotente Patre, ac sanctissimo & viuifico Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

Hæc de Bartholomæi laudibus, eiúsque mirabiliter adducto in Lypparim corpore Theodorus fama sanctitatis ac sacerdotij dignitate conspicuus, fido relatu explicuit. Quâ verò deinceps occasione, quove sit ordine de eadem Insula Lypparitana translectum, cùm ibidem vsque ad annum octingentesimum octauum ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi requiesceret corpus eiusdem Beati Apostoli, de reliquo dicendum est.

Quomodo è Lippara insula trãslatum sit corpus B. Bartholomæi Beneuentum. An. 809.

Superuenientes itaque Sarraceni deprædati sunt & depopulauerunt prædictam Insulam, & rumpentes sepulchrum Apostoli dispersérunt ossa eius per diuersa. Mox illis discedentibus per visionem apparens isdem Apostolus Dei cuidam Græco Monacho, qui fuerat Ecclesiæ ipsius custos, ait illi: Surge, collige ossa mea quæ dispersa sunt. Cui ille respondit: Quare ossa tua colligere, aut aliquem tibi honorem impendere debeamus, cum tu permiseris nos & populum istum à Paganis deleri, & nobis nequaquam auxiliatus es? At ille dixit: Per longa annorum curricula pro hoc populo Dominum deprecatus sum, ac meis cum precibus vnde nunc vsque securi constiterunt, concessit omnipotens Deus; sed quia multiplicata sunt mala illius, creuítque iniquitas nimis, non iam obtinere pro eo valui, vt ampliùs saluus persisteret, idcircò perijt. Tu surge tantùm & collige, vt dixi, ossa mea, eaque vt tibi præcepero diligenter reconde. Cui ille Monachus ait: Et quomodo ea inuenire potero, qui nescio vbi dispersa sunt? Dicit ei Apostolus. Nocte vade ad colligendum ea, & quæ videris resplendere vt ignem, hæc leua, quia verè ipsa sunt ossa mea. Qui statim surgens perrexit ad locum, & inuenit sicut Apostolus dixerat, & collegit ea indubitanter, & recondita in loculo diligenter abscondit, & abijt relicto ibi socio suo. Cúmque pro exquirendis Sarracenis illuc Longobardorum irent nauigia, nutu Dei inuentum ibi Monachum & sancti Apostoli corpus tulerunt, & abierunt. Superuenientes

autem Sarraceni circumdederunt nauim illam in qua sanctum Apostoli corpus ducebatur, ita vt spes euadendi nequaquam esset. Tunc subito factæ sunt densissimæ tenebræ ante Sarracenorum naues, ita vt nescirent quò pergerent. Sícque liberata est nauis illa. Quibus adhuc in mare commeantibus, vnum ex nautis eiusdem nauis à graui valetudine obtentu ipsius Apostoli diuina saluauit clementia. Exeuntes autem ad terram ingenti cum honore Beneuentum duxerunt sanctum corpus Apostoli, atque in altario recondiderunt, Anno ab Incarnatione Domini octingentesimo nono, vigesimo quinto videlicet die mensis Octobris. Cuius prior quidem ex Indorum parte transuectio in Lypparitanam Insulam celebratur decimatertia die mensis Iunij: dormitionis verò eius festiua celebritas colitur, vt præmissum est, Nono Kalendas Septembris; sícque ter in anno sacratissima dignè celebratur solemnitas ad laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi, qui cum Patre & Spiritu-Sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

S. ANSELMI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI TRACTATVS ASCETICVS.

CAPVT I.

De Monachi deſtinatione vel fine.

MNES artes ac diſciplinæ *Scopon* quemdam, id eſt deſtinationem; & *Telos*, id eſt, finem proprium, habent. Ad quem reſpiciens vniuſcuiuſque artis induſtrius appetitor, cunctos labores & pericula atque diſpendia æquanimiter libentérque ſuſtentat. Nam & agricola nunc torridos ſolis radios, nunc pruinas & glaciem non declinans, indomitas agri glebas frequenti ſubigit vomere dum ſcopon ſeruat, vt eam cunctis ſentibus expurgatam exercendo comminuat: Finem, id eſt, perceptionem copioſarum frugum inde adepturum ſe eſſe confidens. Referta etiam horrea frugibus libenter exhaurit, ſulcíſque commmendat, præſentem diminutionem futurarum meſſium contemplatione non ſentiens. Negotiatores non incertos pelagi caſus, non vlla diſcrimina perhorreſcunt: milites peregrinationum exilia ac bellorum pericula non ſentiunt, dum illi ad finem quæſtus, & iſti ad propoſitum ſibi honorem,

norem, ſpe præpeti prouocantur. Ita ergo & noſtri propoſiti finis quidem ſecundum Apoſtolum *Vita æterna eſt*; ita eodem pronuntiante: *Habentes quidem fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Scopos verò eſt puritas cordis, quam ſanctificationem non immeritò nuncupauit, ſine qua prædictus finis non poterit apprehendi. Ac ſi dixiſſet alijs verbis: Habentes quidem ſcopon veſtrum in puritate cordis, finem verò, id eſt, telos, vitam æternam. Quicquid ergo nos ad hunc ſcopon, id eſt, puritatem cordis, poteſt dirigere, tota virtute ſectandum eſt. Pro hac enim vniuerſa agimus atque toleramus; pro hac parentes, patria, dignitates, diuitiæ, & voluptas vniuerſa contemnitur, vt ſcilicet puritas cordis perpetua retentetur. Hac igitur nobis deſtinatione propoſita, ſemper actus noſtri & cogitationes ad eam obtinendam velut ad certam lineam rectiſſimè dirigantur. Quæ ſi præ oculis noſtris iugiter ſtatuta non fuerit, non ſolùm cũctos labores noſtros varios pariter atque inſtabiles reddens, incaſſum eos ac ſine fructu compellet effundi: ſed etiam cogitationes omnes diuerſas ſibique contrarias ſuſcitabit. Neceſſe eſt enim mentem quò recurrat cuíue principaliter inhæreat non habentem, per ſingulas horas atque momenta pro incurſuum varietate mutari, atque ex his quæ extrinſecus accidunt, in illum ſtatum continuò transformari, qui ſibi primus occurrerit. Hinc námque eſt, quòd nonnullos mundi huius maximas facultates contemnentes, poſt hæc videmus pro graphio vel acu commoueri, priſtinum ſcilicet affectum in rebus minimis retentantes. Qui ſi contemplationem mundi corde fixam tenerent, nunquam vtique pro paruis rebus admitterent, quod ne pro magnis incurrerent opibus, eaſdem penitùs abijcere maluerunt. Rom. 6. 22.

Quod Religioſorum ſtudium.

Hic ergo nobis principalis debet eſſe conatus, vt diuinis rebus ac Deo mens ſemper inhæreat, fornicationem iudicans vel momentaneum à Chriſti contemplatione diſceſſum. Totum námque in animæ conſiſtit receſſu; Vnde expulſo diabolo, ac nequaquam in ea iam regnantibus vitiis, conſequenter regnum Dei fundatur in nobis, dicente Euangeliſta: *Regnum Dei intra vos eſt.* Intra nos verò nihil aliud poteſt eſſe, quàm ſcientia aut ignoratio veritatis, & vel vitiorum Luc 17. 22.

Digitized by Google

amicitia vel virtutum, per quam aut diabolo aut Christo præparamus regnum in corde. Cuius etiam regni qualitatem
Rom.14.17. describit Apostolus, ita dicens: *Non est enim regnum Dei*
Ioan.16.20. *esca & potus; sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu-Sancto.* De alio námque dicitur: *Mundus iste gaudebit.* Et *Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis.* Itaque si regnum Dei intra nos est: & ipsum regnum Dei iustitia, & pax, & gaudium est; ergo qui in istis commoratur, sine dubio in regno Dei est. Et è contra, qui in iniustitia, discordia, & tristitia mortem operante versantur, in regno Diaboli, & in inferno, ac morte sunt constituti: In quo qui fuerit, nec laudare Deum potest
Psal.113.17. secundum Prophetæ sententiam dicentis: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*, sine dubio peccati. *Sed nos*, inquit, *qui vivimus*, non vitiis scili-
Psal.66. cet, nec mundo huic, sed Deo, *benedicimus Dominum ex hoc nunc & vsque in sæculum. Non* enim *est in morte qui memor sit* Dei. *In inferno autem quis confitebitur* Domino? id est nemo. Nullus enim tametsi millies semetipsum vel Christianum esse profiteatur vel Monachum, cùm peccat, confitetur Deo; nec seruum se veraciter illius profitetur, cuius præcepta contumaci temeritate contemnit. Regnum sanè cœlorum tripliciter accipiendum est: Aut quòd regnaturi sint cœli, id est sanLuc. 19.19. Matth. 19. 28. cti, in aliis subditis secundum illud: *Esto tu super quinque ciuitates, & tu super decem*: Illúdque quod dicitur ad Discipulos: *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël*: Aut quòd ipsi cœli incipiant à Christo regnari, cùm scilicet omnibus eis subiectis, cœperit esse omnia in omnibus Deus: vel certè quòd sancti in cœlis sint cum Domino regnaturi. Quamobrem in hoc corpore constitutus iam nouerit vnusquisque illi se regioni vel ministerio deputandum, cuius in hac vita participem semetipsum cultorémque præbuerit; illiúsque se etiam in illo perenni sæculo consortem futurum esse non ambigat, cui nunc ministrum se sociúmque maluerit
Ioan.12.26. exhibere, secundum sententiam Domini dicentis: *Si quis mihi ministrat, me sequatur; & vbi sum ego, illic & minister meus erit.*

Digitized by Google

CAPVT II.

De cogitatione.

MEntem quidem non interpellari cogitationibus, impoſſibile eſt; ſuſcipere verò eas ſiue reſpuere, omni ſtudenti per gratiam Dei poſſibile eſt. Quod exercitium cordis non incongruè molarum ſimilitudini comparatur, quas meatus aquarum præceps impetu rotante prouoluit. Quæ nullatenus quidem ceſſare poſſunt ab opere ſuo aquarum impulſibus circumactæ. Ih eius verò qui præeſt ſitum eſt poteſtate, vtrúmnam triticum malit an hordeum, loliúmve comminui. Illud quippe eſt commolendum, quod ingeſtum ab illo fuerit, cui operis illius cura commiſſa eſt. Ita igitur etiam mens per vitæ præſentis incurſus vndique ingruentibus tentationum torrentibus circumacta, vacua quidem cogitationum æſtibus eſſe non poterit; quales verò vel admittere vel parare ſibi debeat, ſtudij ſui prouidebit induſtria. Si enim ad ſanctarum ſcripturarum meditationem iugiter recurramus, ac memoriam noſtram ad recordationem ſpiritualium rerum, & deſiderium perfectionis, ſpémque futuræ beatitudinis erigamus: neceſſe eſt, vt ortæ cogitationes exinde ſpirituales in his quæ meditati ſumus mentem faciant immorari. Sin verò deſidia ſeu negligentia ſuperati, vitiis & otioſis confabulationibus occupemur, ſeu curis mundanis & ſuperfluis ſollicitudinibus implicemur: conſequenter exinde velut quædam zizaniorum ſpecies generata operationem quoque noſtro cordi noxiam miniſtrabit, & ſecundum ſententiam Domini ſaluatoris *Vbi fuerit theſaurus* operum & intentionis noſtræ, *ibi & cor noſtrum* neceſſariò permanebit.

Sacris Scripturis imbuendus eſt animus.

Matt. 6. 21.

Illud ſanè præ omnibus noſſe debemus, tria cogitationum noſtrarum eſſe principia, id eſt, ex Deo, ex diabolo, & ex nobis. Ex Deo quidem ſunt, cùm Spiritus ſancti illuſtratio nos viſitare dignatur, erigens nos ad ſublimiorem profectum, & in quibus vel minus acquiſiuimus vel deſidioſè agentes ſuperati ſumus, ſaluberrima compunctione caſtigat: Vel cùm referat nobis cœleſtia ſacramenta, & propoſitum noſtrum ad

Tria cogitationum principia.

Digitized by

meliores actus voluntatémque conuertit ; vt ibi, cùm Rex Assuerus castigatus à Domino libros Annales instigatur inquirere, quibus Mardochæi beneficia recordatur : summi eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudelissimam super nece Iudææ gentis sententiam reuocat. Ex diabolo verò cogitationum nascitur series, cùm subuertere nos tam vitiorum oblectatione, quàm etiam occultis conatur insidiis, subtilissima calliditate mala pro bonis fraudulenter ostentans, & transfigurans se in Angelum lucis. Vel cùm Euangelista refert:

Ioan. 13. 2. *Et cœnâ factâ cùm diabolus iam misisset in corde Simonis Iscariothis vt traderet Dominum.* Et iterum: *Post buccellam*, inquit, Ibidem. *tunc introiuit in illum Sathanas.* Petrus quoque ad Ananiam.

Act. 5. 3. *Quare*, ait, *Sathanas tentauit cor tuum mentiri te Spiritui-Sancto?* Et Salomon: *Si Spiritus potestatem* habens ascenderit super te, locum tuum ne dimittas.* Ex nobis autem oriuntur, cùm eorum quæ gerimus vel gessimus, vel audiuimus, naturaliter recordamur: de quibus beatus Dauid: *Cogitaui*, inquit, *dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & ventilabam spiritum meum.* Et iterum: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et, *Cogitationes iustorum iudicia.* Hanc ergo tripertitam rationem oportet nos iugiter obseruare, & vniuersas cogitationes quæ emergunt in corde nostro sagaci discretione discutere, origines earum vel causas auctoréque primitus indagantes, vt quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito qui eas suggerunt, considerare possimus ; ne qua fortè intellectualis ibidem bestia, vel leo, vel draco pertransiens, pernicioſa vestigia latenter impresserit, quibus accessus etiam cæteris in abdita pectoris nostri per cogitationum negligentiam præbeatur. Et ita per singulas horas atque momenta terram cordis nostri Euangelico aratro, hoc est, iugi Dominicæ crucis recordatione sulcantes, vel noxiarum ex nobis ferarum cubilia, vel virulentorum serpentium exterminare latibula poterimus. Huius ergo perfectæ mentis figura per illum Euangelicum Centurionem, pulcherrimè designatur. Cuius virtus atque constantia, quâ non quibuslibet ingruentibus cogitationibus abducebatur: sed pro suo iudicio vel admittebat bonas, vel contrarias absque vlla difficultate

Eccl. 10. 4. * al. habētis.

Psal. 76. 6.

Psal. 93. 11.

Prou. 12. 15.

Digitized by Google

pellebat, hac tropica ſignificatione deſcripta eſt: *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate habens ſub me milites, & dico huic vade; & vadit; & alio veni & venit; & ſeruo meo, fac hoc, & facit.* Si igitur nos quoque viriliter aduerſus perturbationes & vitia dimicantes, potuerimus ea ditioni noſtræ diſcretioníque ſubíjcere, vel inſtabilem cogitationum noſtrarum cohortem rationis imperio ſubiugare, ad ſpiritualis huius Centurionis ordinem prouehemur, quem in Exodo quoque per Moyſen legimus deſignatum: *Conſtitue tibi * Chiliarchas, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos.* Et ita nos quoque huius dignitatis apice ſublimati habebimus hanc imperandi poteſtatem, vt malis quidem ſuggeſtionibus præcipiamus, Abite, & abibunt: bonis verò, Venite, & venient. Seruo quoque noſtro, id eſt corpori, ea quæ caſtitatis vel continentiæ ſunt, ſimiliter iniungemus, & ſine vlla contradictione deſeruiet, non iam ſuſcitans nobis aduerſos concupiſcentiæ ſtimulos, ſed omnem exhibens ſpiritui famulatum.

Matt. 8. 9. Luc. 7. 8.

*al. * tribunos.*

Exod. 18. 21.

Huius Centurionis qualia arma ſint, vel ad quæ præliorum exercitia præparentur, audi Apoſtolum prædicantem: *Arma*, inquit, *potentia noſtra non ſunt carnalia, ſed potentia Deo.* Quibus nos quoque ſi volumus bella Domini præliari, & inter Centuriones Euangelicos militare, accincti iugiter debemus incedere: *Sumite*, inquit, *ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignita extinguere*: Ergo fides eſt quæ excipiens ardentiſſima libidinum tela metu futuri iudicij & cœleſtis regni credulitate mortificat: *Et loricam*, inquit, * *caritatis*: Ipſa nempe eſt quæ vitalia pectoris noſtri circumdans atque communiens, ad interiorem hominem noſtrum iacula diaboli penetrare non permittit. Omnia enim ſuffert, omnia patitur, omnia ſuſtinet. *Et Galeam ſpem ſalutis.* Galea capitis eſt munimen. Quia ergo caput noſtrum Chriſtus eſt, debemus iſtud ſemper ſpe bonorum futurorum velut inexpugnabili galea in cunctis tentationibus ac perſecutionibus communire, & principaliter fidem eius illæſam atque integram cuſtodire. Aliis enim membris truncatum quempiam licet debilem, poſſibile tamen eſt vtcunque ſupereſſe: Sine capite verò nemini vel breuis vitæ ſpatium prærogatur. *Et gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei. Penetrabilius* námque eſt *omni gladio*

1. Cor. 10. 4.

Epheſ. 6. 16.

Ibid. 14.

*al. * iuſtitiæ.*

Ibid. 17.

Ibid. Heb. 4. 12.

Digitized by Google

anticipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis; diuidens scilicet & abscindens quicquid in nobis carnale terrenúmque repererit. Quibus armis quisque fuerit communitus, ab hostium semper telis ac populatione defensus, non vt captiuus ac subditus ad hostilem cogitationum terram, deprædantium constrictus vinculis abducetur, nec audiet per Prophetam: *Quare inueteratus es in terra aliena?* Sed tanquam triumphator in illa quâ voluerit cogitationum regione consistet. Vis etiam ipsum robur ac fortitudinem Centurionis huius, quibus hæc arma quæ prædiximus non carnalia sed potentia Deo gestet, agnoscere? Audi ipsum Regem viros fortes ad spiritualem militiam congregantem, quo eos delectos signet ac probet: *Infirmus*, inquit, *dicat quia fortior sum ego*: Et qui patiens est, sit pugnator. Videtis ergo bella Domini præliari non posse nisi patientes infirmósque, illa proculdubio infirmitate, quâ fundatus ille noster Euangelicus Centurio cum fiducia loquebatur: *Cùm enim infirmor, tunc fortior sum.* Et iterum: *Virtus in infirmitate perficitur.* De qua infirmitate vnus Prophetarum: *Et erit*, inquit, *qui infirmatur inter eos, sicut domus David.* Patiens etiam hæc bella præliabitur, nempe illâ patientiâ, de qua dicitur: *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes recipiatis remunerationem.*

Baruc. 3. 11

Ioel. 3. 10.

2. *Cor.* 12. 10.

Ibid. 9.

Heb. 10. 36.

Virtus confessionis.

De maligna cogitatione illud nosse debemus, quia illicò vt per confessionem patefacta fuerit, marcescit; & antequã discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus velut tenebrioso ac subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodò ac dehonestatus, abscedit. Tandiu nánque suggestiones eius noxiæ dominantur in nobis, quandiu celantur in corde. Quem sensum in Ecclesiaste quoque legimus figuratum: *Si momorderit*, inquit, *serpens non in *sibilo, non est abundantia incantatori*; Taciti serpentis morsum pernicioſum esse designans. Id est, si per confessionem suggestio seu cogitatio diabolica incantatori cuiquã (spirituali scilicet viro) qui carminibus scripturarum mederi protinus vulneri, & extrahere de corde consuecuit noxia venena

Eccl. 10. 11. *al.* * *silentio nihil minus habet qui occultò detrahit:*

Digitized by

ſerpentis patefacta non fuerit, ſuccurrere periclitanti perituróve non poterit. Nam bonarum rerum non tantùm ſuggeſtor, ſed etiam fautor atque impulſor eſt Deus, ita vt nonnunquam nos etiam inuitos & ignorantes attrahat ad ſalutem. Conſtat ergo neminem poſſe à Diabolo decipi, niſi eum qui præbere ei maluerit ſuæ voluntatis aſſenſum.

CAPVT III.

De concupiſcentia Carnis ac Spiritus.

Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc autem inuicem aduerſantur ſibi; vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Galat 5.16 Tres res hoc loco ab Apoſtolo nominari videntur: concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Quorum aduerſus ſe inuicem pugna hanc videtur habere cauſam atque rationem, vt ea quæ volumus, inquit, facere nequeamus. Quarta igitur ſupereſt cauſa, vt illud ſcilicet quod nolumus, faciamus. Nunc ergo de ſingulis videamus. Carnem hoc loco non hominem, id eſt hominis ſubſtantiam, ſed eius deſideria peſſima debemus accipere, ſicut ne ſpiritum quidem aliquam rem ſubſtantialem, ſed animæ deſideria bona & ſpiritualia deſignari. Quæ cùm vtraque, id eſt, deſideria carnis & ſpiritus, in vno eodémque ſint homine, inteſtinum quotidie intra nos geritur bellum: dum concupiſcentia carnis, quæ præcipitanter fertur ad vitia, his quæ ad præſentem requiem pertinent deliciis gaudet, luxuriis delectatur: quibus è contra concupiſcentia ſpiritus aduerſata ita deſiderat tota ſpiritualibus ſtudiis inhærere, vt etiam neceſſarios carnis vſus optet excludere. Illa ſatiari ſomno, repleri cibo, vniuerſíſque exuberare copiis concupiſcit: hic vigiliis & ieiuniis ſaginatur, ac paupertate gloriatur. Lauacris illa niteſcere, & quotidianis adulantium cuneis appetit conſtipari: hic ſqualore ſordium congaudet, cunctorúmque mortalium præſentiam perhorreſcit. Honoribus illa & laudibus hominum confouetur: hic irrogatis ſibi iniuriis ac

Conflictus carnis & animæ.

Digitized by Google

persecutionibus gloriatur.

Carnis cõcupiscẽtia. Inter has igitur vtrasque concupiscentias animæ voluntas in meditullio quodam vituperabiliore consistens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum doloribus acquiescit; sic quærens à passionibus temperari carnalibus, vt nequaquam velit dolores necessarios sustinere, sine quibus desideria spiritus nequeunt possideri. Absque castigatione carnis castimoniam corporis, sine vigiliarum labore cordis desiderans acquirere puritatem, absque vllius exasperatione conuitij patientiæ gratiam possidere, humilitatem Christi sine honoris mundani exercere iactura, religionis simplicitatem cum sæculari ambitione sectari, Christo cum hominum laude ac fauore seruire, districtionem veritatis sine cúiuspiam vel tenui offensione proferre. Postremò sic vult consequi futura bona, vt præsentia non amittat. Quæ voluntas nunquam nos ad perfectionem veram faceret peruenire; sed in tepore quodam teterrimo collocaret, talésque faceret quales sunt illi qui in Apocalypsi increpatione Domini castigantur: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus esses, aut calidus: nunc autem tepidus es, & incipiam te euomere ex ore meo;* nisi hunc tepidissimum statum altrinsecus hæc insurgentia bella dirumperent. Nam cum famulantes huic voluntati nostræ ad hanc remissionem voluerimus nosmetipsos paulatim relaxare, confestim aculei carnis insurgunt, suisque nos vitiis & passionibus sauciantes, nequaquam in illa quâ delectamur puritatis qualitate stare permittunt, atque ad illam quam horremus frigidam voluptatum plenámque sentibus pertrahunt viam.

Apoc. 3. 15.

Rursus si spiritus feruore succensi opera carnis volentes extinguere sine vllo respectu fragilitatis humanæ, totos nosmetipsos tentauerimus ad immoderata virtutum studia cordis elatione conferre: interpellans imbecillitas carnis, ab illa reprehensibili nimietate spiritus reuocat ac retardat. Et ita fit, vt vtraque concupiscentia tali colluctatione alternâ sibimet repugnante, animæ voluntas, quæ nec totam se carnalibus desideriis dedere nec virtutum vult laboribus desudare, quodam iusto moderamine temperetur: dum hæc inter vtraque contentio illam pernicioſiorem excludens animæ voluntatem,

Anima tẽperat carnis concupiscentiam.

Digitized by Google

tatem, vt quandam æquitatis libram in ſtaterâ noſtri corporis collocat, quæ ſpiritus carníſque confinia iuſto diſcernit examine: nec à dextris mentem ſpiritus ardore ſuccenſam, nec à læua carnem vitiorum aculeis præpõderare permittens. Dúmque hæc pugna quotidianis diebus vtiliter exagitatur in nobis, ad illud quartum quod nolumus ſalubriter venire compellimur, vt puritatem cordis non ocio nec ſecuritate, ſed iugi ſudore & contritione ſpiritus adquiramus, caſtitatémque carnis diſtrictis ieiuniis, fame, ſiti ac vigilantiâ retentemus. Eſſemus itaque penitùs ſine remedio tepidi, vtpote non habentes indicem negligentiæ noſtræ vel in corpore noſtro, vel in conſcientiis propriis indeſinentem: nec ſtuderemus ad perfectionis vnquam peruenire feruorem, ſed ne frugalitatis quidem diſtrictionem teneremus, niſi ſaltem nos titillatio carnis fluxúſque increſcens humiliaret atque retunderet, & aduersùs ſpiritualium quoque vitiorum purgationem ſollicitos redderet & intentos. Qui ſtatus, id eſt tepidus, à carnali qualitate deſcendens efficitur animalis, qui eſt deterior gradus. Ipſe eſt enim qui de frigido ad tepidum tranſiens, deteſtabilior voce Domini ſignatur.

Tres námque ſunt animarum ſtatus: Primus carnalis; Secundus animalis; Tertius ſpiritualis. Quos in Apoſtolo ita legimus deſignari: Nam de carnali ita dicitur: *Lac vobis potum dedi non eſcam. Necdum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis.* Et iterum: * *Vbi enim eſt inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* De animali quoque taliter commemoratur: *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: Stultitia enim eſt illi.* De ſpirituali verò: *Spiritualis autem examinat omnia: ipſe autem à nemine dijudicatur.* Et iterum: *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite eos qui eiuſmodi ſunt, in ſpiritu lenitatis.* Itaque feſtinandum eſt nobis, vt cùm renuntiantes deſierimus eſſe carnales, id eſt, à ſæcularium cœperimus conuerſatione ſeiungi, & ab illa manifeſta carnis pollutione ceſſare, ſpiritualem ſtatum protinùs apprehendere nitamur, nequaquam exiſtimantes quam ſupra diximus exterioris hominis conuerſionem ad perfectionem nobis ſufficere, ſi erga emundationem cæterarum paſſionum lentiores reddamur, ne fortè inuenti in illo tepido ſtatu, qui

Tres animarum ſtatus.

1. Cor. 3. 2.

Ibid.

al. * cùm

1. Cor. 2. 14.

Ibid.

Gal. 6. 2.

Digitized by Google

teterrimus iudicatur, euomendos nos ex ore Domini secun-
Apoc. 3. 15. dum eius sententiam nouerimus, ita dicentis: *Vtinam calidus esses, aut frigidus: Nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Nec immeritò eos Dominus, quos iam in visceribus receperat caritatis, noxiè tepefactos cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronuntiat, qui cùm salutarem quodammodo eidem potuissent præbere substantiam, auelli ab illius visceribus maluerunt: tantò deteriores effecti illis qui nunquam ori Dominico illati sunt cibis, quantò id, quod nausea compellente proijcimus, odibiliùs destamur. Quicquid enim frigidum est, etiam ore nostro susceptum vertitur in calorem, & salutifera suauitate percipitur. Quod autem vitio semel pernicioſi teporis obiectum est, non dicam labiis admouere, sed etiam eminùs intueri sine ingenti horrore non possumus. Rectissimè ergo pronuntiatur esse deterior. quia faciliùs ad salutarem conuersionem ac perfectionis fastigium carnalis quis, id est, sæcularis, vel gentilis accedit, quàm is qui professus Monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinæ, ab illo semel spiritualis feruoris igne discessit. Ille námque corporalibus saltem vitiis humiliatus, & horrescens illum in quo est infidelitatis gelidissimum statum, spiritus ardore succensus ad perfectionem faciliùs conuolabit. Hic autem dicit in corde
Ibid. 16. suo: *Quia diues sum & nullius egeo.* Cui illud quoque quod
Ibid. 17. subsequitur consequenter aptabitur: *Tu autem es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* In eo factus etiam sæculari deterior, quòd nec miserum se nec cœcum aut nudum, aut emundatione dignum, vel agere monitis alicuius aut institutione cognoscit, non intelligens ipso Monachi nomine prægrauari ac deprimi opinione multorum. Quia dum creditur ab omnibus sanctus, & velut Dei famulus colitur, necesse est vt in futuro, vehementiori iudicio pœnæque subdatur.

Digitized by Google

CAPVT IV.

De Caſtitate.

SEx ſunt caſtimoniæ gradus. Primus gradus eſt, ne vigilans impugnatione carnali Monachus elidatur. Secundus, ne mens illius voluptariis cogitationibus immoretur. Tertius, ne fœmineo vel tenuiter ad concupiſcentiam moueatur aſpectu. Quartus, ne vigilans vel ſimplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cùm memoriam generationis humanæ vel tractatus ratio vel neceſſitas lectionis ingeſſerit, ſubtiliſſimus mentem voluptariæ actionis præſtringat aſſenſus; ſed velut opus quoddam ſimplex ac miniſterium humano generi neceſſariò contributum, tranquillo ac puro cordis contempletur intuitu, nihílque ampliùs de eius recordatione concipiat, quàm ſi operationem laterum, vel cuiuſlibet alterius officinæ mente pertractet. Sextus caſtimoniæ gradus eſt, ne illecebroſis phantaſmatibus fœminarum vel dormiens illudatur. Licet enim hanc ludificationem peccato eſſe obnoxiam non credamus, concupiſcentiæ tamen adhuc medullitùs latitantis indicium eſt; donec paulatim ſecundum menſuram caſtitatis ad quam vnuſquiſque contendit, in odium illius rei quam voluptariam anteà ſentiebat, mens etiam ſomno ſopita vertatur, illúdque ei quod fortibus viris pro ſummo laborum ſtipendio repromittitur per Prophetam, concedatur à Domino: *Arcum, gladium, & bellum conteram de terra veſtra, & dormire vos faciam fiducialiter.* Et ita demum ad illum perueniet ſtatum: vt talis inueniatur in nocte, qualis in die; talis in lecto, qualis in oratione; talis ſolus, qualis turbis hominum circunſeptus. Poſtremò vt nunquam in eo tale aliquid ineuitabilis ille oculus deprehendat, quod ab humanis aſpectibus velit eſſe celatum. Hoc autem fiet quando iam deſinens caro aduerſus ſpiritum concupiſcere deſideriis, eius virtutíque conſenſerit, cæperíntque ſibi inuicẽ pace firmiſſimafœderari, &ſecundum Pſalmographi ſententiam: *Habitauerint fratres in vnum*, illam repromiſſam à Domino beatitudinem poſſiden-

Caſtitatis gradus.

Oſee 2. 18.

Pſal. 132. 1.

Matt.18.19. tes, de qua ait. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Quisquis ergo intellectualis illius Iacob, id est supplantatoris, transcenderit gradum, ab illa cõtinentiæ colluctatione ac supplantatione vitiorum obstupefacto femoris neruo, ad Israëlis meritum perpetua cordis directione conscendet. Quem ordinem etiam beatus Dauid ita Spiritus-Sancti vaticinatione

Psal. 75.1. distinxit, imprimis inquiens: *Notus in Iudæa Deus*, id est, in anima, quæ adhuc sub peccatorum confessione retinetur; Iudeæa enim confessio interpretatur. In Israël autem, id est, in eo qui videns Deum, siue, vt quidam interpretatur, rectissimus Dei est, non solùm notus, sed & magnum est nomen eius. Deinde ad sublimiora nos prouocans, & volens etiam

Ibid. locum ipsum, quo Dominus delectatur, ostendere: *Et factus est*, inquit, *in pace locus eius.* Id est, non in conflictu certaminis & colluctatione vitiorum; sed in castimoniæ pace, & cordis tranquillitate perpetua. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium passionum, si quis meruerit obtinere: ex hoc quoque proficiens gradu, ac *Syon* spiritualis, id est specula Dei consequenter effectus, erit etiam *habitatio* eius. Non enim in conflictu continentiæ, sed iugi virtutum specula Dominus commoratur: vbi iam non retundit, non comprimit, sed in perpetuum confregit potentias arcuum; ex quibus videlicet aduersùm nos libidinum quondam iacula dirigebantur ignita. Videtis ergo quia sicut non est in colluctatione continentiæ, sed in castitatis pace locus Domini: ita etiam habitatio eius in specula sit & contemplatione virtutum. Vnde non immeritò portæ Syon cunctis tabernaculis Iacob præferuntur: Diligit enim

Psal. 86.1. *Dominus Syon super omnia tabernacula Iacob.*

Mortificatio corporis castitatem conseruat.

Vt igitur cum lege animi lex quoque congruat corporalis, etiam in ipsius aquæ potu ita est nimietas castiganda, vt humoris quotidiani illa collectio pigriùs arefactis influens membris, illum corporis motum non solùm rarissimum verùm etiam lentum reddat ac tepidum, frigidúmque, vt ita dixerim, ignem, & absque vllius aduſtionis ardore rorantem suscitet flammam, instar admirabilis illius Mosaïcæ visionis, vt carnis nostræ rubus innoxio igne circundatus non vratur: vel

Digitized by Google

ſicut illorum trium iuuenum quibus ita rorante ſpiritu fornacis Chaldaïcæ flamma diſcuſſa eſt, vt ne capillos eorum aut fimbrias odor ignis afflaret; vt illud quodammodo, quod ſanctis repromittitur per Prophetam, incipiamus iam in hoc corpore poſſidere: *Cùm ambulaueris per ignem non combureris, & flamma non ardebit in te.* Pſal. 43. 2. De hac caſtimoniæ puritate quid beatus Apoſtolus ſenſerit, diligentiùs inquiramus. *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* Non vtique membra corporis noſtri: ſed corpus peccati, quod conſtat ex membris, quantocyùs deſtrui zelo perfectæ deſiderat ſanctitatis. De quo corpore alibi: *Vt deſtruatur*, inquit, *corpus peccati.* Rom. 6. 6. Et quæ ſit eius deſtructio conſequenter exponit: *Etiam*, inquit, *non ſeruiamus peccato.* Ibid. A quo etiam liberari cum eiulatu poſtulat, dicens: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. 24. Hoc itaque peccati corpus multis vitiorum membris probatur extructum, & ad eius attinere portionem, quicquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur: cuius membra ſuper terram rectiſſimè eſſe dicuntur. Non enim poſſunt ij qui eorum vtuntur miniſterio veridicè profiteri, *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Philip. 3. 10. Huius igitur corporis in hoc loco Apoſtolus membra deſcribens: *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus.* Coloſſ. 3. 5. Primo itaque loco *fornicationem* credidit inferendam, quæ carnali commixtione perficitur. Secundum etiam membrum *immunditiam* nuncupauit, quæ nonnunquam abſque mulieris tactu vel dormientibus vel vigilantibus per incuriam incircunſpectæ mentis obrepit. Et ideò notatur ac prohibetur in lege, quæ immundos quoſque non ſolùm ſacrarum carnium participatione priuauit, verùm etiam ne contactu ſuo ſancta polluerent, à caſtrorum iuſſit congregatione ſeceri, dicens: *Anima quæcumque comederit de carnibus ſacrificij ſalutaris quod eſt Domini, in qua eſt immunditia, peribit coram Domino. Et quicquid tetigerit immundus, immundum erit.* Leuit 7. 21. Ibid. 22. 3. In Deuteronomio quoque: *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus eſt ſomnio, egredietur extra caſtra; & non reuertetur priuſquàm ad veſperam lauetur aquâ; & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra.* Deut. 23. Deinde tertium peccati membrum *libidinem* poſuit, quæ in

Quæ caſtitatem labefactant.

receſſibus animæ coaleſcens, accidere cuipiam etiam ſine paſſione corporis poteſt. Libidinem enim ab eo quod libeat dictam eſſe, non dubium eſt. Poſt hæc de maioribus peccatis ad minora deſcendens, quartum intulit membrum *concupiſcentiam malam*, quæ non ſolùm ad prædictam impudicitiæ paſſionem, verùm etiam ad omnes noxias cupiditates generaliter referri poteſt quæ corruptæ tantummodò voluntatis eſt ægritudo, de qua Dominus in Euangelio: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Multò enim maius eſt etiam tunc mentis lubricæ deſiderium continere, cùm ei illecebroſi aſpectus offertur occaſio. Quibus manifeſtiſſimè comprobatur ad perfectionem puritatis caſtimoniam continentiæ corporalis ſolam non poſſe ſufficere, niſi ei etiam mentis addatur integritas. Poſt quæ omnia nouiſſimum illius corporis membrum, *& auaritiam* inquit, proculdubio oſtendens non ſolùm ab appetitu rerum alienarum animum continendum, verùm etiam propria magnanimiter contemnenda: hoc enim & in Actibus Apoſtolorum feciſſe legitur credentium multitudo, de qua dicitur. *Multitudinis autem credentium* erat cor vnum, & anima vna, & vſque *diuidebantur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Et ne ad paucos pertinere videretur iſta perfectio, auaritiam ſimulachrorum ſeruitutem eſſe teſtatus eſt. Nec immeritò: Quiſquis enim non communicat neceſſitatibus egenorum, & pecuniæ ſuæ quam infideli tenacitate conſeruat, Chriſti præcepta poſtponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem ſcilicet materiæ mundialis diuinæ præferens caritati.

Matt. 5.28.

Non ſola corporalis ſed potiſſimè mentis continentia requiritur.

Act. 4.32.

Qui egenos non ſublenat idololatriæ reus eſt.

In tantùm autem Beatus Apoſtolus fornicationem ſiue immunditiam de noſtris membris extirpari poſſe confidit, vt non ſolùm mortificari ea, ſed ne nominari quidem in nobis debere pronuntiet: *Fornicatio*, inquiens, *& omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet.* Quæ etiam pari modo pernicioſa eſſe, & æquali nos à regno Dei excluſione depellere edocet, dicens: *Illud autem ſcitote quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Et iterum: *Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque*

Ephes. 5.3.4.

Ibid. 5.

1. Cor. 6.9.

Digitized by Google

adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Certos autem eſſe nos conuenit, quòd licet omnem continentiæ diſtrictionem, famem ſcilicet ac ſitim, vigilias quoque & operis iugitatem, atque inceſſabilis ſubeamus ſtudium lectionis: perpetuam tamen caſtimoniæ puritatem horum laborum meritò contingere nequeamus, niſi in his iugiter deſudantes, experientiæ magiſterio doceamur incorruptionem eius diuinæ gratiæ largitate concedi. Scien-

Largitate gratiæ caſtitas conceditur.

dum quoque quia quantùm quis in lenitate ac patientia cordis, tantùm in corporis puritate proficiet. Vnde Dominus: *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Non ergo aliter noſtram poſſidebimus terram, id eſt, non aliàs ditioni noſtræ rebellis huius corporis terra ſubdetur, niſi mens noſtra prius fuerit patientiæ lenitate fundata. *Manſueti* enim *poſſidebunt terram.* Et non ſolùm poſſidebunt eam, ſed etiam *delectabuntur in multitudine pacis*; quâ nemo in cuius carne adhuc bella concupiſcentiæ ſuſcitantur, ſtabiliter perfruetur. Neceſſe eſt enim infeſtari eum diriſſimis dæmonum præliis, & ignitis luxuriæ iaculis ſauciatum à terræ ſuæ poſſeſſione deuolui; donec Dominus *auferat bella vſque ad fines terræ eius, arcum conterat, & confringat arma, & ſcuta comburat igni*: Illo ſcilicet quem Dominus venit mittere ſuper terram. Et ita cùm eum Dominus conterens bella ab omnium incentiuorum æſtibus liberauerit, ad illum puritatis perueniet ſtatum, vt depoſita confuſione, quâ ſemetipſum, id eſt, carnem ſuam, dum impugnaretur, horrebat, incipiet ea velut puriſſimo tabernaculo delectari: non enim accedent ad eum mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo eius. Hanc igitur pacem donec firmam atque perpetuam obtinere mereamur, multis neceſſe eſt nos impugnationibus attentari, frequentérque nobis eſt verſiculus iſte cum gemitu lachrymíſque repetendus: *Miſer factus ſum vſquequaque. Tota die contriſtatus imgrediebar: Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Hoc autem tandiu, quoad vſque per Dei gratiam confirmatus in illâ quam appetit puritate, efficaciter dicere mereatur: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.*

Matt. 5. 4.

Pſal. 36. 11.

Pſal. 45. 9.

Pſal. 37. 8.

Pſal. 39.

Digitized by Google

CAPVT V.

De spirituali scientia.

Quæ ad veram scientiam conducunt.

IMpossibile est animam, quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, vel quæ proposito adquirendæ laudis humanæ studio lectionis insistit, donum veræ scientiæ promereri, vel generatricem spiritualium sensuum, aut tenacem sacrarum fieri lectionum. Aliud námque est facilitatem oris, & nitorem habere sermonis, & aliud venas ac medullas cælestium intrare dictorum; ac profunda & abscondita sacramenta purissimo cordis oculo contemplari. Quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio sæcularis, sed sola puritas mentis per illuminationem Sancti-Spiritus obtinebit: *Beati*, ait Dominus, *mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Festinandum igitur tibi est, quisquis ad veram scripturarum vis scientiam peruenire, vt humilitatem cordis immobilem primitùs consequaris, quæ te non ad illam quæ inflat, sed ad eam quæ illuminat, scientiam caritatis consummatione perducat. Deinde hoc tibi est omnimodo enitendum, vt expulsa omni solicitudine & cogitatione terrena, assiduum te, ac potiùs iugem sacræ præbeas lectioni, donec continua meditatione imbuat mentem tuam, & quasi in similitudinem sui formet, arcaam quodammodo ex ea faciens testamenti, habentem scilicet in se duas tabulas lapideas, id est, duplicis instrumenti perpetuam firmitatem. Vrnam quoque auream, hoc est memoriam puram atque sinceram, quæ reconditum in se manna perpetua tenacitate conseruet, spiritualium scilicet sensuum, & Angelici illius panis perennem cælestémque dulcedinem. Nec non etiam virgam Aaron, id est summi veríque Pontificis nostri IESV CHRISTI salutare vexillum immortalis memoriæ semper viriditate frondescens. Hæc námque est virga quæ postea quàm de Iesse radice succisa est, viuacius mortificata reuiruit. Hæc autem omnia duobus Cherubim, id est historicæ & spiritualis scientiæ plenitudine protegentur. Cherubim enim interpretatur scientiæ multitudo, quæ propitiatorium

Matt. 5. 8.

rium Dei, id eſt placiditatem pectoris tui iugiter protegent,& à cunctis ſpiritualium nequitiarum incurſibus obumbrabunt. Et ita mens tua non ſolùm in arcam diuini Teſtamenti, verùm etiam in regnum ſacerdotale prouecta, per indiſſolubilem puritatis affectum quodammodò abſorpta, ſpiritualibus diſciplinis illud implebit pontificale mandatum; quod à legiſlatore ita præcipitur: *Et de ſanctis non egredietur, ne polluat ſanctuarium Dei*; id eſt cor ſuum, in quo iugiter habitaturum ſe Dominus repromittit, dicens: *Inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Impoſſibile quippe eſt immundam animam ſcientiam ſpiritualem adipiſci. Nemo enim in vas fœtidum, atque corruptum vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretioſi quicquam liquoris infundit. Faciliùs enim quamuis odoratiſſimam myrrham ſemel horrendis imbuta fœtoribus teſta contaminat, quàm aliquid ex eo ſuauitatis gratiæ ipſa concipiat. Quia multò citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur. Ita igitur & vas pectoris noſtri, niſi priùs fuerit ab omni fœdiſſima vitiorum contagione purgatum, non merebitur ſuſcipere illud benedictionis vnguentum, de quo dicitur per Prophetam: *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti eius*; nec illam ſcientiam ſpiritualem, & eloquia ſcripturarum, quæ dulciora ſunt ſuper mel & fauum, impolluta ſeruabit. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci cum tenebris? Quæ autem conuentio Chriſto ad Belial? In corde bono requieſcit ſapientia.

Leuit 21.12.

2. Cor. 6. 16.

Pſal.132.2.

PETRI ABBATIS S. REMIGII, CELLENSIS VVLGO NVNCVPATI, TRACTATVS DE DISCIPLINA CLAVSTRALI.

* Henricus 3. Comes Campaniæ.

Domino & amico ſuo * HENRICO *viro illuſtri, Frater* PETRVS *humilis Abbas ſancti Remigij Salutem, & omnem proſperitatem.*

LIBERTAS animi niſi ex proprio arbitrio & adiuncto limoſi corporis conſortio infatuata fuiſſet, nequaquam pœnali diſciplina quæ plicat, planat, & ligat, indiguiſſet. Plicat erecta, planat aſpera & ligat laſciua. Plicat indomita, planat inæqualia, ligat diſſoluta. Plicat animum, corpus planat, vtrumque ligat. Plicat humilitate, planat æquitate, ligat religione. Plicat conuerſione, planat confeſſione, ligat profeſſione. Plicat palmitem in vite, planat tabulas cordis ad mandata vitæ, ligat pullum ſuum ad vineam, id eſt, animum ad gratiam. Plicat denique taurum de ſæculo ceruicoſum, planat camelum gibboſum, ligat bubalum ſiue onagrum. Vtroque autem, animo ſcilicet & corpore, in genere ſuo naturali bonitate priuato, cœpit vias explere pietas Creatoris, quibus reſarciret damna tantæ temeritatis. Et quia cauſa tanti morbi inuenta eſt priuilegium inſitæ libertatis, ſalubri artificio, regulari diſciplina colligauit pennas deprauatæ libertatis, & depreſſit collum temerariæ præſumptionis. Quod itaque generali cenſura in vniuerſo genere humano Deus diſpoſuit, hoc in me factum benigniſſima pietate expertus ſum. Nam huc illúcque

Clauſtralis diſciplinæ effectus.

poſtpoſitâ ordinis noſtri maturitate vagabundus diſcurrebam, & ſæcularia negotia, atque terrenas occupationes tanquam fures & latrones penè omnẽ religionis ſuppellectilem à me aſportare negligebam : ſed ecce manus Dei filias pharetræ ſuæ miſit in renibus meis, & gutta arctiſſima renes meos congelauit, & domi conſiſtere coëgit. Sentiens itaque diſciplinam, de diſciplina cœpi cogitare, cogitata deſcribere. Quàm patienter verò paſſus ſum diſciplinam, tam libenter & diligenter, & ſi non eleganter ſcripſi de diſciplina. Scripſit ſanctus Auguſtinus vt Auguſtinus & vt Epiſcopus de diſciplina Chriſtiana : ſcripſi ego Abbas & Monachus de Clauſtrali diſciplina. Ille vt gigas literatiſſimus montes ceruorum & mentes humilium humeris ſuis geſtat : Ego vt formica tenuiſſima grana non integra ſed inciſa traho ad tractatus noſtri deſpectum tuguriolum, & præparo futuræ fami & hyemi quantulumcunque viaticum.

Qu areau- ctor id ope ris confece rit.

Opuſculum itaque noſtrum de CLAVSTRALI DISCIPLINA nec ſtylo nec titulo ſolemni irradiatum argumentoſa Philoſophiæ non ingrediatur palatia, ſed humili vultu formatur. Qua igitur fronte, Princeps Nobiliſſime, quinimò & ingenij ſubtilitate viuaciſſime, tibi ad legendum tranſmitto tractatum ſquallidum & pannoſum? ſed verbis oris mei illaqueatus malo argui de indocto, quàm de mendaci verbo. Legat itaque pius, & intelligens animus, attendens non formam verborum, ſed virtutem ſenſuum : ſicut enim plus eſt animi quam decor corporis, ſic in ſcriptura potiùs ſpiritus requirendus eſt qui viuificat, quàm litera quæ inflat : magis fructus placet in arbore, quàm folia : vtrumque tamen bonum eſt, ſi vtrumque adeſt, ſed pulchra ſine fructu folia potiùs ſunt oculorum lenocinia, quàm ſtomachi ſubſidia. Apoſtolus reprobat ſpeciem pietatis, vbi deeſt virtus caritatis. Dominus quoque veniens ad arborem fici quæ fructum non habebat, ſed tamen folia, maledicit ei, & in æternum illam condemnat. Imploro Nobilitatem veſtram ne in lectione iſta attendatis quales ſumus, ſed quales eſſe debemus; nec lateat prudentiam veſtram lucernam noſtri ordinis in Iſraël prorſus eſſe extinctam; ſed Iſaac oculos, quia ſenuit, caligaſſe. Conquerenti Heliæ aduerſus Achab & Ieſabel, ac dicenti : *Domine altaria* 3 *Reg.* 19.

1. *Cor.* 13.

Digitized by Google

lineas non ſeruat; & quid mirum, ſi claudus claudum generat? Plus mirandum ſi curuus generet rectum. Tu tamen quia rectè ſentis, & rectè incedis, excuſa Isboſeth debilem pedibus apud Dauid, & omnem ſermonem claudicantem aut corrige, aut ſuccide: *Melius enim eſt cum vno pede intrare in vitam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam.* Eſt autem gehenna legentium inuidia: meritò autem ſuccumbit inuidia, vbi ſuccincta veritate, expedita conſtructione, armata ratione, labia mordentium euadit materia: vel vbi adeò extincta eſt hebetudine, deſpecta habitudine, macra verborum craſſitudine, exanguis ſenſuum exilitate, quod dens inuidiæ non habeat vbi mordeat. Non reputo aſpectu publico digna mea Opuſcula, ſed ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi, ſimplex deuotio, non phalerata eloquentia legat ſcripta mea, non ad plauſum, ſed ad planctum. Plangit enim columba mea in foraminibus ſuis; coruus crocitat in cadaueribus & mortícinis; clamat coruus cras, cras, vel appellans ſibi quod craſſum eſt: Sicut in paſſione Domini leguntur quidam dixiſſe: *Ecce Heliam vocat iſte*, cùm Dominus diceret; *hely, hely*: vel promittens ſibi longos dies & annos, vel fruſtratoriam pœnitentiam ſpondens cras, cras, id eſt nunquam; ſicut dicitur, hodie cum pretio, cras ſine pretio. Ego quoque pretium precum & orationum pro opere iſto hodie & cras poſtulo.

Matt. 18.

PRÆFATIO ALTERA.

AMicus diſciplinæ, RICARDE Cariſſime, tanquam expertus ſim illam, non ſemel inquietas ſenem elementarium vt inde aliquo ſcripto, tibi quod ſentio decerpam: & ſi non propter amicitiam, tamen propter improbitatem Euangelici amici non poſſum non ſurgere de lectulo, in quo clauſo oſtio cum pueris cæterorum ſenſuum decumbebam, & dare non quantum requirit affectus tuus, ſed quantum capit pugillus meus. Timeo ne occurrat auidus, & non inueniens fructum, ſed tantùm folia in arbore fici, maledicat ſpei falſæ, ſiue promiſſioni. Rurſùm nauſeans, qui ſingula curioſè carpit, & odioſè contemnit, ſi acceſſerit, potiùs ſpero vomitum quàm guſtum. Sed quia *caritas omnia credit*, & nemo cogitur munus

1. Cor. 13.

habere meum, tibi soli, qui pro multo amore medullæ etiam cortices nostros insipidos rodis, quod ex voluntate Dei occurrerit excipiam, & Matri Rebeccæ, vt inde escas præparet, tradam.

CAPVT I.

De auctoribus Disciplinarum.

IGitur Auctores huius disciplinæ in scriniis authẽticæ scripturæ reuoluens, præcipuos & summos inuenio Moysen in eremo, Iesum in mundo, Paulum in delegato sibi docendæ Gentis officio. Duo quoque iuuli ex his emanantes, Monachos & Canonicos Regulares incluserunt in claustro tanquam ceruos & capreas in inclauso, vt ita dicam, parco, Benedictus & Augustinus. In Exodo, in Leuitico, in Numeris, in Deuteronomio, populi Domini peculiaris claustralem disciplinam lege, & nudo intellectu mores informantia mandata retine. Cerimonialia verò tanquam vestita vestibus Esau valde bonis discinde, & intrinsecus latentem spiritualem nucleum comede. Certè disciplina illa seueriſſima fuit; etsi nostra illi comparetur, tolerabilior inuenitur. Adeò enim illa importabilis fuit, vt non solùm quilibet infirmus & plebeius legis mandata implere non posset, sed nec etiam quilibet iustus & sanctus. Vnde Petrus: *Quid nobis iugum imponere tentatis, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuerunt?* Act. 15. 10. Nostra verò disciplina satis tolerabilis est, vt in Epistola Ioannis dicitur: *Caritas hæc est, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* 1. Ioan. 5. 3. Quid est autem nostra disciplina, nisi viuere secundum mandata Dei? Iesus verò Magister magnus & bonus, cuius cathedra est in cœlo, & Schola in mundo, in Euangelio quasi in antidotario, quæ fecit & docuit, descripsit; & duodecim Apostolos claustrales suos cum septuaginta duobus Discipulis claustralem disciplinam docuit. Nec de claustro illo Euangelico exiuit, nisi is qui filius perditionis erat; vel illi qui dixerunt: *Durus est hic sermo: & abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant.* Ioan. 6. 61.

Digitized by Google

Matt.18.19. tes, de qua ait. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Quisquis ergo intellectualis illius Iacob, id est supplantatoris, transcenderit gradum, ab illa cõtinentiæ colluctatione ac supplantatione vitiorum obstupefacto femoris neruo, ad Israëlis meritum perpetua cordis directione conscendet. Quem ordinem etiam beatus Dauid ita Spiritus-Sancti vaticinatione

Psal. 75.1. distinxit, imprimis inquiens: *Notus in Iudæa Deus*, id est, in anima, quæ adhuc sub peccatorum confessione retinetur; Iudeæa enim confessio interpretatur. In Israël autem, id est, in eo qui videns Deum, siue, vt quidam interpretatur, rectissimus Dei est, non solùm notus, sed & magnum est nomen eius. Deinde ad sublimiora nos prouocans, & volens etiam

Ibid. locum ipsum, quo Dominus delectatur, ostendere: *Et factus est*, inquit, *in pace locus eius.* Id est, non in conflictu certaminis & colluctatione vitiorum; sed in castimoniæ pace, & cordis tranquillitate perpetua. Hunc igitur pacis locum extinctione carnalium passionum, si quis meruerit obtinere: ex hoc quoque proficiens gradu, ac *Syon* spiritualis, id est specula Dei consequenter effectus, erit etiam *habitatio* eius. Non enim in conflictu continentiæ, sed iugi virtutum specula Dominus commoratur: vbi iam non retundit, non comprimit, sed in perpetuum confregit potentias arcuum; ex quibus videlicet aduersùm nos libidinum quondam iacula dirigebantur ignita. Videtis ergo quia sicut non est in colluctatione continentiæ, sed in castitatis pace locus Domini: ita etiam habitatio eius in specula sit & contemplatione virtutum. Vnde non immeritò portæ Syon cunctis tabernaculis Iacob præferuntur: Diligit enim

Psal. 86.1. *Dominus Syon super omnia tabernacula Iacob.*

Mortificatio corporis castitatem confirmat.

Vt igitur cum lege animi lex quoque congruat corporalis, etiam in ipsius aquæ potu ita est nimietas castiganda, vt humoris quotidiani illa collectio pigriùs arefactis influens membris, illum corporis motum non solùm rarissimum verùm etiam lentum reddat ac tepidum, frigidúmque, vt ita dixerim, ignem, & absque vllius aduſtionis ardore rorantem suscitet flammam, instar admirabilis illius Mosaïcæ visionis, vt carnis nostræ rubus innoxio igne circundatus non vratur: vel

Digitized by Google

ſicut illorum trium iuuenum quibus ita rorante ſpiritu fornacis Chaldaïcæ flamma diſcuſſa eſt, vt ne capillos eorum aut fimbrias odor ignis afflaret; vt illud quodammodo, quod ſanctis repromittitur per Prophetam, incipiamus iam in hoc corpore poſſidere: *Cùm ambulaueris per ignem non combureris, & flamma non ardebit in te.* Pſal. 43. 2. De hac caſtimoniæ puritate quid beatus Apoſtolus ſenſerit, diligentiùs inquiramus. *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.* Non vtique membra corporis noſtri: ſed corpus peccati, quod conſtat ex membris, quantocyùs deſtrui zelo perfectæ deſiderat ſanctitatis. De quo corpore alibi: *Vt deſtruatur*, inquit, *corpus peccati.* Rom. 6. 6. Et quæ ſit eius deſtructio conſequenter exponit: *Et iam*, inquit, *non ſeruiamus peccato.* Ibid. A quo etiam liberari cum eiulatu poſtulat, dicens: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. 24. Hoc itaque peccati corpus multis vitiorum membris probatur extructum, & ad eius attinere portionem, quicquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione peccatur: cuius membra ſuper terram rectiſſimè eſſe dicuntur. Non enim poſſunt ij qui eorum vtuntur miniſterio veridicè profiteri, *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Philip. 3. 10. Huius igitur corporis in hoc loco Apoſtolus membra deſcribens: *Mortificate*, inquit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus.* Coloſſ. 3. 5. Primo itaque loco *fornicationem* credidit inferendam, quæ carnali commixtione perficitur. Secundum etiam membrum *immunditiam* nuncupauit, quæ nonnunquam abſque mulieris tactu vel dormientibus vel vigilantibus per incuriam incircunſpectæ mentis obrepit. Et ideò notatur ac prohibetur in lege, quæ immundos quoſque non ſolùm ſacrarum carnium participatione priuauit, verùm etiam ne contactu ſuo ſancta polluerent, à caſtrorum iuſſit congregatione ſecerni, dicens: *Anima quæcumque comederit de carnibus ſacrificij ſalutaris quod eſt Domini, in qua eſt immunditia, peribit coram Domino. Et quicquid tetigerit immundus, immundum erit.* Leuit 7. 21. Ibid. 22. 3. In Deuteronomio quoque: *Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus eſt ſomnio, egredietur extra caſtra; & non reuertetur priuſquàm ad veſperam lauetur aquâ; & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra.* Deut. 23. Deinde tertium peccati membrum *libidinem* poſuit, quæ in

Quæ caſtitatem labefactant.

Digitized by Google

receſſibus animæ coaleſcens, accidere cuipiam etiam ſine paſſione corporis poteſt. Libidinem enim ab eo quod libeat dictam eſſe, non dubium eſt. Poſt hæc de maioribus peccatis ad minora deſcendens, quartum intulit membrum *concupiſcentiam malam*, quæ non ſolùm ad prædictam impudicitiæ paſſionem, verùm etiam ad omnes noxias cupiditates generaliter referri poteſt quæ corruptæ tantummodò voluntatis eſt ægritudo, de qua Dominus in Euangelio: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Multò enim maius eſt etiam tunc mentis lubricæ deſiderium continere, cùm ei illecebroſi aſpectus offertur occaſio. Quibus manifeſtiſſimè comprobatur ad perfectionem puritatis caſtimoniam continentiæ corporalis ſolam non poſſe ſufficere, niſi ei etiam mentis addatur integritas. Poſt quæ omnia nouiſſimum illius corporis membrum, *& auaritiam* inquit, proculdubio oſtendens non ſolùm ab appetitu rerum alienarum animum continendum, verùm etiam propria magnanimiter contemnenda: hoc enim & in Actibus Apoſtolorum feciſſe legitur credentium multitudo, de qua dicitur. *Multitudinis autem credentium* erat cor vnum, & anima vna, & vſque *diuidebantur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Et ne ad paucos pertinere videretur iſta perfectio, auaritiam ſimulachrorum ſeruitutem eſſe teſtatus eſt. Nec immeritò: Quiſquis enim non communicat neceſſitatibus egenorum, & pecuniæ ſuæ quam infideli tenacitate conſeruat, Chriſti præcepta poſtponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem ſcilicet materiæ mundialis diuinæ præferens caritati.

Matt. 5.28.

Non ſola corporalis ſed potiſſimè mentis continentia requiritur.

Act. 4.32.

Qui egenos non ſublenat idololatriæ reus eſt.

In tantùm autem Beatus Apoſtolus fornicationem ſiue immunditiam de noſtris membris extirpari poſſe confidit, vt non ſolùm mortificari ea, ſed ne nominari quidem in nobis debere pronuntiet: *Fornicatio*, inquiens, *& omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet.* Quæ etiam pari modo pernicioſa eſſe, & æquali nos à regno Dei excluſione depellere edocet, dicens: *Illud autem ſcitote quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Et iterum: *Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque*

Ephes. 5.3.4.

Ibid. 5.

1. Cor. 6.9.

Digitized by Google

adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Certos autem eſſe nos conuenit, quòd licet omnem continentiæ diſtrictionem, famem ſcilicet ac ſitim, vigilias quoque & operis iugitatem, atque inceſſabilis ſubeamus ſtudium lectionis: perpetuam tamen caſtimoniæ puritatem horum laborum meritò contingere nequeamus, niſi in his iugiter deſudantes, experientiæ magiſterio doceamur incorruptionem eius diuinæ gratiæ largitate concedi. Sciendum quoque quia quantùm quis in lenitate ac patientia cordis, tantùm in corporis puritate proficiet. Vnde Dominus: *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Non ergo aliter noſtram poſſidebimus terram, id eſt, non aliàs ditioni noſtræ rebellis huius corporis terra ſubdetur, niſi mens noſtra prius fuerit patientiæ lenitate fundata. *Manſueti* enim *poſſidebunt terram.* Et non ſolùm poſſidebunt eam; ſed etiam *delectabuntur in multitudine pacis*; quâ nemo in cuius carne adhuc bella concupiſcentiæ ſuſcitantur, ſtabiliter perfruetur. Neceſſe eſt enim infeſtari eum diriſſimis dæmonum præliis, & ignitis luxuriæ iaculis ſauciatum à terræ ſuæ poſſeſſione deuolui; donec Dominus *auferat bella vſque ad fines terræ eius, arcum conterat, & confringat arma, & ſcuta comburat igni*: Illo ſcilicet quem Dominus venit mittere ſuper terram. Et ita cùm eum Dominus conterens bella ab omnium incentiuorum æſtibus liberauerit, ad illum puritatis perueniet ſtatum, vt depoſita confuſione, quâ ſemetipſum, id eſt, carnem ſuam, dum impugnaretur, horrebat, incipiet ea velut puriſſimo tabernaculo delectari: non enim accedent ad eum mala, & flagellum non appropinquabit tabernaculo eius. Hanc igitur pacem donec firmam atque perpetuam obtinere mereamur, multis neceſſe eſt nos impugnationibus attentari, frequentérque nobis eſt verſiculus iſte cum gemitu lachrymíſque repetendus: *Miſer factus ſum vſquequaque. Tota die contriſtatus ingrediebar: Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Hoc autem tandiu, quoad vſque per Dei gratiam confirmatus in illâ quam appetit puritate, efficaciter dicere mereatur: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.*

Largitate gratiæ caſtitas conceditur.

Matt. 5. 4.

Pſal. 36. 11.

Pſal. 45. 9.

Pſal. 37. 8.

Pſal. 39.

Digitized by

CAPVT V.

De spirituali scientia.

Quæ ad veram scientiam conducunt.

IMpossibile est animam, quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, vel quæ proposito adquirendæ laudis humanæ studio lectionis insistit, donum veræ scientiæ promereri, vel generatricem spiritualium sensuum, aut tenacem sacrarum fieri lectionum. Aliud námque est facilitatem oris, & nitorem habere sermonis, & aliud venas ac medullas cælestium intrare dictorum; ac profunda & abscondita sacramenta purissimo cordis oculo contemplari. Quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio sæcularis, sed sola puritas mentis per illuminationem Sancti-Spiritus obtinebit: *Beati*, ait Dominus, *mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Festinandum igitur tibi est, quisquis ad veram scripturarum vis scientiam peruenire, vt humilitatem cordis immobilem primitùs consequaris, quæ te non ad illam quæ inflat, sed ad eam quæ illuminat, scientiam caritatis consummatione perducat. Deinde hoc tibi est omnimodo enitendum, vt expulsa omni solicitudine & cogitatione terrena, assiduum te, ac potiùs iugem sacræ præbeas lectioni, donec continua meditatione imbuat mentem tuam, & quasi in similitudinem sui formet, arcaam quodammodo ex ea faciens testamenti, habentem scilicet in se duas tabulas lapideas, id est, duplicis instrumenti perpetuam firmitatem. Vrnam quoque auream, hoc est memoriam puram atque sinceram, quæ reconditum in se manna perpetua tenacitate conseruet, spiritualium scilicet sensuum, & Angelici illius panis perennem cælestémque dulcedinem. Nec non etiam virgam Aaron, id est summi veríque Pontificis nostri IESV CHRISTI salutare vexillum immortalis memoriæ semper viriditate frondescens. Hæc námque est virga quæ postea quàm de Iesse radice succisa est, viuacius mortificata reuirescit. Hæc autem omnia duobus Cherubim, id est historicæ & spiritualis scientiæ plenitudine protegentur. Cherubim enim interpretatur scientiæ multitudo, quæ propitiatorium

Matt. 5. 8.

Digitized by Google

rium Dei, id eſt placiditatem pectoris tui iugiter protegent,& à cunctis ſpiritualium nequitiarum incurſibus obumbrabunt. Et ita mens tua non ſolùm in arcam diuini Teſtamenti, verùm etiam in regnum ſacerdotale prouecta, per indiſſolubilem puritatis affectum quodammodò abſorpta, ſpiritualibus diſciplinis illud implebit pontificale mandatum; quod à legiſlatore ita præcipitur: *Et de ſanctis non egredietur, ne polluat ſanctuarium Dei;* id eſt cor ſuum, in quo iugiter habitaturum ſe Dominus repromittit, dicens: *Inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Impoſſibile quippe eſt immundam animam ſcientiam ſpiritualem adipiſci. Nemo enim in vas fœtidum, atque corruptum vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut prætioſi quicquam liquoris infundit. Faciliùs enim quamuis odoratiſſimam myrrham ſemel horrendis imbuta fœtoribus teſta contaminat, quàm aliquid ex eo ſuauitatis gratiæ ipſa concipiat. Quia multò citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur. Ita igitur & vas pectoris noſtri, niſi priùs fuerit ab omni fœdiſſima vitiorum contagione purgatum, non merebitur ſuſcipere illud benedictionis vnguentum, de quo dicitur per Prophetam: *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti eius;* nec illam ſcientiam ſpiritualem, & eloquia ſcripturarum, quæ dulciora ſunt ſuper mel & fauum, impolluta ſeruabit. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci cum tenebris? Quæ autem conuentio Chriſto ad Belial? In corde bono requieſcit ſapientia.

Leuit 21.12.

2. *Cor.* 6. 16.

*Pſal.*132.2.

PETRI ABBATIS S. REMIGII, CELLENSIS VVLGO NVNCVPATI, TRACTATVS DE DISCIPLINA CLAVSTRALI.

* Henricus 1. Comes Campaniæ.

Domino & amico ſuo * HENRICO *viro illuſtri, Frater* PETRVS *humilis Abbas ſancti Remigij Salutem, & omnem proſperitatem.*

LIBERTAS animi niſi ex proprio arbitrio & adiuncto limoſi corporis conſortio infatuata fuiſſet, nequaquam pœnali diſciplina quæ plicat, planat, & ligat, indiguiſſet. Plicat erecta, planat aſpera & ligat laſciua. Plicat indomita, planat inæqualia, ligat diſſoluta. Plicat animum, corpus planat, vtrumque ligat. Plicat humilitate, planat æquitate, ligat religione. Plicat conuerſione, planat confeſſione, ligat profeſſione. Plicat palmitem in vite, planat tabulas cordis ad mandata vitæ, ligat pullum ſuum ad vineam, id eſt, animum ad gratiam. Plicat denique taurum de ſæculo ceruicoſum, planat camelum gibboſum, ligat bubalum ſiue onagrum. Vtroque autem, animo ſcilicet & corpore, in genere ſuo naturali bonitate priuato, cœpit vias explere pietas Creatoris, quibus reſarciret damna tantæ temeritatis. Et quia cauſa tanti morbi inuenta eſt priuilegium inſitæ libertatis, ſalubri artificio, regulari diſciplina colligauit pennas deprauatæ libertatis, & depreſſit collum temerariæ præſumptionis. Quod itaque generali cenſura in vniuerſo genere humano Deus diſpoſuit, hoc in me factum benigniſſima pietate expertus ſum. Nam huc illúcque

Clauſtralis diſciplinæ effectus.

poſtpoſitâ ordinis noſtri maturitate vagabundus diſcurrebam, & ſæcularia negotia, atque terrenas occupationes tanquam fures & latrones penè omnẽ religionis ſuppellectilem à me aſportare negligebam : ſed ecce manus Dei filias pharetræ ſuæ miſit in renibus meis, & gutta arctiſſima renes meos congelauit, & domi conſiſtere coëgit. Sentiens itaque diſciplinam, de diſciplina cœpi cogitare, cogitata deſcribere. Quàm patienter verò paſſus ſum diſciplinam, tam libenter & diligenter, & ſi non eleganter ſcripſi de diſciplina. Scripſit ſanctus Auguſtinus vt Auguſtinus & vt Epiſcopus de diſciplina Chriſtiana : ſcripſi ego Abbas & Monachus de Clauſtrali diſciplina. Ille vt gigas literatiſſimus montes ceruorum & mentes humilium humeris ſuis geſtat : Ego vt formica tenuiſſima grana non integra ſed inciſa traho ad tractatus noſtri deſpectum tuguriolum, & præparo futuræ fami & hyemi quantulumcunque viaticum.

Qui arcanorum id operis confecerit.

Opuſculum itaque noſtrum de CLAVSTRALI DISCIPLINA nec ſtylo nec titulo ſolemni irradiatum argumentoſa Philoſophiæ non ingrediatur palatia, ſed humili vultu formatur. Qua igitur fronte, Princeps Nobiliſſime, quinimò & ingenij ſubtilitate viuaciſſime, tibi ad legendum tranſmitto tractatum ſquallidum & pannoſum? ſed verbis oris mei illaqueatus malo argui de indocto, quàm de mendaci verbo. Legat itaque pius, & intelligens animus, attendens non formam verborum, ſed virtutem ſenſuum : ſicut enim plus eſt animi quam decor corporis, ſic in ſcriptura potiùs ſpiritus requirendus eſt qui viuificat, quàm litera quæ inflat : magis fructus placet in arbore, quàm folia : vtrumque tamen bonum eſt, ſi vtrumque adeſt, ſed pulchra ſinę fructu folia potiùs ſunt oculorum lenocinia, quàm ſtomachi ſubſidia. Apoſtolus reprobat ſpeciem pietatis, vbi deeſt virtus caritatis. Dominus quoque veniens ad arborem fici quæ fructum non habebat, ſed tamen folia, maledicit ei, & in æternum illam condemnat. Imploro Nobilitatem veſtram ne in lectione iſta attendatis quales ſumus, ſed quales eſſe debemus; nec lateat prudentiam veſtram lucernam noſtri ordinis in Iſraël prorſus eſſe extinctam; ſed Iſaac oculos, quia ſenuit, caligaſſe. Conquerenti Heliæ aduerſus Achab & Ieſabel, ac dicenti : *Domine altaria* 3. *Reg.* 19.

1. *Cor.* 13.

Digitized by Google

tua ſuffoderunt, Prophetas tuos occiderunt, & relictus ſum ego ſolus: Et quærunt animam meam. Reſponſum eſt ei: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curuauerunt genua ſua ante Baal.* Sic certè, ſic Domine & amice Cariſſime, & ſi magna antiquorum Patrum virtus regularis noſtris temporibus elanguit, non expirauit; etſi abijt, non obijt; etſi refriguit, non periit; qui quaſi nihil ſunt apud homines plerumque tanquam lucerna deſpecta pluris ſunt apud Dominum, quàm qui aliquid eſſe videntur. Non excuſo malos, ſed prædico bonos. Præiudicium tollo, quia iudicium Dei expecto. Noſtrum eſt honorare nomen Dei, non ſolùm in ſanctis; ſed in peruerſis. Nam quæcunque perſona etiam viliſſima, ſi ſigillum veſtrum portauerit, auctoritate nominis veſtri ſuſcipienda eſt & honoranda; non quia digna ſit; ſed quia digni ſit. Sic plerumque dignus facit indignum, dignum indignum vtique propriè, dignum impropriè; indignum ex ſe dignum ex officij perfunctione. Nolo vt mihi in aliquo parcatis, vbi exceſſi: rogo etiam vt non legatis cum faſtidio, ſed ſtatim vt cœperit onerare mentem, de manu veſtra proijcite; & ſi placuerit, aliàs reſumite; aut ſi diſplicuerit, recluſum perpetuis tenebris condemnate. Pauperes & glorioſi homines paupertatem veraciter ſuſtinentes, & inutiliter gloriam affectantes, ad contegendam paupertatem, & gloriam comparandam, ſolent oras clamydis ſuæ aut precioſis, aut ſpecioſis pelliculis ſuperueſtire, non ad vtilitatem, ſed ad curioſitatem intuentium reſpondentes. Sic ego ipſe, quia huic noſtro operi præ inopia noſtra deerat pretium ſententiarum, & decus verborum: titulum nominis veſtri anteponens, ingreſſum eius decentiſſimè adornaui; vt lector ſperans non niſi optima vobis offerri, currat ad perlegendum, non ex ſapore conditi poculi, ſed in ſplendore tituli tanti Principis.

Non boni tantùm, ſed mali ſunt honorandi.

Humilitas auctoris.

PRÆFATIO.

AVt periti eſt aut experti iudicare de re cognita; Imperiti verò & inexperti tractare de re incognita, potiùs eſt præſumere quàm diffinire. Me peritum in Clauſtrali Diſciplina aut expertum ſi fateor, mentior. Non nego me vidiſſe regulares & religioſos homines quorum conſortio etſi aliquando in-

Digitized by Google

terfui, virtutem non retinui. Quomodò ergo poſcis à me audire de diſciplina clauſtrali, cùm iam fere à triginta annis vix ſummo labello illam deguſtauerim? Tamen quia caritas omnia credit, & te ſcio ex deuotione non ex tentatione id quærere, poſtpoſita negandi difficultate audeo ſcribere quæ nequeo tenere; nec multùm eruboſco, ſi me talem in hoc Opuſculo recognoueris, qualem ab infantia tua didiciſti: niſi fortè quia ætas noſtra iam adueſperaſcens parum habet de meridie, plus de veſpera.

Auctor à triginta annis vitam religioſam profeſſus. 1. *Cor.* 13.

Prolixum me fecit in hoc Tractatu de diſciplina Clauſtrali & tua totiens repetita poſtulatio, & ſciatica gutta quæ renes meos diutiſſimè ſub aſpera diſciplina detinuit. In hoc Opuſculo tanquam confectione de conſuetis & notis in hortis noſtris naſcentibus herbis, non de pretioſis & remotarum regionum ſpeciebus comparato: plus de melle gregis, quàm de ſcammonia Hieronymi appoſui, timens ne inuentum proijceretur, ſi ſcammonia morderet, & operis vtilitas tam pro artificio, quàm pro artifice ſorderet. In huius autem laboris recompenſatione mercedem hanc peto à te, vt diligenter legas, & quicquid ei diſplicuerit, confidenter detrahas, & corrigenda corrigas.

Iſchiade affectus cùm id operis eſt aggreſſus.

Reddo cum vſuris debitum non à me tibi promiſſum, ſed à te frequenter poſtulatum; ſufficit mihi ratio debendi vbi præceſſit in amico voluntas poſtulandi: vſuras ſuperaddo, quia in ſoluendo interceſſit longa dilatio. Age gratias Deo qui dedit opportunitatem, ſine qua nondum me à debito illo abſoluiſſem. Quam? dolorem in renibus, qui me ſub diſciplina aſpera diu religauit, & vagandi huc illúcque facultatem negauit. Congratulor itaque & ego infirmitati meæ, & dico: Patiamur mala, vt faciamus bona: imò patiamur mala, ne faciamus mala. Hoc ad noſtram clauſtralem pertinet diſciplinam: pati & non facere mala: ſed potiùs pro malis reddere bona. Hanc docuit ille qui adinuenit omnem viam diſciplinæ, & docuit eam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſibi. Paſſus eſt autem mala à malis & pro malis, ſed retribuit bona pro malis, & fecit bonos de malis. Non mireris amice cariſſime, ſi ſtylum claudicantem deprehenderis, quia cum toto corpore ſuo ſimul & manus claudicat. Manus enim vacillans rectas

lineas non ſeruat; & quid mirum, ſi claudus claudum generat? Plus mirandum ſi curuus generet rectum. Tu tamen quia rectè ſentis, & rectè incedis, excuſa Isboſeth debilem pedibus apud Dauid, & omnem ſermonem claudicantem aut corrige, aut ſuccide: *Melius enim eſt cum vno pede intrare in vitam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam.* Eſt autem gehenna legentium inuidia: meritò autem ſuccumbit inuidia, vbi ſuccincta veritate, expedita conſtructione, armata ratione, labia mordentium euadit materia: vel vbi adeò extincta eſt hebetudine, deſpecta habitudine, macra verborum craſſitudine, exanguis ſenſuum exilitate, quod dens inuidiæ non habeat vbi mordeat. Non reputo aſpectu publico digna mea Opuſcula, ſed ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi, ſimplex deuotio, non phalerata eloquentia legat ſcripta mea, non ad plauſum, ſed ad planctum. Plangit enim columba mea in foraminibus ſuis; coruus crocitat in cadaueribus & porticinis; clamat coruus cras, cras, vel appellans ſibi quod craſſum eſt: Sicut in paſſione Domini leguntur quidam dixiſſe: *Ecce Heliam vocat iſte*, cùm Dominus diceret; *hely, hely*: vel promittens ſibi longos dies & annos, vel fruſtratoriam pœnitentiam ſpondens cras, cras, id eſt nunquam; ſicut dicitur, hodie cum pretio, cras ſine pretio. Ego quoque pretium precum & orationum pro opere iſto hodie & cras poſtulo.

Matt. 18.

PRÆFATIO ALTERA.

AMicus diſciplinæ, RICARDE Cariſſime, tanquam expertus ſim illam, non ſemel inquietas ſenem elementarium vt inde aliquo ſcripto, tibi quod ſentio decerpam: & ſi non propter amicitiam, tamen propter improbitatem Euangelici amici non poſſum non ſurgere de lectulo, in quo clauſo oſtio cum pueris cæterorum ſenſuum decumbebam, & dare non quantum requirit affectus tuus, ſed quantum capit pugillus meus. Timeo ne occurrat auidus, & non inueniens fructum, ſed tantùm folia in arbore fici, maledicat ſpei falſæ, ſiue promiſſioni. Rurſùs nauſeans, qui ſingula curioſè carpit, & odioſè contemnit, ſi acceſſerit, potiùs ſpero vomitum quàm guſtum. Sed quia *caritas omnia credit*, & nemo cogitur munus

1. Cor. 13.

Digitized by Google

habere meum, tibi ſoli, qui pro multo amore medullæ etiam cortices noſtros inſipidos rodis, quod ex voluntate Dei occurrerit excipiam, & Matri Rebeccæ, vt inde eſcas præparet, tradam.

CAPVT I.

De auctoribus Diſciplinarum.

IGitur Auctores huius diſciplinæ in ſcriniis authẽticæ ſcripturæ reuoluens, præcipuos & ſummos inuenio Moyſen in eremo, Ieſum in mundo, Paulum in delegato ſibi docendæ Gentis officio. Duo quoque iuuli ex his emanantes, Monachos & Canonicos Regulares incluſerunt in clauſtro tanquam ceruos & capreas in inclauſo, vt ita dicam, parco, Benedictus & Auguſtinus. In Exodo, in Leuitico, in Numeris, in Deuteronomio, populi Domini peculiaris clauſtralem diſciplinam lege, & nudo intellectu mores informantia mandata retine. Cerimonialia verò tanquam veſtita veſtibus Eſau valde bonis diſcinde, & intrinſecus latentem ſpiritualem nucleum comede. Certè diſciplina illa ſeueriſſima fuit; etſi noſtra illi comparetur, tolerabilior inuenitur. Adeò enim illa importabilis fuit, vt non ſolùm quilibet infirmus & plebeius legis mandata implere non poſſet, ſed nec etiam quilibet iuſtus & ſanctus. Vnde Petrus: *Quid nobis iugum imponere tentatis, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuerunt?* Act. 15. 10. Noſtra verò diſciplina ſatis tolerabilis eſt, vt in Epiſtola Ioannis dicitur: *Caritas hæc eſt, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata* 1. Ioan. 5. 3. *eius grauia non ſunt.* Quid eſt autem noſtra diſciplina, niſi viuere ſecundum mandata Dei? Ieſus verò Magiſter magnus & bonus, cuius cathedra eſt in cœlo, & Schola in mundo, in Euangelio quaſi in antidotario, quæ fecit & docuit, deſcripſit; & duodecim Apoſtolos clauſtrales ſuos cum ſeptuaginta duobus Diſcipulis clauſtralem diſciplinam docuit. Nec de clauſtro illo Euangelico exiuit, niſi is qui filius perditionis erat; vel illi qui dixerunt: *Durus eſt hic ſermo: & abierunt retrò: &* Ioan. 6. 61. *iam non cum illo ambulabant.*

Digitized by Google

CAPVT II.

De Apoſtolica Diſciplina.

NOta diſciplinã Apoſtolicam vbique & in omnibus reuerendam, præcipuè vti Petrus innuit Ioanni, qui in cœna ſuper pectus Domini recumbebat, vt interrogaret quis eſſet eum traditurus. Tanta enim erat ad Magiſtrum reuerentia, tanta obedientia, tanta ſubiectio, tanta ad inuicem fraterna dilectio, vt ne ſpiraculum ſuſurri per eos tranſiret, niſi fortè quando facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur maior, vel cùm indignati ſunt de duobus, qui quærebant ſedere ad dextram & ad ſiniſtram. Quicquid tamen humana fragilitas in vaſis fictilibus, necdum igne Sancti-Spiritus ſufficienter decoctis, committebat, manus figuli ſtatim reſarciendo ſolidabat. Modò ſiquidem arguebat, eis dicens: *Modica fidei, quid turbati eſtis?* Modò conſolabatur; *Confidite*, inquiens, *Ego vici mundum.* Et, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Modò in parabolis, modò ſine parabolis loquebatur; Modò ſubtrahebat ſe pernoctans in oratione; Modò celabat ſe ambulans ſuper mare, & putabant phantaſma eſſe; modò ad congregationem ſuam reuertebatur, & cum omni familiaritate conuerſabatur. Modò præ nimia fame ſpicas poſt ipſum confringebant, & manducabant: Modò duodecim cophnos fragmẽtorum ex his quæ ſuperauerant de quinque panibus colligebant. Nihil proprietatis habebant, qui dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Ab eo nunquam ſeparari volebant, cùm diceret: *Vado in Iudæam: Et Thomas ait ad condiſcipulos, eamus & nos, & moriamur cum illo.*

Matth. 8. 26.
Ioan. 16. 33.
Matth. 27. 20.
Matth. 19. 27.
Ioan. 11. 14.

Quid dicam de Monachis iſtis, videlicet Apoſtolis? Angelicis ſpiritibus illos confero, niſi nondum expoliata mortalitate illi miniſtrabant *qui modico minoratus eſt ab Angelis*, Sed cum gloria & honore coronatus à Patre ſuper omnem principatum & poteſtatem ſederit in ſede maieſtatis ſuæ, in ſede magnitudinis, ſedebunt & hi ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim

Heb. 2. 9.
Matth. 19.

Digitized by Google

tim tribus Israël, fortè & Angelos; de quibus Apostolus: *Nonne & Angelos iudicabimus?* Spes ista in sinu Clausträlium est reposita, quia res pro consimili disciplina est repromissa, non ab illo, sed ab eodem IESV CHRISTO. Successit Petrus in Apostolatum circumcisionis; & Paulus inter gentes: sicut idem Paulus ait: *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.* Docet Apostolus in Regula, id est, in Epistola sua: *Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Et, *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Et, *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Et, *Alter alterius onera portate.* Et, *Nemo quærat quod sibi vtile est, sed quod alij.* Et, *Honore inuicem præuenientes.* Et, *Turpis sermo de ore vestro non procedat, & turpitudo, & stultiloquium nec nominetur in vobis.* Huiusmodi floribus totus vernat codex Apostolicus, vastum & amplum regit clausträum, ab Hierusalem scilicet ad Illyricum habens virgam in manu, sicut quibusdam scribit: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Tradit & quosdam Sathanæ, vt discant non blasphemare. Hic gaudet cum gaudentibus in Hospitio; hic flet cum flentibus in Oratorio; hic infirmatur cum infirmantibus in Infirmaria; hic vritur cum scandalisatis in Capitulo; hic in Cella Nouitiorum loquitur ad suos Nouitios: *Filioli mei quos per Euangelium genui, & quos interim parturio donec formetur Christus in vobis*; Hic in Refectorio *Castigat corpus suum; ne aliis prædicans ipse reprobus efficiatur*; Hic denique semper & vbique, *In vigiliis inuenitur, & ieiuniis, in fame & siti, in frigore & nuditate; in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Hic hospitariis dicit, *Hospitales inuicem sine murmuratione.* His qui sunt in Oratorio: *Psallam spiritu cum fratribus, psallam & mente; orabo & spiritu, orabo & mente;* Infirmariis: *Alter alterius onera portate. Infirmum suscipite in fide*; Sedenti verò in Capitulo: *Argue, obsecra, increpa*; His qui in Refectorio: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*; Eleemosinariis autẽ: *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitã æternã.* Denique omnibus Clausträlibus clamat: *Vigilate, state in fide, viriliter agite, & cõfortamini.* Et in hunc modum quicquid regulare, quicquid honestatis & fidei informabile, quidquid de vestigiis IESV estimitabile, non est alienum à Paulo: Vna ta-

1. Cor. 6. 3.
Galat. 2. 8.
1. Cor. 31.
2. Cor. 10.
Heb. 13. 17.
Galat. 6. 2.
1. Cor. 10. 24.
Rom. 12. 10.
Ephes. 3. 4.
1. Cor. 21.
Galat. 4. 19.
1. Cor. 9. 27.
2. Cor. 6. 6. & 11. 27. 6. 5. 23.
1. Pet. 4. 9.
1. Cor. 14. 15.
Rom. 14. 1.
2. Tim. 4. 2.
Ephes. 5. 18.
2. Cor. 9. 6.
1. Cor. 16. 13.

Digitized by Google

men clauſula concludit vniuerſam clauſtralem diſciplinam: *Omnia*, inquit, *veſtra in caritate fiant*.

Ibid.

SS. Aug. & Benedict. diſciplinæ clauſtral. eruditores.

Iam inflectamus ſtylum ad noſtros ſpeciales eruditores, Beatum Benedictum, & ſanctum Auguſtinum: Alter Abbas & Monachus; Alter Epiſcopus & Canonicus; Vterque ſanctus, vterque Dominici gregis Doctor, & ductor egregius. Conuenit in quibuſdam noſtra & veſtra clauſtralis diſciplina; differt in quibuſdam. Sunt enim quædam quaſi ſubſtantialia in Religione, quædam accidentalia. Subſtantiale eſt Religioni ſine quo Religio non eſt Religio: Accidentale quod adeſt & abeſt pro loco, pro tempore, pro cauſa, pro perſona, pro cæteris circunſtantijs præter Religionis corruptionem: Hæc in arbitrio Procuratoris eatenus relinquuntur, vt ſalua pace & vnitate vel intendantur, vel remittantur. Non tamen nimis intendantur ne rumpatur fragilitas; neque nimis remittantur, ne lædatur regula. Sunt autem ſubſtantiua Religionis, ſilentium, de quo dicitur: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus verò ad loquendum, & tardus ad iram*; Item lectio, de qua dicitur: *Dum venio attende lectioni*: Item peccati Confeſſio, de qua dicitur: *Confitemini Domino quoniam bonus*: & omnia in confeſſione lauantur, vnde: *Dixi confitebor, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*; Item oratio, de qua dicitur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: Item meditatio mortis, de qua dicitur: *Fili memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. Sed de his infra largiùs tractabimus.

Iacob. 1. 19.
2. Tit. 1, 13.
Pſal. 117. 1.
Pſal. 31. 1.
Ioan. 16. 23.
Eccl. 7. 40.

CAPVT III.

Comparatio inter Iudaïcam & noſtram clauſtralem diſciplinam.

SIcut mandata legalia in duabus tabulis conſcripta Iudaïcam diſciplinam continent; Sic omnis regularis tam Monachus, quàm Canonicus, *Inter medios cleros*, regularis videlicet inſtitutionis, & traditæ à ſenioribus bonæ conſuetudinis, viuere debet. In altero admittitur diſpenſatio: In altero ligatur. Non enim Iudex iudicat legem, ſed ſecundum legem. Conſuetudo autem & vſus, ſicut voluntate vtentium intro-

Pſal. 67. 14.

Digitized by Google

ducuntur, sic contraria volũtate mutantur. In his si quid necessitate mutandum, corrigendum, supplendúmque fuerit, non vsquequaque interdicitur dispensationis alteratio. His ergo quasi fortissimis ligamentis vita claustralis ita constringitur, vt nec manus, nec pedes extra licita moueantur.

Professio itaque secundum regulam & loci consuetudinem coërcens in compedibus suis vinctum, IESV CHRISTI iugum suaue & onus leue humeris imponens renuntiantis sæculo, ante præsepe, & ad cunabula Emanuelis ligans asinam & pullum, in quibus sedens IESVS horam sequitur glorificationis. Præcedunt tamen sicut in capite sic & in membris passiones, posteriores glorias. Ducitur IESVS, quia ligatus ante Præsidem stetit: & quia non est discipulus super Magistrum, voluntarius & libens appetat verus Religiosus, disciplina regulari tanquam fasciolis ab appetitu carnis religari. Vincula autem Religionis, statuta sunt regularia: verbi gratia, silentium, ieiunium, recluſio claustralis, incessus in nullo notabilis, compassio & dilectio fraterna, paterna reuerentia, lectio & oratio assidua, recordatio præteritorum malorum; timor mortis, ignis purgatorij, ignis æterni. Vix tam vaga, tam petulans poterit esse cogitatio, quæ non coërceatur tam forti & multiplici funiculo. Verbum otiosum, verbum superfluum, verbum inordinatum sepelit silentium. Titillationes & incentiua succensa in spinis malorum desideriorum soporat continuum ieiunium. Discursus vagos & vanos per plateas & vicos ciuitatis sanguinum, retardat recluſio claustralis: motus stimulantes in malam suspectionem, aspectus intuentium elidit incessus tam modestus quàm maturus: Inhumanitatem recludit compassio; discordiam dilectio: paterna reuerentia cõtumaciam; lectio ignorantiam; oratio immunditiam & malitiam; meditatio torporem & somnolentiam; recordatio præteritorum affert malorũ cautelam de futuris, dolorem de præteritis, & defuturis sollicitudinem; muscas morientes & vermes qui non moriuntur, comedentes miseram animam, timor mortis tanquam myrrha occidit; ignis purgatorius reuocat à venialibus; ignis æternus à criminalibus: Nulla obseruationum istarum sterilis in Israël, qui cum Angelo colluctans non Iacob sed Israël appellatur. *Omnis* tamen *gloria filiæ Regis*,

Quæ Religioſę disciplinæ exercitia.

Digitized by Google

non in his quæ in facie ſunt, ſed *ab intus, in fimbrijs aureis*, quæ intra velum Sanctum Sanctorum verſis vultibus cum Cherubim in propitiatorium tantùm reſpiciunt. Cardinales virtutes fimbriæ aureæ ſunt, quia *Domini ſunt cardines orbis terræ.* Sunt etiam columnæ argenteæ ſuper baſes aureas, ſalubres virtutes de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta. De quibus dicitur: *Ego confirmaui columnas eius.* Hæ portant templum Salomonis, cùm vera religio fundata in mente bona, regularibus diſciplinis Euangelium Dei non erubeſcit, ſed Euangelica mandata tanquam ſuperpoſitam fabricam humeris voluntariæ obſeruationis conſeruat. Sicut MARIA *conſeruabat omnia verba hæc.* Ad clauſtralem itaque diſciplinam ſtylum teneamus, & velut in vno corpore ſpecioſæ puellæ formam non denegare Amalech, ſed de ſemine Abrahæ deſiniamus.

Luæ 2. 19.

CAPVT IV.

De diſciplinæ clauſtralis obſeruantiis.

CLauſtralis diſciplinæ ſpectaculum eſt Deo, & Angelis, & hominibus: Deo in medulla intentionis; Angelis in gemitibus & ſuſpiriis; hominibus in factis & dictis: *Homo videt in facie, Deus in corde*; Angelus medios fines cogitationis & operis. Ad Deum reſpicit *caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*; Ad Angelos ſimplicitas ſancta cum bona ſpecie, de qua dicitur: *Specie tua, & pulchritudine tua, intende proſperè, procede, & regna.* (Grata eſt enim, vt ait Auguſtinus, ſanctis Angelis ſacrata & pia ſignificatio. Vnde & Dominus in Exodo percutiens Ægyptios percuſſorem non ſinit ingredi domos, in quarum ſuperliminario, & vtroque poſte viderit ſanguinem agni) Ad homines dilectio ſine ſimulatione, conuerſatio ſine querela. Circumamicta itaque diſciplina clauſtralis huiuſmodi ornamentis ſpiritualibus nequaquam ceruicem erigit, & ambulat extento collo; ſed cum Rebecca operit ante conſpectum Dei vultum ſuum pallio pudoris & humilitatis.

Exod. 12. 22. 23.

Cum ambulauerit dicit: *Per ſingulos gradus meos pronuntiabo Dominum.* Item: *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius ho-*

Iob. 31. 37.

Digitized by

ſtiam iubilationis. Non enim ſicut impij in circuitu vanitatis & curioſitatis ambulat, ſed cum Angelis aſcendit ſcalam Iacob exceſſu mentis; & deſcendit contemplatione ſuæ fragilitatis. Cùm ſederit, cogitat de ſede maieſtatis, de ſede æternitatis quid dictura ſit, vel actura à facie fortitudinis Dei, in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Si ſteterit, dicat, *Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto.* Et, *Mane aſtabo tibi.* Et, *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem.* Et, *Locus in quo ſtas terra ſancta eſt.* Si caput leuauerit, dicat: *Ad te leuaui oculos meos in montes qui habitas in cælis.* Et, *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et, *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum: & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ.* Si os & labia aperiat, dicat: *Os meum loquetur ſapientiam.* Et, *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis.* Et, *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Et, *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat.* Si aures præbuerit loquenti, non audiat ſanguinem, *Non accipiat opprobrium aduerſus proximos ſuos.* Si comedat, antequam comedat, cum Iob ſuſpiret de neceſſitate pro pomo inflicta; & quia vocem exactoris ſtomachus importunè exaudit, mixturam faciens confuſibilem & fallacem neceſſitatis & delectationis. Rarus námque eſt, qui ſemper interponat maceriam diſcretionis inter appetitum neceſſarium & ſuperfluum. Si biberit vinum, non venenum ſumat. Vnde Apoſtolus: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria:* Et, *Modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates.* Si dormierit, dicat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*; Et, *Caro mea requieſcet in ſpe.* Surgens itaque ad vigilias, ſi orauerit, oret ſpiritu & mente. Intret in cubiculum & clauſo oſtio oret patrem ſuum plus corde, quàm voce; plus fide, quàm modulatione. Si ad Confeſſionem venerit, Lagenam aquæ baiulans ſub balteo contritionis paxillum portet redargutionis, quo operiat terram cordis, & deponat onera mentis. Delens reliquias Amalech, & in ſeipſo interficiat omnes operantes iniquitatem: fundat ſanguinem hoſtiæ confeſſionis iuxta baſim altaris; quatenus puro ſanguine de latere Chriſti ſua expurget menſtrua; & ſub terebintho crucis abſcondat idola peccatorum ſuorum. Non ſe

4. Reg. 3.

Epheſ. 5. 18. 1. Tim. 5. 23.

Digitized by Google

palpet, non declinet ad dextram bona ſua laudando, neque ad ſiniſtram vera tacendo, aut quod non eſt, malum fingendo. Si fratris culpam accuſauerit, caueat ne ferrum cadat de manubrio, plus iuſto ſæuiens, ne mentum Amaſæ Ioab tenens blandimento in inguine feriat ſeducendo.

Si de manifeſto arguit, manſuetudinis verba agni manſueti teneat; *Iuda*, inquit Dominus, *oſculo filium hominis tradis*? Si de occulto, vtatur correptione priuata, non proditione publica. Si potentem aut Prælatum, Nathan ad Dauid, & duos filios Noë videat. Ille cautè ex obliquo circundans Leonem in agnum, vtique Regem potentiſſimum plus arte quàm ſeueritate ſuis iniecit vinculis. Hi verenda Patris licet nuda, videre noluerunt. Si aduerſo dorſo texerit: Si legerit, ſimplicitatem amicam legi diuinæ afferat, & botros in vinea comedens extrà non efferat, aliter interpretando, & ſenſus peruerſos adijciendo. Non deſudet ad quæſtiones quæ non ſunt ad ædificationem, ſed ad contentionem, & audientium ſubuerſionem. Legat, vt intelligat; intelligat, vt mandata Dei faciat: compunctionem ibi quærat, non ſuperfluam occupationem: Mandet medullam legis medullis cordis, quibus impinguatus holocauſta medullata offerat cum incenſo arietum, id eſt ſincera veritate, & vera caritate Apoſtolorum & Prophetarum. Et, quia Calix in manu Domini, ſcriptura ſancta; Et, Inclinat ex hoc in hoc. Aliquando legenda ſunt mandata diuina, aliquando Sanctorum exempla; quia vnus eſt ſermo Dei in paſſionibus Martyrum, & in ſanctis conuerſationibus Confeſſorum. Quod enim quaſi mortuum iacet in pelli morticina deformatum in littera, vitâ viuit, cùm agitur quod legitur. Si ad publicum aliqua neceſſitate venerit, redeat cum feſtinatione tanquam de carcere, tanquam de laqueo, tanquam de camino, tanquam de inferno inferiori. Vidit Dauid iniquitatem in ciuitate. Vidit Dina mulieres regionis, & periit inde Hemor filius Sichem cum patre & populo ſuo. Sic venter disciplinæ clauſtralis eburneus de caſtitate, diſtinctus eſt ſapphiris hac pulcherrima varietate. Æſtimo clauſtralem diſciplinam ad hoc conſtitutam, vt ſicut in Eſther legitur, de vniuerſis regnis eligerentur puellæ ad opus Regis, quæ ſub cuſtodia traderentur, ſummo ſtudio imbuerentur, & vnge-

f. * Sed aduerſo dorſo texerunt.

Eſter c. 2. 2.

rentur oleo myrtino, & aliis pretioſſimis vnguentis; denique longa, & exactiſſima diligentia probatis, & vultu ornatiſſimo ornatis, quæ Regi placebat, cum Rege pernoctabat, ad nutum eius intrabat, & exibat. Sic Rex magnus, Rex Regum, Rex ſæculorum, de cunctis gentibus, tribubus, linguis, populis, & ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari, prædeſtinatos ſuos vocat, & ad clauſtralem diſciplinam congregat, & mores incompoſitos lima regulari complanat, vitiorum fœtorem vnguento piæ conuerſationis exterminat, regiis amplexibus dignas mentes, & corpora præparat, & die conſtituta ab æterno, ad thorum & thalamum gloriæ, & beatæ vitæ vocat.

CAPVT V.

Quòd per diſciplinam clauſtralem, prima reparatur tranſgreſſio.

NAtura humana, ſiue libertas arbitrij, in præuaricatione originali viribus, bonitate naturali, ſummopere debilitata, ex quo de ventre matris homo egreditur, indiget diſciplina pedetentim tanquam remedialibus ſuffragiis reparari. Primi ſiquidem & noui mandati ſolidiſſimas confringens valuas principio dati liberi arbitrij nobilitatem compediuit, & robur corporalis ſanitatis infirmauit. Occaſio autem tanti mali fuit, quòd cœleſtem diſciplinam non ſeruauit; nec erat diſciplina illa ad tenendum difficilior, quàm ad mandandum. Voluptas appetitum non trahebat, neceſſitas non vrgebat, fames non mordebat, ſapor ligni vetiti conceſſis pomis non præiudicabat dulcedine, licet ſcriptum ſit; *Quia vidit mulier lignum pulchrum ad videndum & ad guſtandum ſuaue.* Gen. 3. 6. Nequaquam certè excludit hoc pulchrum, & hoc ſuaue, pulchritudinem & ſuauitatem omnium lignorum paradiſi: ſed ſuggeſtione ſerpentis mens muliebris perforata demonſtratur. Pulſata namque ſiue abſorpta à tentatione anima, rem concupitam æſtimatione non appendit, ſed delectatione. Facillima igitur diſciplina, & nullo onere preſſa, Dei manu plaſmata tota in circuitu natura humana potuit in ſua ſuauitate ſeruari;

quæ malè fauciata nullis ad plenum remediis vſque ad ſanguinem agni valuit liberari.

Quot prætentauit medicinarum adhibere magnus Medicus remedia humanis vulneribus, teſtis eſt Abraham in circumciſione; teſtis eſt Moyſes in hoſtiarum immolatione, & aliarum ſpecierum oblatione; teſtes omnes Prophetæ in increpatione, & aſſidua prædicatione: induruerat nimia veteratione, & inſufficienti curatione morbus; nec curatio fraterna liberabat ægrotantem, qui expectabat Dominum ſaluatorem, quatenus Dominus liberaret ſeruum, & ſaluator ægrum. Præmiſit ſaluator iſte diſciplinam tanquam virgam Moyſi, ſed ſibi retinuit virgam virtutis ſuæ in cruce, in qua fuſo ſanguine tela ignea nequiſſimi diaboli extinxit, & ab omni febre infirmum ſuum ſanauit.

CAPVT VI.

Quòd Clauſtrum ſit Vicarium crucis.

VIcarium itaque ſuæ Crucis clauſtrum conſtituit, vt ſicut diſciplina pacis noſtræ in corpore ſuo ſuper lignum crucis fuit, ſic nos extra ſecularia caſtra exeuntes ad clauſtrum improperium eius portemus, & tanquam filij iuxta ſapientiſſimi Salomonis conſilium, diſciplinam eius apprehendamus:

Pſal. 2. *Fili*, inquit Salomon, *apprehende diſciplinam Patris, & ne dimittas legem matris tuæ.* Et Pſalmiſta: *Apprehende diſciplinam,*

Heb. 12.18. *nequando iraſcatur Dominus.* Et Apoſtolus: *Quòd ſi extra diſci-*

Ibid. 11 *plinam eſtis: ergo adulteri, & non filij eſtis.* Et alibi: *Omnis diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris; Poſteà verò per eam exercitatis fructum pacatiſſmũ reddet iuſtitiæ.* Eſt autem Clauſtrum in confinio Angelicæ puritatis, & mundanæ colluuionis. Si quas arenulas honeſtatis de mundo tanquam de Ægypto Hebræus tranſiliens à vicinis artibus, quæ appellantur liberales, mutuans, ad clauſtrum detulerit; vti

Eccl. 1. 1. eis remoto indicio furti poterit: *Omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt.* Propter ſapientiam carnis, quæ inimica eſt Deo, hanc non amat diſciplina clauſtralis: quia potiùs eſt ad ſubuerſionem ſimplicitatis (quæ eſt vnica Deo, Clauſtri filia) quàm

Digitized by Google

quàm ad ædificationẽ. Raſis itaque ſupercilijs pompoſę vanitatis; vnde ait Apoſtolus: *Ne quis decipiat vos per Philoſophiam, & inanem fallaciã*: & * vnguibus auaræ rapacitatis ſubſtractis, ſecurè matrimoniũ, cum omni doctrina, quæ contra fidem non eſt, contrahat incola clauſtri. Quicunque enim alterius ſaporis eſt extra clauſtrum, etiamſi oleaſter, etiamſi ramus inſerturus in bonam oliuam, pinguedine radicis dulcoratur, & gremio diuinæ ſapientiæ fotus ab immobilitate commutatur. Sic Grammatica, ſic Dialectica, ſic Geometria, ſic Aſtronomia diuinæ ſcripturæ ſapidiſſimè ſale conditæ, quæ guſtatæ ſolebant afferre mortem: ſicut filij Prophetarum clamant ad Eliſeum Prophetam: *Mors in olla vir Dei*: admixtione farinæ, id eſt, gratiæ, præſtant ſalubrem refectionem, & tanquam Gabaonitæ comportant ligna & aquas ad diſciplinam clauſtralem. Hæc iure belli Iſraëlitæ ad clauſtrum ſuum deferunt à caſtris Philiſtinorum, cùm edoctis ſæcularibus literis diuinas ſtudioſiùs legant, acutiùs intelligant, hæreticorum deceptiones cautiùs deprehendunt, fidei ſimplicitatem & veritatem fortiùs & firmiùs defendunt. His clauſtralis noſter vacans non vacat; his intentus otioſa, vana, & ſuperflua cordis phantaſmata effugat; his conſepultus dormiens vigilat. Iſtæ ſunt veſtes mutatoriæ, quas ſecum Naaman leproſus ad Regem Iſraël detulit.

Coloſſ 2. 8. * Alludit ad verſus 11. & 12. cap. 21. Deuteronomij,

Reg. 4. 14. 40.

Quid iuuant Clauſtrales ſcięᷣtiæ ſeculares.

Si autem de mundo tantas extrahimus mentes, quid de cœlo? quid à Deo, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt*? Qui igitur rigat montes de ſuperioribus ſuis, & paradiſum fluuio qui egreditur de loco voluptatis, & inde diuiditur in quatuor capita, vt habeat quadriforme clauſtrum rigationes diſtinctas. Dicitur in Euangilio: *Qui biberit aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Nota ſunt quatuor flumina paradiſi his qui cum Paulo Apoſtolo rapiuntur ad tertium cœlum, ſiue ad ipſum paradiſum, & inebriantur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis. Notæ ſunt & aquæ de fontibus ſaluatoris, quæ ſeptiformi impetu lætificant ciuitatem Dei. De quibus dicitur. *Deriuentur fontes tui in plateis*: de quibus non bibit alienus. Iob vocat fontes iſtos riuos olei, dicens: *Quando petra funde-*

Iacob. 1. 17.

Ioan. 4. 14. & 7. 39.

Prou. 5. 16.

Iſai. 29. 6.

Digitized by Google

bat mihi riuos olei. Iſaias, qui vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, enumerat & nominat fontes Saluatoris, ſiue riuos olei: fontes; quia ipſe Apoſtolis promiſit, & miſit ſeptiformem ſpiritum: riuos olei; quia licet ſit per omnia æqualis Patri & Filio, non eſt tamen à ſeipſo, ſed à Patre & Filio. Idcircò dona gratiæ dicuntur riui olei. Secundum humanitatem ſuam, filius vnctus eſt oleo iſto lætitiæ præ participibus ſuis. Vnde Iſaias: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Do-*
Iſai. 11. 2. *mini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Lucerna Euangelica ſic perfuſa & infuſa, non ſolùm
Ioan. 1. 1. lucerna eſt, ſed *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et nos de plenitudine eius accepimus, & in effuſione illa quando latus eius miles aperuit, & exiuit ſanguis & aqua; & oliua in torculari miſit ſpiritum tanquam oleum.

Clauſtralis Chriſtum Cruci affixum imitari debet.

Sed quid hæc ad clauſtralem diſciplinam? Planè tota forma clauſtralis diſciplinæ emanauit de Cruce. Sic enim Chriſtus exaltatus à terra, ſuſpenſus eſt in cruce, expoliatus veſtimentis ſuis, & ſic diſtenſus, vt numerarentur omnia oſſa eius; ligno ſic affixus, vt nullum membrum eius moueret præter linguam, quam retinuerat ad orandum, & matrem dilecto diſcipulo commendandam. Sic Clâuſtralis, qui verè clauſtralis eſt, debet ſe totum crucifigere cum vitiis & concupiſcentiis.
Iſai. 58. 14. Debet ſe altera ſuſtollere, ſicut ſcriptum eſt: *Suſtollam te ſuper altitudines terræ.* Et, *Cibabo te hæreditatem Iacob patris tui*: de-
Cant. 5. 1. bet ſe expoliare ſicut in Canticis dicitur: *Expoliaui me tunica mea*, id eſt, carnis concupiſcentia. Debet extendi ad anteriora, non ſimulatè, ſed vſque ad diſiunctionem compagum & medullarum, vt anima liquefiat poſt dilectum: debet ligno affigi, vt hoc corpus mortale cum omnibus membris ſuis timore diuino ſit impotens ad omne malum, potens verò ad omne bonum. Solam autem linguam retineat ad confitendum & orandum. Quid amplius? Surda aure irriſores & illuſores cum Propheta tanquam ſurdus tranſeat. Suggeſtiones & tentationes, quæ de clauſtro exire tanquam de cruce deſcendere cornicantur, non audiat. Ad extremum reddat ſpi-
Pſal. 30. ritum Deo, qui dedit illum, dicens: *In manus tuas commendo*

Digitized by Google

ſpiritum meum, vſque ad reſurrectionem; ne tormentum malitiæ tangat illum; quia *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ.* Sap. 3. i.

CAPVT VII.

Qualiter Clauſtrum inſtitutum ſit.

EX quo Lucifer, ſiue Sathan, ſicut fulgur de cœlo cecidit, ad ipſum non rediit: quia clauſtralem diſciplinam non tenuit: eſt enim diſciplina clauſtralis: lugere ſua, & aliorum peccata: Prælato ſuo ſubijci, obedire per omnia: cauere ab inſidiis; nullis inſidiari (Quia iuxta Hieronymum, Non multum diſtat in vitio decipere aut decipi poſſe) Primum & ſecundum legis mandatum de dilectione Dei & proximi adimplere, & innocentiam & ſanctimoniam ſeruare: Deo ſemper adhærere, & ad ſupernam patriam totis deſideriis inhiare. In quibus ſtat diſciplina Clauſtralis.

Rupto ſemel fœdere debitæ ſubiectionis, deorſum ruens diabolus, ex tunc fremens dentibus & frendens, diſciplinam omnem potius ſubuertit, quàm tenuit; ideò miſericordiam non eſt conſecutus, quia nec veniam eſt ſecutus, nec culpam confeſſus. Quare diabolus miſericordiã Dei non conſecutus.

Homo autem de limo plaſmatus, propter culpam de clauſtro paradiſi eiectus, ad orientalem plagam plangens plagas ſuas, & dicens Deo: *Amoue à me plagas tuas*: tempore accepto, & ab æterno prædeſtinato, in fine ſæculorum propagata ſanctorum viâ in IESV & cum IESV ad clauſtrum rediit, & regulari diſciplinæ ſubiectus, non ſolùm veniam, ſed & primam ſtolam, imò ampliorem gloriam recepit. Sequentes filij hominũ & habentes oculos in capite, ex his quæ facta ſunt didicerunt ſapientiam, quâ vitarent irreparabilem diaboli caſum, & cum anteceſſoribus ſuis regulariter viuendo, ex indulgentia miſericordiæ Dei ad hæreditatem paternam haberent ingreſſum. *Pſal.* 38. ii.

Hanc principalem cauſam æſtimo quare homines egrediantur de ſæculo, & ingrediantur Clauſtrum. Qui enim ſunt in diluuio aquarum multarum, vitiorum & diuitiarum, nec ad clauſtrum, nec ad Dominum approximabunt, niſi imbre ſiccato. Qui in clauſtro eſt cum Noë, qui interpretatur requieſ-

Digitized by Google

cere in arca ; extra arcam verò eſt, qui extra diſciplinam eſt.
Matt. 22. 14. Paucæ autem, id eſt octo animæ in arca ſaluantur, quia *Multi vocati, pauci electi*; qui reſurgent in octaua in reſurrectione vitæ. In Clauſtro habitat Iacob cum Rebecca, quæ eſt patria. In Clauſtro eſt Beniamin cum patre ſuo, ne quid ei mali contingat in via peccatorum; vbi leo, vbi fera beſtia luxuria, quæ deuorat Ioſeph, ſæpe infamiâ, aliquando re ipſa. In clauſtro
Matt. 12. 40. Ionas in ventre ceti: *Sicut* enim *fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: Et filius hominis in corde terræ.* Sic Clauſtralis conſepultus Chriſto, cogitatione, & operatione moritur peccato, & viuit Deo. In Clauſtro Ieremias ſanctificatus in vtero, qui ſedet ſolitarius & tacet, & leuat ſe ſuper ſe, non elatione ſed contemplatione: qui tollit iugum ſuaue & onus leue, vt ſit mitis corde: In clauſtro Ioannes Baptiſta qui

Paul. Diac. *Antra deſerti teneris ſub annis,*
Ciuium turmas fugiens petiuit:
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſet.

In Clauſtro MARIA cum ingreſſus Angelus ad eam dixit: *Aue gratia plena Dominus tecum*: In Clauſtro IESVS cum factus eſſet duodecim annorum in templo ſedens, reſpondit matri
Luc. 2. 48. dicenti: *Ego & pater tuus quærebamus te: Neſciebatis*, inquiens, *quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* In clauſtro Apo-
Ioan. 20. 19. ſtoli; *Cùm eſſet ſero die illo vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congregati: venit* IESVS *ianuis clauſis, & ſteſit in medio eorum, & dixit*; *Pax Vobis.* Et, *Cùm complerentur dies Pentecoſtes erant omnes Diſcipuli pariter in eodem loco &c.* Act. 2. 1. Ecce quales præuios habet clauſtralis conuerſatio. Quàm pium igitur, quàm bonum, quàm iucundum, & quàm tutum
Pſal. 59. 11. habitare in Clauſtro! *Frater* enim *fratrem adiuuans, ciuitas eſt munita*, de qua dicitur, *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* Clauſtrum ciuitas eſt; quia ad benè viuendum Clauſtrales conueniunt munita, quia ſub protectione Dei cœli viuunt. Diſciplina clauſtri porta ferrea eſt, quæ ducit ad ciuitatem; cuius viam non inueniunt qui errant in ſolitudine, & ſemper errant corde. Diſciplina Clauſtri, petra eſt ſcandali, & lapis offenſionis, his qui non credunt verbo in quo & poſiti ſunt.

Digitized by Google

Diſciplina clauſtri petra eſt, quæ bis percuſſa renũtiatione ſæculi, & profeſſione Religionis, dat aquas vt bibant homines & iumenta; prudentes & ſimplices, quibus dicitur: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes; & ſimplices ſicut columbæ.* Matt. 10. 15. Diſciplina clauſtralis eſt crux Chriſti; de qua non deponitur, niſi mortuus. Eſt enim obediens clauſtralis Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Pedes pendentis ſic defixi ſunt, vt non moueantur veſtigia eius de Clauſtro: manus tornatiles ad obedientiam, aureæ ad munditiam; plenæ hyacinthis ad eleemoſynam; diſtillantes myrrham primam ad mortificandam carnem, & non accipiendam pecuniam.

Oculi ad patrem, ad diſcipulum, & matrem; id eſt, ad Deum ſemper, & ad MARIAM Virginem, & ad Ioannem Euangeliſtam. Deus poſſidet cœlum, Mater implorat filium, Ioannes tenet Euangelium. Bonum eſt ex his in his vultus demutare; & modò inuocare Dominum, modò exorare matrem Domini IESV; modo legere Euangelium Ioannis caput inclinatum: Nam *inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ioan. 19. 30. Semper habet Clauſtalis caput in terra defixum cùm venerit in publicum; cùm autem clauſo oſtio intrauerit cubiculum, tũc leuet oculos ad cœlum, & caput ſurſum; dorſum flagellis cæſum, ſiue pro peccata ſiue pro delicto, ſiue gratiarũ actione, & paſſionis Chriſti recõpenſatione: latus perforatum ſeu apertũ, vnde proferat & offerat holocauſta medullata cum incenſo arietũ, & vnde ſanguis profluat ad baſim altaris, Prælato confitendo peccata ſua; & etiam aquae exeat compunctionis ad abluendas maculas criminis. Vẽter diſtentus non ſuperfluâ cibi & potus refectione, ſed continua ieiuniorum exinanitione, vt dicat: *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum.* Ioan. 19. 28. Pſal. 21. 15. Et, *Dinumerata ſunt omnia oſſa mea.* Sic etiam venter diſtinctus ſapphiris, vt non coccinea ſanguine, ſed hyacinthina appareat pellis in mortificatione: nec cõſtruatur ibi horreum vermibus, ſed ſicut vter in pruina aſſiduis decoquatur afflictionibus. Hunc crucifixum deponat Ioſeph & Nicodemus (Angelus & Prælatus) & condiant mixturam myrrhæ & aloës, quatinus non amauit corruptionem in clauſtro; ſic non ſentiant vermes, qui non moriuntur in inferno. Proculdubio hic habebit Angelos ad caput & ad pedes, qui cuſtodiunt introitum eius & exitum, ſuſcipientes animam

Digitized by

exeuntem de corpore, & perducentes ad requiem.

CAPVT VIII.

Comparatio inter diſciplinam Philoſophi Iudæi, Chriſtiani, & cuiuſlibet Religioſi.

SCintilla naturalis boni, quæ remanſit in homine extincto primordiali manus Dei ſeminario, decurrens per gratiam Dei in arundineto omnium artium, multiplices adinuenit diſciplinas, ſecundùm quas viuendo, etſi non prorſus prima creatio reparetur, ſaltem vſque ad cineres non deficiendo, non extingueretur. Vnaquæque igitur gens ſub ſole & regio pro capacitate rationis diſciplinam ſibi confinxit; ad quam ſtultorum enormitas, & prudentium æquitas regulariter viueret. Philoſophi itaque ſuam ſtatuerunt diſciplinam: Iudæi acceperunt ſuam: Chriſtiani ſuam; ad vltimum Eremitæ & Clauſtrales ſuam. Diuerſa intentio diuidit inter diſciplinam & diſciplinam. Intendit Philoſophus gloriam humanam & fauorem ſibi acquirere: Iudæus bona terræ: Chriſtianus ſpem veniæ & gratiæ: Et Clauſtralis cumulum gratiæ & gloriæ. Philoſophus rimatur ſecreta naturæ: Iudæus craſſitudinem terræ: Chriſtianus promiſſionem vitæ quæ nunc eſt, & futuræ: Clauſtralis partim actiuæ fructum, partim contemplatiuæ. Philoſophus abijcit impedimenta carnis, & onera ſæculi: Iudæus hoſtiis & muneribus ſtudet ad emundationem carnis: Chriſtianus ſacramentis Eccleſiaſticis emundatur ab operibus mortuis: Clauſtralis non ſolùm abſtinet ab illicitis, ſed etiam à licitis. Philoſophus ſeminat in ſpiritu non Dei, ſed ſuo & vano: Iudæus in carne: Chriſtianus in fide, ſpe, & charitate: Clauſtralis in filiali adoptione. Præſumptio iuuat Philoſophum: temporalitas Iudæum: fides releuat Chriſtianum: præguſtatio futuræ ſpei confortat Clauſtralem religioſum. Ingenium acuit Philoſophus: quærit lucrum Iudæus: implorat bonum Chriſtianus: coronam auream ſperat Religioſus. Nouitate verborum & ſententiarum gaudet Philoſophus: litera & carnalitate Iudæus: ſpiritali intelligentia Chriſtianus: auſteritate vitæ Religioſus. Farinam comedit

Digitized by Google

de molendino ingenij Philoſophus : inſipidum corticem de lege Iudæus : ſimilam de Euangelio Chriſtianus : medullam de bono propoſito Religioſus. Spargit Philoſophus : congregat Iudæus : erogat Chriſtianus : renuntiat omnibus Religioſus. Docet in ſcholis Philoſophus: in Synagoga Iudæus : in Eccleſia Chriſtianus : in Clauſtro Religioſus. Plauſum amat Philoſophus : nummum Iudæus : Deum Chriſtianus : planctum Religioſus. Vt ceruus in ſyluis Philoſophus : Vt taurus in campis Iudæus : Vt columba in foraminibus petræ Chriſtianus : Vt aquila in contemplatione Religioſus. Philoſophus viuit arte : Iudæus carne : Chriſtianus fide : Religioſus carnis mortificatione. Diſputat Philoſophus : ſomniat Iudæus : legit & intelligit Chriſtianus : orat Religioſus. Capit cyniphes Philoſophus : muſcas morientes Iudæus : aues Chriſtianus : apes Religioſus. Telas araneæ orditur Philoſophus : fouet oua ſua Iudæus : rete Petri reficit Chriſtianus : rationale & ſuperhumerale texit Religioſus.

Si fidei coagulum interueniſſet clauſtralis & Philoſophica diſciplina, mutuis ſe ſe brachiis amplexarentur, & in remotione à turbis oſcularentur. Impedit námque vires ingenij, & ſenſus animæ retardat ſæcularis occupatio, & vana collocutio. Vt itaque totum ſenſum ſibi vendicaret, quieta & ſecreta quærebat loca ; vbi extolleret animum, & ſenſu purgato proferret infermentatum fermento Euangelico fidelem ſenſum. Sed cùm Iacob in virgis artium decorticatis, non vnius, ſed diuerſi coloris commentatum veri ſimile verum, ſenſus carnis tranſiens, & ad ſenſus animæ pertingens, ſi ad ſenſum Dei & fidei pertranſiſſet, ſaluus eſſet : Sed qui offendit in vno factus eſt omnium reus. Vtinam tanta ſeueritate & aſſiduitate cum fide & regulari obſeruatione noſtram carnem affligeremus, & paupertatem amaremus, quantâ plurimi Philoſophorum vitia carnis à ſe extirpauerunt. Sed quia fides mundat corda, & vera pœnitentia per confeſſionem omnia exterminat peccata, ſi quid minus habet extrinſeca politica, totum reſarcit intrinſeca nouæ creaturæ forma. *Omnis* enim *gloria filiæ Regis ab intus* : nec eſt remunerabilis religio, aut diſciplina, quam non commendat gratia cum conſcientia bona. Teneat itaque noſtra diſciplina fœcundum ſilentium ; cum

Digitized by Google

Iudæo iuge ſacrificium; cum Chriſtiano commune caritatis ſolatium; cum ſua profeſſione ſingulare diuinæ voluntatis obſequium. Excludat mundanarum ſollicitudinum curam cum Philoſopho; obſeruet vnius Dei cultum cum Iudæo; gratiæ ſe commendet cum Chriſtiano; ſeipſum ſuperet interno ad Deum deſiderio. Adimpleat quæ prima ſunt in voto cum Philoſopho; quæ media cum Iudæo; quæ extrema cum Chriſtiano; quæ ſuprema ex gratia cum libero arbitrio. Metat quod viride eſt cum Philoſopho; quod fœcundum cum Iudæo; quod maturum cum Chriſtiano; quod fructuoſum cum ſuo voto.

CAPVT IX.

De Angelica diſciplina.

REſtat Angelica diſciplina, quæ tota eſt voluntaria, & totũ habet ex dilectione, & nihil ex difficultate ſiue labore. Cùm Deo miniſtrat, reficitur: cùm aſſiſtit, ſatiatur; cum mittitur, currit cum exultatione; cùm reuertitur, excipitur cum iubilatione; ſemper infra Deum currit, nunquam extra. Nihil in diſciplina illa cõfuſum, nihil moleſtum, nihil exordinarium; omnes illos ſpiritus liquefactos in amorem Dei & ſui ad inuicem coagulat; & vno ſpiritu conglobati, tanta ligantur compagine, quanta ſi vnus tantùm ſpiritus eſſet in tota illa multitudine. In ordine illo ſunt nouem ordines Angelorum; quibus adiungitur decimus hominum; vt Pſalmiſta cantet in medio clauſtri, in decachordo pſalterio cum cantico, in cythara crucis & crucifixi. De qua conſonantia loquitur Apoſtolus: *Si linguis hominũ loquar & Angelorum*, id eſt, indecachordo pſalterio: *Caritatẽ autem non habeam*, id eſt, cytharam crucis & vnitatis; *nihil ſum*. Eſt enim participatio eius in idipſum, donec formetur Chriſtus in vobis, illa formatione quâ omnia membra ſuo capiti iuncta, diuinæ conſortes efficientur fideles naturæ. In cella clauſtrali tanquam in vtero clauſi, lineamenta contrahimus, quibus ſoluta mortalitate Angelis aſſimilabimur, *Cùm ſimiles Deo erimus*; vt ait Apoſtolus; *Quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Quæ ergo ſunt illa lineamenta?

Puritas

Digitized by

Puritas Angelica, munditia, caſtitas, caritas, pax & veritas, & omnes illæ virtutes, de quibus dicitur: *Benedicite Domino omnes virtutes eius*: Orandum eſt, vt qui illas creauit in cœlo, nobis informet in Clauſtro; ne vultus diſſimiles ſeparent manſiones. Si enim Angelus in te aſpexerit vultum ſuum, diliget te tanquam ſeipſum.

CAPVT X.

De forma Clauſtralis diſciplinæ.

FOrma clauſtralis diſciplinæ ſpeciem retinet Angeli nuntiantis Dominicam reſurrectionem: *Erat* ſiquidem *aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix.* Timida nanque corda carnalium qui ad bella non procedunt, & venire ad nuptias contemnunt, primo religionis aſpectu expaueſcunt; & conſuetis carere ſe non poſſe voluptatibus, phantaſticis illuſionibus confingunt. Occupantur enim in quinque iugis boum Euangelicis; & in villa empta; & in vxore ducta; ſumptus qui neceſſarij ſunt, cauſantur non habere; patientiam, auſteritatem cibi & potus, vilitatem indumentorum, iuge ſilentium, obedientiæ iugum, recluſionem continuam, continentiam perpetuam, & his ſimilia: viros ſe nominant, ſed inter effœminatos ſe moribus collocant. De huiuſmodi ait Gregorius: Quid inter hæc barbati dicimus, qui ire per ferrum ad regnum puellas videmus? Non negamus aſperitatem huius noſtræ diſciplinæ, ſed cum Pſalmiſta dicimus: *Propter verba labiorum tuorum* (id eſt, *Qui non odit patrem ſuum & matrem ſuam.* Et, *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus*) *ego cuſtodiui vias duras. Vaſa quoque figuli probat fornax.* Et, *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Fugiunt à ſonitu folij nemine perſequente: Tactus & guſtus veriores ſunt in iudicio, quàm ſolus aſpectus. Tangenda eſſet & guſtanda diſciplina Clauſtri, & ſic diiudicanda eſſet, vtrum bona eſſet, an mala. Veſtimenta ſunt vt nix; veſtimenta clauſtralis diſciplinæ, ſunt regulares obſeruantiæ. Quare nix? quia extinguunt deſideria, & incentiua carnis; quia caſtigant afflictione, ſed dealbant remuneratione. *Si fuerint*

inquit Iſaias, *peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Quando? dum diſcernet Deus Reges, niue dealbabuntur boni clauſtrales: quia erunt ſicut Angeli Dei in cœlo, relucentes vt ſol in perpetuas æternitates. Non incongruè autem clauſtrum alijs reputatur ſtadium; aliis interius atrium; aliis gazophylacium; aliis ſanctum ſeculare; aliis regale cubiculum; aliis patibulum; aliis forum venale.

CAPVT XI.

Clauſtrum eſſe ſtadium oſtenditur.

STadium dicitur à ſtando, quia qui in Clauſtro eſt, ſtare debet in virtute cum omni ſollicitudine, non in vitiis cadere; vnde Apoſtolus: *Qui ſtat, videat ne cadat.* Stadium autem eſt, in quo omnes currunt, ſed vnus accipit brauium. Licet enim ſtadium à ſtando dicatur, tamen per ſtadium curritur, vbi ad brauium veniatur, & ibi curſus conſummatur; ſicut Apoſtolus ait: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui &c.* Omnes ergo qui comam capitis propter Chriſtum depoſuerunt, & habitum Religionis ſuſceperunt, currunt dum ad finem tendunt; ſed vnus accipit brauium, qui non mutatur vt luna, non recedit ab vnitate fidei & profeſſæ Religionis. *Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Huius ſtadij lex eſt, vt ab omnibus abſtineat qui ad brauium feſtinat. Mitiùs non ligat lex noſtra, quæ pauca tollit, & plura concedit. Tollit fornicationem, adulterium, omnem immundiciam, ipſum quoque matrimonium: quia *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt.* Tollit crapulam, tollit pecuniam, tollit ſuperflua, concedit neceſſaria. Sic mandat Moyſes Sehon Regi Amorrhæorum: *Via regia gradiemur, aquas tuas non bibemus, nec aliquid tui accipiemus; ſed pretio ememus neceſſaria.* Peregrinus & aduena, qui quotidie tranſit ex hoc mundo ad Patrem, de ſubſtantia Principis huius mundi vſque ad filum ſubtegminis non accipit, quatenus ſua repetenti in exitu animæ confidenter dicat: *Nihil in me, funeſte, reperies.* En iſte eſt curſor leuis explicans vias ſuas, currens velociter in odore vnguentorum ſponſi.

Pſal. 23. 5.

1. Cor. 7. 23.

Num. 21. 22. Paulò aliter in Vulgatis.

S. Martinus in vita.

Digitized by Google

De hoc ſtadio ait Dominus filiis Iſraël: *Omnis locus quem calcaueri pes veſter, veſter erit; à deſerto, & libano, & flumine magno Euphrate, vſque ad mare occidentale* * *ibunt termini veſtri.* Qui deſerit mundum & venit ad clauſtrum, iam incipit calcare ſæculum & corpus ſuum. Et eſt hoc deſertum, terra deſerta, inuia & inaquoſa: deſerta propter aſperitatem, inaquoſa propter diſciplinæ ſeueritatem, inuia propter viatorum raritatem. Sed hîc in ſanctô, ait Pſalmiſta, apparui tibi Deus, vt videamus virtutem tuam, propter durum laborem, & gloriam tuam, perpetuam conſolationem. Inchoandum ergo eſt à deſerto renuntiationis ſæculi, & currendum per libanum caſtitatis, & dealbationis, ſeu aſperſionis ſanguinis IESV CHRISTI, vt dicatur; *Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri* IESV CHRISTI. Vbi ſancti dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Rurſus enauigandum per magnum flumen Euphratem: primò per baptiſmum; ſecundò per aſſiduam compunctionem. Terminabitur autem curſus noſter ad mare occidentale, ne deficiamus in via, donec per mortem finiatur vita. Omnem itaque locum quem calcauimus, poſſidemus; ſicut ille qui ait: *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

Deut. 11. 24.

al. * erunt.

Galat. 6. 14.

2. Cor. 6. 10.

CAPVT XII.

De Clauſtri atrio interiori.

ATrium mentis dicitur Clauſtrum, vbi pelles hoſtiarum detrahebantur, membra per fruſta ſecabantur, cineres effundebantur, abluebantur inteſtina, & quæque laborioſa officia exercebantur. Sic ingrediens Clauſtrum, pellem pro pelle, & omnia quæ habet dat pro anima ſua, dum exuit veterem hominem, & induit nouum, ambulans in nouitate vitæ, & in confeſſione detegens vitia prioris conſuetudinis. Priùs itaque immolando ſacrificium Deo mortificat membra ſua quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & cætera alia. Deinde detracta pelle totius peruerſitatis in confeſſione, artus in fruſta concidit, nihil de omnibus peccati circunſtantiis reticens, ſed per ſingula titulos accuſationis & conqueſtionis ſubijciens, voret hæc omnia ignis con-

tritionis & pœnitentiæ quouſque ad cineres quos ſuper caput aſpergat, dicens: *Peccatum meum coram me eſt ſemper:* Et, *Putredini dixi: Pater meus es, mater & ſoror mea vermibus*: Compunctio his addatur, quæ ſicut aqua de latere Chriſti emundat inteſtinorum conſcientiam ab operibus mortuis. Iuxta ſanctuarij introitum atrium interius collocatur, extra ſe habens atrium exterius, & intra primum tabernaculum quod dicitur ſancta. Nouitius igitur ad Religionem veniens in confinio orationis & ſenſualitatis poſitus, iam quidem non eſt in carne, ſed nec in ſpiritu. Audit interim inter terminos habitos ſibilos gregum carnis inter ſe diffidentium, mente conſentiens legi Dei, carne autem legi peccati. Audit ſibilos gregum cœleſtium cantantium de canticis Sion, & ad ſomnos contemplationis prouocantes, & carnalium motuum moleſtias tranquillantes.

Pſal. 50. 4.
Iob. 17. 7.

CAPVT XIII.

Clauſtrum Gazophylacium.

EST & Gazophylacium Clauſtrum, vbi aurum, argentum, & lapides pretioſi reconduntur; & vbi theſaurum noſtrum in vaſis fictilibus, id eſt, conſcientiam bonam in obſeruantiis regularibus habemus. In Clauſtro theſauri ſunt ſibi vitam æternam negotiantes Religioſi, quibus homo nobilis peregrè proficiſcens tradidit bona ſua: ſinguli pſalmi, ſingulæ orationes, ſingulæ confeſſiones, ſingulæ lacrymæ, ſingula ieiunia, ſingulæ eleemoſynæ, ſingulæ immemorabilium laborum afflictiones, nonne aceruum faciunt gratiarum, quæ eſt theſaurus deſiderabilis in congregatione clauſtrali? Super gazas iſtas Eunuchus Candacis Reginæ conſtituitur. *Cando* ille qui ſe caſtrauit propter regna cœlorum, in officio prælationis præficitur: Siquidem pudicitiæ & caſtitatis titulo inſignitus, tanquam renibus accinctus cuſtos ſponſæ Chriſti non immeritò conſtituitur. Talis inuentus eſt Ioſeph in domo Putipharis ſacerdotis Heliopoleos: Talis Ioannes Euangeliſta, cui matrem ſuam in Cruce commendans commendauit: Talem eligit Apoſtolus: Talem deſcribit Beatus Benedictus.

Digitized by Google

Zelotes Dominus qua ratione crederet ſponſam, quam pretioſo ſanguine redemit, & matrimonio indiſſolubili ſibi copulauit, niſi vt amicus ſiue vicarius ille ſponſi fideliter ſeruiret, & caſtè commiſſam conſeruaret?

CAPVT XIV.

Clauſtrum eſt ſanctum ſeculare.

INgrediamur iam ſanctuarium, quod dicitur ſanctum ſeculare, vbi ſemper introibant Sacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes. Peregrinans in terris iuſtitia grata ſibi interim clauſtralem diſciplinam determinat hoſpitia. Pulſat itaque ad ianuam clauſtri, dicens: *Aperi mihi ſoror mea: caput meum plenum eſt rore*; quem ſuperfundam in area clauſtrali, vt moretur ros in meſſione mea, & cincinni mei guttis noctium, quas furatur in abſcondito vultus Dei, & in ſecreto ſilentij pia conſcientia. Currendum & occurrendum tam benignis pollicitationibus impigro pede ſancti deſiderij, & tollendum peſſulum oſtij, quod eſt difficultas & tarditas humanæ fragilitatis ad vota ſoluenda. Sanctum itaque ſeculare eſt velle, & vix bona facere. Sanctum verò cœleſte, velle & perficere. Vnde Apoſtolus: *Deus eſt qui dat nobis velle & perficere pro bona voluntate.* De ſancto ſeculari idem: *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Meritò igitur Clauſtrum dicitur ſanctum ſeculare, vbi nec quod volumus, facimus; nec quod facimus, perficimus.

Cant. 5. 2.

Philip. 2. 13.

Rom. 7. 18.

CAPVT XV.

Clauſtrum Regale cubiculum.

DIcitur etiam clauſtrum Regale cubiculum: Vnde in Canticis loquitur clauſtralis diſciplina: *Dum eſſet in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Accumbere eſt ad quieſcendum ſe inclinare. In Iſaïa loquitur Dominus: *Laborauí ſuſtinens.* In Heremia: *Labora rogans.* Et in Euangelio: *Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem.* Non ſolùm ſcelera Iacob & peccata noſtra vexant illum qui idem ipſe eſt & cum tranquillitate omnia iudicat; ſed etiam hoſtia pacifica & in-

Cant. 1. 11.

Iſai. 1. 14.

Ierem. 15. 6.

Ioan. 4. 6.

Digitized by Google

cenſa, & cantica illorum Sacerdotum, quorum manus ſanguine, auaritia, & luxuria plenæ ſunt. Prophanis itaque & malis hominibus ad laſſitudinem laceſſitus ſabbathizare volens, loca ſilentij, pacis, vnitatis, & honeſtatis requirit, & ibi cubiculum ſtatuit. *Hæc*, inquit clauſtralis diſciplina, *requies mea; hic habitabo quoniam elegi eam.* Et, *Delicia mea eſſe cum filijs hominum.* Quorum conuerſio non animalis, ſed rationalis, & ſpiritalis eſt in cœlis. Liquefacta quodam amore humili ceruorum, qui tranſilit ſuper montes aromatum, loquitur ad ipſum: *Indica mihi*, inquit, *quem diligit anima mea vbi paſcis, vbi cubas in meridie*: quando ſpiritus feruet, quando mens tota incandeſcit, quando ignis exæſtuat in oſſibus amantis, & ferre non ſuſtinentis. Planè inter aceruos nouarum frugum, in liliis, in campis ſyluæ, à mundanis artibus remotarum mentium paſcit & cubat in meridie. Adoleſcentuli & adoleſcentulæ regale cubiculum obſeruant tenentes gladios, qui deuorant carnes ſuper femur mali deſiderij, ambientes Regem Salomonem propter timores nocturnos, ne fortè vlulatus luporum, & gannitus vulpium rumpant medium noctis ſilentium, quando moriuntur primogenita Ægyptiorum.

Pſal 131.15. *Prou.* 8.31. *Cant.* 1.6.

CAPVT XVI.

Clauſtrum eſſe patibulum oſtenditur.

PAtibulum dicitur Clauſtrum, vbi IESVS cum latronibus ſuſpenditur; ſed IESVS non quia meruit, ſed quia voluit; illi non quia voluerunt, ſed quia meruerunt. Vnde ait latro ad latronem: *Nos quidem digna factis recipimus; hic autem nihil mali geſſit.* Quicunque autem Clauſtrum ingreditur cum IESV de voluntate, cum latronibus eligat ſuſpendium pro malorum ſuorum merito & ſatisfactione. Triplici diſtinctione omnium Clauſtralium multitudo aſſignatur. Eſt in Clauſtro innocens & ſine querela apud Deum & homines cum IESV. Eſt nocens, ſed pœnitens cum dextro latrone: eſt nocens & impœnitens cum ſiniſtro. Patitur innocens ad augmentum coronæ: patitur pœnitens ad meritum veniæ: patitur impœnitens ad cumulum pœnæ. IESVS in patibulo orat; Latronum

Luc. 23.41.

Digitized by Google

alter veniam postulat; alter IESV insultat: qui bonus sustinet patibulum, bona eius conscientia leuem facit pœnam; & atrocem, qui malus sustinet: sed in flagello non murmurat, veniam meretur; qui malus flagellatur, & sicut ignis in spinis desperando crepitat, damnatur.

Disciplina filij siue Magistri.

Notanda in patibulo triplex claustralis disciplinæ distinctio: est námque filij disciplina ibi, cui Pater vnigenito non pepercit, *sed pro nobis omnibus tradidit illum*: De quo Esaïas: *Disciplina pacis nostræ super illum.* Et, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Hunc vnicum & dilectissimum filium, in quo sibi benè complacuit, flagellis, imò durissimis scorpionibus absque vlla retractatione velut inimicum pro reconciliatione inimicorum misericors pater & Deus misericordiarum cæcidit. Inde Filius: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* O dura, imò pia pietas! dura, quoad humanum iudicium; pia quoad diuinum secretum: dura quoad patientis meritum; pia quoad passionis causam & effectum. Vnus agit causam omnium; bonus malorum, iustus peccatorum, filius seruorum. Disciplina igitur pacis nostræ super eum, qui totum debitum nostrum soluit cum vsuris, non solùm centesimis, sed & infinitis, vt plus appenderet statera crucis donum, quàm delictum; & superabundans gratia remissionis indulgeret culpas non solùm originales, sed actuales. Grandis & grauis disciplina sub qua mitissimus Agnus voce blanda & mansueta suspirat dicens: *Mi Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: & si non potest transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Si filius es in Claustro, sic habeas cor pacatum & paratum ad patiendum, & etiam ad congratulandum, dicens: *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Lupus Iudas, vnanimis fortè tuus, si leuauerit contra te calcaneum * tuum, nec pellem mansueti vultus detrahat, nec carnem patientiæ deglutiat, nec intestina intentionis mordeat. Si Sathan manifestus à planta pedis vsque ad verticem famam tuam exulcerare voluerit, sedens in sterquilinio humilitatis, testâ saniem rade imputando culpæ tuæ non alterius malitiæ: sicut Dauid Semei maledictiones non imputabat, sed diuinæ vltioni ascribebat.

Rom. 8. 32. *Isai.* 53. 5. *Isai.* 53. 4. *Isai.* 50. 6. *Matth.* 26. 39. 42. *Psal.* 37. 18.

* f. * suum.

Digitized by Google

Diſciplina diſcipuli & ſerui.

Item alia eſt diſciplina diſcipuli, & alia ſerui. Diſcipulus audit doctrinam magiſtri; Seruus qui non manet in domo in æternum, & præſtolatur finem operis ſui, piger eſt ad audiendum, negligens ad operandum: ad oculum enim omnia facit, nec quærit gratiam, ſed pecuniam. Diſcipulus ſanctus eſt, qui à dextris Domini pependit latro; ſeruus qui à ſiniſtris.

Luc. 23. 41. Clamat diſcipulus: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Patientiam & pœnitentiam iam didicerat in tempore paruiſſimo, conſummatúſque in breui expleuit tempora multa; placita enim erat Deo anima eius. Vnde; *Hodie mecum eris in paradiſo.* Itaque & tu Clauſtralis, qui fortè ab oriente veniſti, ab ineunte ætate peccatis inuolutus; vel ab occidente vſque ad ſenectutem in peccatis conuerſatus, conuerſus ad Religionem, ſpera in Domino & fac bonum. Dic: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Item: *Adhæſit anima mea poſt te*, ſequendo te & obediendo tibi: *Suſcepit me dextera tua*; quia licet peccauerim, licet mortem meruerim, tamen ſpero de miſericordia tua, quæ eſt dextera tua. Non eſt extra diſciplinam qui ſedet ad dexteram, vel etiam qui pendet: ſed cum delectatione tenet diſciplinam Clauſtri: Pendet, qui vitulos habet mugiẽtes, ſed recluſos appetitus ſeculi, & impetus carnis audiens, ſed non vadens poſt concupiſcentias ſuas. Mouetur carnalis ſuggeſtio, ſed non egreditur conſenſus aut delectatio: concipit caro dolorem: ſed non parit. Quare? quia non eſt extra diſciplinam, nec extra dexteram. Semper enim dicit: *Dominus à dextris eſt mihi, ne commouear.* Diſcipulus non moritur. Seruus autem qui ſeruus eſt peccati, & pœna peccati, quid? *Eijce ancillam, & filium eius: Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ* MARIÆ. Hic eſt clauſtralis, qui quærit quæ ſua ſunt, non quæ IESV CHRISTI. Quærit obedientiam, non IESV CHRISTI, ſed proprij arbitrij: quærit pecuniam, quærit voluntatem propriam, quærit duobus dominis ſeruire; Deo & Mamonnæ. Hic labiis Deum honorat, cor autem eius longè eſt ab eo. Hic in veſtibus ouium venit, ſed intus eſt lupus rapax, cuius Deus venter eſt. Hic habet ſpeciem pietatis, ſed virtutem eius abnegat. Hic non eſt ex nobis, licet inter multos ſit nobiſcum. Hic magis eligit porcos immundi deſiderij paſcere, quàm in paternis poſſeſſionibus ſobriè viuẽdo remanere.

Pſal. 15. 8.

Gen. 21. 10.

Digitized by Google

remanere. Deſcendamus iam ad forum & emamus nobis neceſſaria.

CAPVT XVII.

Forum venale Clauſtrum: quod & Tyro ciuitati moraliter aſſimilatur.

CLauſtrum eſt venale forum, vbi exponuntur merces omnes ad vtilitatem animæ, ſiue quæ ad decorem, ſiue quæ ad neceſſitatem pertinent. Lege Tyrum in Ezechiele ſingulis rebus & ſpeciebus à diuerſis hominibus & regionibus iuxta ſingulorum poſſibilitates, & peregrinas merces, ſufficienter conſtructam & ornatam. Myſticas horum ſignificationes nec huius operis, nec noſtræ facultatis eſt de ſacculis hiſtoricis & marſupiis euoluere & explanare. Humeris Hieronymi & Gregorij, atque aliis Expoſitoribus relinquimus, qui falces habent acutas ad metendum, vbi alij laborauerunt; ad noſtram tamen diſciplinam & Clauſtrum noſtrum ſumptu ſoluto exinde reporto. Quòd ſicut opulentiſſimam illam vrbem vicinæ & remotæ prouinciæ repleuerunt; ſic Clauſtrum Religionis illi qui ab initio mundi Deo placuerunt vſque ad hæc noſtra tempora: omnia enim ſua tam dicta quàm facta ad vſus noſtros præparauerunt. Cedros imputribiles, ſi fortia caſtitatis quæris exempla, abſque numero reperies. Si patientiæ, ſi conſtantiæ, ſi fidei, ſi veritatis, ſi manſuetudinis, ſi religionis, ſi obedientiæ, ſi iuſtitiæ, ſi fortitudinis, ſi prudentiæ, ſi temperantiæ, ſi omnium virtutum poſſeſſores quæſieris: occurrēt tibi innumerabiles ſuper arenam maris, & ſtellas cœli: Vnde: *Mihi autem amici tui Deus honorabiles facti ſunt: dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Emat itaque à bonis & legitimis Dei mercatoribus quod ſicut placet quiſque, & quod ad diem feſtum neceſſe eſt. Tunc enim in foro nihil inuenitur, cùm clauſa erit ianua, & fatuis virginibus dicetur: *Ite ad vendentes, & emite vobis.* Quod dicetur, non ad conſultationem, ſed ad ſubſannationem. *Subſannabo*, inquit ſapientia, *cùm vobis quod timebatis aduenerit.* Bene autem Tyrus, qui interpretatur anguſtia, clauſtralem diſciplinam figurat; quia malum, malum eſt, dicit omnis emptor; ſed cùm venerit do-

Cap. 27.

Pſal. 138. 16

Matt. 25.

Prou. 1. 26.

Digitized by Google

2. Cor. 4. 17. mum gaudet: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Nec minor apparatus animarum in Clauſtro, quàm terrenarum opum in Tyro. Vix eſt colligere opes Tyri, vix eſt enumerare labores Clauſtri. Quidquid congregat ad perituram gloriam ſæculi Tyrus; hoc pro acquirenda beata vita bonâ patientiâ ſuffert religioſus Conuentus.

Primò conſiderandum quod in corde maris eſt ſita, vbi quidem maior eſt timor, durior eſt labor. Finitimi ſunt Elias, Ioannes Baptiſta, Beatus Benedictus, & ſanctus Auguſtinus; qui ædificauerunt verbo & exemplo clauſtralem Religionem, & impleuerunt illam ſanctitate, & decore incomparabili, abietes & cedros animi puritate & incorruptione imputribiles, & contemplatione ſublimes. *De Sanir*, ideſt via lucernæ, ſeu dentibus vigiliarum, vel etiam de libano exſtruunt clauſtrum, cùm tales perficiuntur, quorum vita via eſt aliis, & lucerna, ſiue redargutio errantium ſolicita & mordaciſſima, atque de-

Iſai. 2. 13. albatio inuitantium candidiſſima. *Quercus* quoque *de Baſan* recipit Clauſtrum, id eſt, ignominioſos peccatores, & facit

Ioſue. 9 27. remos, ſicut Ioſue Gabaonitas, aquarios in templo & ligna-

1. Cor. 6. 4. rios. Vnde Apoſtolus: *Eos qui contemptibiles in Eccleſia ſunt,*

Ezec. 27. 6. *conſtituite ad Iudicia. Tranſtra*, quorum pedes portant pacem; *& prætoriola*, quorum anima adhæret pauimento. *De ebore Indico* propter mortificationem. Et de *Inſulis Italiæ* ſiue Cethim,

Ibid. 7. id eſt, percuſſa Dei timore dolent. *Byſſus varia de Ægypto*, id eſt, ſæculo, *texitur in velum*: quando de ſæcularibus conuerſi, difficultatibus & obiectionibus aduerſariorum tanquam murus ſe opponunt pro domo Iſraël. Similiter *hyacinthus* de nobilitate; *purpura* de obſcuro & ignobili genere, tamen valdè laborioſo, fiunt operimentum in ſecuritatem & abſconſio-

Ibid. 8. nem infirmorum à turbine, & à pluuia. *Habitatores Sidonis, & Aradij*, quondam venatores Rethorici, deponentes per potentiam, ſicut Nabuchodonoſor quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat: modò ſunt remiges noſtri guber-

Ibid. 9. nantes nauem, & trahentes ad portum. *Sapientes tui, Tyre, ſunt gubernatores tui*, à quibus cum reſpublica regitur, benè agitur. *Senes Giblij, & prudentes eius*, in ordine ab infantia nutriti, *habuerunt nautas ad miniſterium varia ſupellectilis tua*;

Digitized by Google

quia conſuetudo & vſus Clauſtri ab his quærendus eſt. *Omnes naues maris, & nautæ earum, fuerunt in populo negotiationis tuæ*: quia Clauſtrales de labore ſæcularium viuunt, ſecundum Apoſtolum: Qui ſpiritalia ſeminant, carnalia metant. Perſæ, id eſt tentati à concupiſcentia ſua abſtracti & illecti, & generati à diabolo; Vnde, *A patre diabolo eſtis. Et Libyes*, quorum *Ibid.* 10. os maledictione plenum eſt, conuerſi ſunt in exercitu clauſtrali, vel perſeuerando in malitia ad exercendum Abel, vel immutati ad ſeruiendum Deo viuenti. *Viri bellatores tui clipeum & galeam ſuſpenderunt in ornatu tuo*, induentes ſe armaturam Dei tempore belli, & reſiſtentes Diabolo, & vitiis carnis; & tranſactâ malitiâ, quæ eſt vita hominis ſuper terram, fortia virtutum exempla ſequacibus relinquentes; ſicut Eleazarus, qui noluit ſimulaſſe carnem porcinam contra leges ſanctas manducaſſe. *Filij Aradij cum exercitu tuo ſuper muros tuos* *Ibid.* 11. *& in circuitu tuo.* Aradij deponentes veterem hominem cum actibus ſuis ſuper muros ſunt cuſtodes tota die & tota nocte in perpetuo non tacentes; ſed contra aëreas poteſtates debellantes. *Sed & Pigmæi, qui erant in turribus pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris ſuis per gyrum: ipſi compleuerunt pulchritudinem* *Ibid.* *tuam.* Nota quòd Pigmæi, qui ſunt cubitales homines, dicuntur complere pulchritudinem noſtram; Planè qui ſe humiliat ſicut paruulus Euangelicus, hic in turribus pacis cum ſecuritate complet cumulum Religionis. *Græcia, Thubal, & Moſoch, ipſi inſtitores tui.* Ad ſummam dicendum de cunctis gen- *Ibid.* 13. tibus ad Religionem iam conuerſos, & adhuc plures conuertendos, qui ſinguli de moribus, de regionibus, de conſuetudinibus ſuis, multas manſiones in domo Dei faciunt; vt ex multis facierum perſonis corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia magna ædificetur.

Fortè ſub his integumentis parum tibi arridet modeſtiſſima clauſtralis diſciplinæ facies. Nudam & ſuperborum foliis expoliatam, ſuccinctámque conſuetudine ſeculari magis appetis: ne lector offendiculo obumbratæ locutionis tardatus, faſtidio ſenſum amittat: Et in hoc quoque ſatisfacere poſſim, & tuæ voluntati & aliorum vtilitati. Sunt itaque nerui & compagines clauſtralis diſciplinæ filentij cenſura; verborum rara & rationabilis licentia; aſpectus in terram defi- Clauſtralis diſciplinæ variæ obſeruationes. 1

xus; inceſſus neque multùm tardus, neque multùm feſtinus; ſeſſio in clauſtro aſſidua, in choro interciſa; ſtatio quaſi ante Deum tremula & timida; cibus & potus caſtra infra metas ſufficientiæ ponens; ſomnus digeſtioni ſufficiens; caſtitas vtriuſque omnes fines hominis poſſidens; timor Dei fundamenta omnium actionum iaciens; amor Dei cœlum ſuperextendens; conſtantia & perſeuerantia in bono parietes fulciens; puritas & munditia Clauſtrum ſcopando omnia ſuperflua proijciens; humilitas ſtramenta pedibus ſubſternens; obedientia introitum & exitum cuſtodiens; caritas conuentum totum per ordinem diſponens; fides animans; ſpes recreans. Vbi diſciplina iſta tenetur, & ordo non diſſipatur, crede mihi, ſtat IESVS in medio Diſcipulorum ſuorum; & dans pacem cum eis ingreditur, & egreditur; & eſt pax ingredienti diſciplinam, & egredienti ad vitam æternam; in ſuperliminaribus clauſtralium domorum, ſanguine Agni ſcribantur hæc in generatione altera.

CAPVT XVIII.

De ſilentio.

ADhuc repeto amplius commendare quæ religioni æſtimo magis amabilia, vel etiam neceſſaria; vt ſunt, ſilentium, lectio, confeſſio, & oratio. Silentium clauſtrale, nec mutum ſit nec loquax: non mutum ſit in auribus Domini ſabaoth, ſed
Pſal. 16. 2. ſemper dicat: *Auribus percipe vocem orationis meæ.* Et, *Voce*
Pſal. 141. 1. *mea ad Dominum clamaui.* Quia tacenti Moyſi dictum eſt:
Exod. 14. 15 *Quid clamas ad me?* Illa enim vox penetrat viſcera miſericordiæ Dei noſtri: quam ſolus & totus ſpiritus in imis viſceribus ingemiſcens iactu validiſſimo ad tertium emittit cœlum. Vn-
Heb. 5. 7. de Apoſtolus de Domino: *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus pro ſua reuerentiâ.* Tale ſilentium habet tintinnabula in extremitate ſacerdotalis indumenti cum malis punicis; quia ſollicitus de exitu vitæ huius orat refectionem & rotunditatem vitæ æternæ. Rurſum
Prou. 10. 19. non ſit loquax; quia *In multiloquio non deerit peccatum.* Et lin-

gua in vdo constituta, si mouetur sine sustentaculo timoris Dei; vix euadit lubricum, vix non incurrit lapsum. Non ergo valuas labiorum aperiat, nisi fortè in sabbato aut in calendis de requie futura, & gaudiis sanctorum commemorans. Sub tali silentio crescite & multiplicamini sancta desideria, pax cordis & tranquillitas cum vera munditia; quia ventosa & vana loquacitas mixta cum gelu & pruina verborum seminantium discordias, ficum, & vineam, & teneras arbores scandalisando, citò & frequenter exurit. Sigillum autem silentij si sub signaculi obumbratione sit, nutrit semen bonum, & ad prouentum facit venire. Inde est quod in Apocalypsi liber, qui est in dextera sedentis super thronum, scriptus intus & foris, septem sigillis signatur. In manu Dei sumus & nos, & sermones nostri, clausi septem signaculis quousque aperiat os nostrum Agnus qui occisus est; & habet clauem quæ aperit, & nemo claudit: Vnde Paulus vinctus, *Sed verbum Dei non est alligatum.* Apoc. 10. 3. Claudit & nemo aperit; vnde in eadem Apocalypsi · *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua noli ea scribere.* Daniel. 12. Et in Daniele, *clausi sunt sermones.* 4. Liber iste scriptus est intus & foris, ne labiis tacitis iniquitatem mediteris in cubili tuo, id est, in cordis secreto: signatus est septem signaculis, ne egrediatur verbum otiosum, quia de omni verbo otioso reddituri sumus rationem. Ne vanum, sicut illi qui *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum*: Psal. 11. 2. ne dolosum; quia *fraudulenti vasa pessima sunt.* Isai. 32. 7. Ne mendax; quia *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Psal. 5. 7. Ne malum: vnde, *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Ephes. 4. 29. Ne schismaticum aut hæreticum aut murmurosum; quia Dathan & Abiron viui absorpti sunt, & murmurantes perierunt ab exterminatore. Ad vltimum ne blasphemum, quod non remittetur nec in hoc seculo, neque in futuro.

Sunt quoque septem sigilla, quibus signatur liber silentij claustralis. Ratio tranquillitatis; ratio professionis; ratio tenendæ pacis; ratio componendi affectus & motus cordis; ratio subtrahendi à secularibus negotiis; ratio scrutandæ legis Dei; ratio contemplationis. Vbi enim silentij repagula infringuntur, turbatur tranquillitas; professio soluitur; pax confunditur; affectus & motus cordis tanquam mari moto vndis contunduntur. Qui secularibus implicatur, æternis &

cœlestibus exuitur, qui Sophisticis & Rhetoricis deceptionibus occupatur, legem Dei non meditatur; qui garrulitate & vana loquacitate detinetur, ad Deum mente non erigitur. Salua igitur sint signacula ista donec Agnus soluat, & labia nostra aperiat. His signaculis liber silentij clausus non soluitur, nisi Agnus soluerit qui occisus est; quod est vt vsque ad mortem
Apoc. 5. 12. seruetur ista silentij censura. Soluetur autem ab Agno, *Qui dignus est accipere virtutem*, vt sit Rex virtutum; *& diuinitatem*, vt sit Patri consubstantialis secundum æternam generationem
Eccli. 24. 5. & sapientiam, quæ loquitur: *Ego ex ore Altissimi prodiui; Et fortitudinem*, vt sit fortis & potens in prælio; *& gloriam & honorem*; quia eum qui modicò ab Angelis minoratus est, gloria & honore coronauit Pater; *& benedictionem*, qui accepit benedictionem à Domino, & est super omnia benedictus Deus. Ad hæc Agnus aperit ora mutorum, & resoluit signacula, vt sapientiam in mysterio absconditam loquamur, vt dicamus de Christo: *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* In libro itaque signato, id est, in silentio legamus, & quod sub sigillo clauditur, tanquam sublato lapide ab ore putei ab Iacob, vel à Domini sepulchro ab Angelis, inspiciamus, & de aquis istis bibamus. Bonum est ergo claustrale silentium.

CAPVT XIX.

De lectione.

HVic silentio concatenata est lectio, & quasi debent anuli infigi in ansulis cortinarum in templo Dei. Lectio autem est pascua vberrima, in qua animalia pusilla cum magnis assiduè pascendo præparant holocausta Domino medullata, cùm intra se ruminantes dulcissimos diuinæ scripturæ flores, nihil aliud corde & ore continent. Purgat siquidem interiora nostra ossibus mortuorum, & morticinis amputandarum cogitationum assidua & intenta cum deuotione lectio, etiamsi non sequeretur fructus intelligentiæ & scientiæ ex lectione, tamen ad hoc esset vtile semper legere, vt mens nostra occupata excusaretur à superueniente & contumaciter se in-
1. Tim. 4. 13. gerente vana & superflua cogitatione. *Dum venio*, ait Apo-

Digitized by Google

ſtolus ad Timotheum, *attende lectioni*. Et, *Beatus vir qui meditatur in lege Domini die ac nocte*. Et *Semper ſint vectes arcæ in annulis*. Et ſemper inueniat te Diabolus occupatum: Non enim ſpiritus immundus intrat domum, niſi quam inuenerit vacantem. Ne verò lectio ſit vana & garrula, ſed quieta & ſigillo meditationis impreſſa, dicitur in Apocalypſi: *Et cùm aperuiſſet Agnus vnum ex ſeptem ſigillis; audiui vnum de quatuor animalibus tanquam vocem tonitrui dicens: Veni & vide*: id eſt lege Euangelium Matthei, qui eſt vnum de quatuor animalibus; ſic incipit: *Liber generationis* IESV CHRISTI. Quid eſt ergo ſic inchoare Euangelium, niſi dicere, veni & vide in hoc libro myſterium à ſæculis abſconditum, per generationem Chriſti oſtenſum & reuelatum? Veni & vide verbum incarnatum, quod ſub ſigillo diuinitatis hactenus apud Patrem latuerat clauſum. *Et ecce equus albus*, Chriſtus de Spiritu-Sancto conceptus, & ſine peccato de Virgine natus. *Et qui ſedebat ſuper illum habebat arcum*, ex diuina & humana natura intenſum contra diabolum. *Et data eſt ei corona*, vt ſit Rex Angelorum qui fuerat Rex Iudæorum. *Et exiuit* in locum Caluariæ, *vincens* per patientiam, *vt vinceret* per potentiam. Huic incumbens lectioni efficitur equus albus, dum ſicut columba volitat ſuper riuos aquarum; & quaſi grex tonſarum aſcendit de lauacro, induens nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Intellectus quoque qui ſedet ſuper equum album, & præeſt omnibus ſenſibus, habet arcum, ſanctam ſcripturam, quæ modò intenditur, modò diſtenditur: intenditur dum minatur pœnam, diſtenditur dum promittit veniam. *Et data eſt ei corona*. Iam raſam coronam geſtamus in capite, ſed gloriam & bonam conſcientiam quæramus in mente: & corona eſt in capite aſſidua lectio cum intenta deuotione. Vnde Salomon: *Liga eam in corde tuo iugiter, & circunda eam gutturi tuo*. Et ſit * *torques collo tuo*. Qui meditatur in lege, coronam habet in capite. Qui loquitur de lege, *Exaltationes Dei in gutture*. Qui ſubijcitur legi, *torques in collo*.

Pſal. 1.

Apoc. 6. 1.

Ibid. 2.

Prou. 6. 22.

* *Prou. 1. 6.*

Pſal. 149. 6.

Digitized by Google

CAPVT XX.

De Confeßione.

SVrgendum autem de lectione ad Confeſſionem, vbi te accuſes de præuaricatione mandatorum Dei, vel de negligentia, vel de ignorantia, vel de infirmitate: non autem debet eſſe craſſa & ſupina Confeſſio clauſtralium ſicut ſecularium hominum. Confeſſio eſt aqua non turbida, non virulenta, non bituminoſa; ſed clara, pura & munda, purificans tanquam ſecundâ baptiſmatis regeneratione illos, qui non cuſtodierunt veſtimenta ſua alba ſicut nix, de lauacro ſanctificationis. Eſt itaque Confeſſio alia ante Iudicem, alia ad Dominum, alia ad Patrem. Ante Iudicem reus; ad Dominum ſeruus; Ad Patrem filius. Reus quærat Aduocatum, ſeruus flagellum, filius amicum. Reus agat de reconciliatione, ſeruus de propitiatione, filius de pace. Munera offerat reus, obſequia ſeruus, ſeipſum filius. Reus macerationem, ſeruus correptionem, filius ſalutarem oblationem. Reus proſternat ſe ante ianuam, ſeruus ante oſtium, filius intret cubiculum. Grandia & enormia ſcelera confiteatur reus, ſeruus peccata, filius delicta. Dicat reus; *Noli me condemnare*: dicat ſeruus; *Miſerere mei Deus*: dicat filius; *Pater peccaui*: *ſed parce mihi.* Qui recedendo de filio factus fuerat ſeruus, de ſeruo reus; fiat redeundo de reo ſeruus, & de ſeruo filius: vt quibus paſſibus abierat in regionem diſſimilitudinis, eiſdem reuertatur ad ſimilitudinem Patris. Et quia deformata peccando fuerat imago & ſimilitudo Dei in anima, per Confeſſionem ſigillum quærat reformationis; Vnde iam ſecundum ſigillum aperiat Agnus in Confeſſione: *Audini ſecundum animal dicens: veni, & vide.* Secundum animal eſt Marcus, qui tanquam Leo rugit in deſerto; præcipuè agens de Domini prædicatione, & reſurrectione. Et bene Confeſſio comparatur deſerto, quia non ſolùm à ſecularibus, ſed etiam à regularibus potiùs deſeritur quàm frequentetur. In hoc deſerto rugiebat peccator ille qui dicebat: *Rugiebam nimis à gemitu cordis mei. Et exiuit alius equus rufus*: Allegoricè Chriſtus, qui albus eſt in natiui-

Triplex confeſſio.

Iob. 10. 2.
Pſal. 50.
Luc. 15. 18.

Apoc. 6. 3.

Pſal. 17. 9.
Apoc. 6. 4.

tate,

tate, & rufus in paſſione. Moraliter verò rubore confunditur quia ſua enormia ſcelera confitetur, & efficitur rufus ſanguinis conſperſione, qui erubeſcit de ſua corruptione. Vnde Apoſtolus: *Quem fructum habuiſtis*, inquit, *tunc in illis in quibus nunc erubeſcitis?* Equus rufus eſt qui portat ſuam confuſionem, dicens: *Non ſum dignus ego peccator, leuare oculos meos ad cælum.* Et, *Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Et, *Iram Domini portabo, quia merui.* Et, *Qui ſedebat ſuper illum* (ſcilicet timor Domini) *datum eſt illi vt ſumeret pacem de terra*; Vnde Dominus: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Vnde & huic *datus eſt gladius magnus.* Gladius iſte magnus deuorat carnes; & inebriatus eſt in cœlo. Et, *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, id eſt, qui non amputat per Confeſſionem peccata quæ fiunt ex carne & ſanguine: de quibus dicitur: *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.*

Rom. 6. 21.
Luc. 18. 13.
Luc. 7. 6.
Mich. 7. 9.
Matt. 10. 13.
Apoc. 6. 4.
Ierem. 48. 10.
1. *Cor.* 15.

CAPVT XXI.

De Vera Confeßione, & eius efficacia.

GLadius confeſſionis: *Viuus eſt & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medullarum; & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Et quis vim Confeſſionis exprimere ſic potuit? Quis naturam eius & formam ſic depinxit? *Viuus*, inquit, *eſt ſermo.* Vbi eſt morticinum Confeſſionis? Vbi ſimulachrum mortuum, quod os habet, & non loquitur, manus habet non Iacob, ſed Eſau, videlicet piloſas, ſed & non planas? Pedes & non ambulat? Sicut homo mortuus non eſt homo, & fides mortua non eſt fides: ſic Confeſſio ſimulata, non eſt Confeſſio. Viuus ergo ſit Confeſſionis ſermo, vt de corde vitali, & labiis veracibus procedat, non de ſepulchro cadaueris mortui quod putet & fœtet. Addit, *Et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Grammatica, Dialectica, & Rethorica gladij ſunt, quibus inter ſe pugnant Clerici, & ſatis ſunt penetratiui in doctrinis & regulis ſuis: ſed ſermo Dei, & ſermo Confeſſionis penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, qui quærit vitare damnum, & acquirere lucrum, cùm non ſolùm

Heb. 4. 12.

Digitized by Google

penetrat in interiora hominis, ſed etiam perforat inteſtina ſuggeſtionum diaboli, & portas confringit inferni. Et quomodo? pertingens vſque ad finem animæ & ſpiritus; id eſt, ſenſualitatis, & rationis. Nihil námque omittit vera Confeſſio, quin accuſet omnes exceſſus & ſenſualitatis, & ſuperioris rationis. Nam aliud eſt peccare ex ſenſualitate, quam habemus communem cum peccato; aliud ex ratione, quam habemus ſpecialem ex humanitate, & fortè communem cum Angelo ex diuina diſpenſatione. Peccata ex ſenſualitate ſunt illa, quæ fiunt ex fragilitate & ſurreptione; quibus minor debetur pœna & pœnitentia: ex ratione, quæ fiunt ex deliberatione, vel ex ambitione, quibus acrior imminet vindicta. Subiungit: *Compagum quoque & medullarum.* Compago quædam eſt animæ & ſpiritus: illud confinium rationis & ſenſualitatis, in quo vix diſcernitur cuius ſorti cedat, rationis, an ſenſualitatis: vnde Apoſtolus: *Non intelligo quod operor: quia in confinio illo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*: id eſt aduerſus ſenſualitatem. Hoc quoque confinium viuus ſermo debet determinare, & vſque ad interiores medullas peccata inſequi & explorare. Ad extremum ſubdit ● *Diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Euoluendæ ſunt cogitationes, & rimandæ intentiones in Confeſſione; vt nec minima peccati vngula euadat, quin in Dei ſacrificium veniat. Fit enim in Confeſſione criminale, veniale. Sed paucorum eſt diſcernere noctem & noctem, id eſt, inter veniale & criminale: quia multa reputantur venialia quæ ſunt criminalia, ſecundum intentionem peccatoris. Exprimenda eſt in Confeſſione, non ſolùm actio, nec ſolum cogitatio, ſed etiam ipſa intentio quæ totum opus facit lucidum aut tenebroſum. Et hic gladius magnus qui datus eſt ſedenti ſuper equum rufum, cuius etiam acies diſſecat penitùs, & diſcindit ſquammas antiqui Leuiathan; quarum vna vni ſic iungitur, vt nec ſpiraculum incedat per eas.

Rom. 7. 15. Galat. 5. 17.

Digitized by Google

CAPVT XXII.

De oratione.

SErpentinis igitur exuuiis in Confessione exutus, & aquis Iordanis cum Naaman leproso lotus, & cum puero Dauid secundò vnctus in oratione ad Dominum manus & oculos leuet, vt præterita deleantur, & à futuris caueatur. His quasi duabus columnis fulcitur domus Orationis, si ira Dei deleatur, & gratia concedatur. Vtrumque facit oratio, & extinguit iram, & implorat gratiam. Est enim oratio alia laboriosa, alia deuota. Laborioſa extinguit iram; deuota prouocat gratiam. Neutra tamen sine altera veniat ad thronum gratiæ, sed Iacob vtramque ducat, & contubernio suo constringat Liam & Rachel, id est, laboriosam orationem & deuotam. Vna nocte cubat cum Lia, altera fortè cum Rachel. Ex vtraque nascitur soboles; proles ex Lia, carior es ex Rachel: & isti & illi reputantur in semine & numerò Patriarcharum: quia secundum Liam qui plus laborat plus mercedis accipiet: & secundum Rachel, *Ei qui non operatur merces imputatur, non secundum meritum*, vel debitum, *sed secundum gratiam*. Cùm itaque mercem præuenit gratia, grata & deuota dicitur oratio; & est imber matutinus. Laborioſa est, quando cor longè est ab homine, & Deus à corde. Longè verò cor ab homine, siue occupatum sit in curis superfluis, siue tepefactum à feruore Religionis, siue immersum carnalibus desideriis. Deus quoque longè est à corde, cùm subtrahit gratiam, cùm differt præsentiam, cùm exercet postulantis patientiam. Laborioſa est de qua Petrus ait: *Præceptor per totam noctem laboranimus, & nihil cepimus*. Et de qua Iob: *Effodiunt sibi mortem quasi thesauros, & cùm inuenerint, gaudent*. Et iterum Iob: *Clamo, & non exaudis me* Et sponsa in Canticis: *In lectulo meo quæsiui per noctem, quem diligit anima mea, &c.* Et in Psalmo: *Distulisti Christum tuum*. Deuota est cùm citò occurrit gratia, cùm mentem præocupat, cùm adest antequam inuocetur, cùm præstat supra quàm petimus aut intelligimus. Cùm autem homo pulsauerit ad ianuam gratiæ dicens: *Oratio mea præueniet te*. Et,

Duplex oratio, laboriosa, & deuota.

Rom. 4. 4. 5.

Laboriſa.

Luc. 5. 5.

Iob. 3. 21. 22. paulò aliter

Deuota.

Psal. 87. 14.

Digitized by Google

Pſal. 118. 148. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo* ; tunc appellatur laborioſa, & imber ſerotinus : *Faciam*, inquit Dominus, *deſcendere ad*
Ioel. 2. 23. *vos imbrem matutinum & ſerotinum, vt cuſtodiam introitum, & exitum veſtrum.* Aliquando cum oraret IESVS in paſſione, factus eſt ſudor eius tanquam guttæ ſanguinis: frequenter etiam
Ioan. 12. 28. orauit cum omni tranquillitate, vt ibi : *Pater clarifica filium tuum : & venit vox de cælo dicens ; & clarificaui, & iterum clarificabo.* Et Dominus ad turbam : *Non propter me vox hæc venit,*
Ibid. 30. *ſed propter vos.* Et ad Patrem : *Ego enim ſciebam* ab initio *quia*
Ioan. 11. 42. *ſemper me audis.* Quiſquis huic Dominico ſe impreſſerit orationis ſigillo eiuſdem boni Magiſtri, ſicut in aliis, ſic etiam in hoc intuetur exemplum : Nam de eodem ſic ſequitur in Apocalypſi.

Apoc. 6. 5. *Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium animal dicens: Veni & vide; & vidi. Et ecce equus niger ; & qui ſedebat ſuper eum habebat ſtateram in manu ſua.* Tertiũ animal eſt Lucas Medicus & Euangeliſta, qui conficit animæ potiones, ad ſanandos omnes eius languores. Incipit autem ab oratione ſic : *Fuit in diebus Herodis Regis Iudæ, ſacerdos quidam nomine Zacharias, &c.* Et quia in viſione Ezechielis in figura vituli repræſentatur ; & vitulus Deo immolatur ; benè equus niger dicitur propter crucis mortificationem, quam voce prædicauit, & opere adimpleuit. Chriſtus autem qui albus fuit in natiuitate, rufus in paſſione, niger eſt in morte. Sed ſtateram crucis habet in manu, quia poteſtatem habet ponere animam ſuam, & poteſtatem habet ſumere eam. Et appenſa in ſtatera iſta culpa humani generis cum pœna Dominici corporis, pluris inuenta eſt pœna ſua, quam culpa noſtra : vnde ipſa pœna paſſionis Chriſti deleuit reatum præuaricationis primi parentis noſtri, & totius mundi. Ipſa quoque paſſio, quid aliud fuit quàm eius oratio & noſtra reconciliatio ? Equitat ergo Chriſtus in equo nigro, nam exaltatus à terra ſuſpenditur in crucis patibulo. Et nos Clauſtrales, ſiue ſacerdotes, imitemur in cruce orantem, leuantes puras manus & oculos columbinos ad Deum, peccatorum noſtrorum nigredinem confitentes, & pœnitendo mortem præuenientes. Vnde Pſalmiſta : *Æthiopia præ-*
Pſal. 67. 32. *ueniet manus eius Deo.* Æthiopiſſa decolorata à ſole, & ſuper carbones denigrata carnis afflictione, & membrorum ſuorum

Digitized by

mortificatione, orat dicens: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Et, *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* Et, *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum.* Animæ sic oranti loquitur sponsus in Canticis: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, Amica mea.* Quasi equitabat Deus ante filios Israel super equum nigrum, columnam nubis per diem; & equum rufum, columnam ignis per noctem. Currus autem Pharaonis sunt fallaces equi ad salutem, qui discurrunt per vniuersum orbem; superbia, fallacia, gula, luxuria, suos equites deferentes in infernum. Sed equitatio IESV salus, de quo dicitur: *Currus Dei decem millibus multip'ex.* Et quibus loquitur Psalmista: *Afferte Domino filij Dei*, id est, Angeli, *Afferte Domino filios arietum*, id est Christianos imitatores Apostolorum & Prophetarum. Qui sedet super equum nigrum habet stateram in manu sua, in qua appendet quid debeat postulare de temporalibus, & quid de æternis; quàm assiduè pro æternis, quàm moderatè pro transitoriis. Inde est quod sequitur: *Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario; & tres bilibres hordei denario vno.* Triticum æterna designat; hordeum temporalia: simplex & vna oratio, id est, bilibris tritici, pro vita æterna. Vnde: *Vnam petij à Domino:* multiplex & diuersa, id est, tres bilibres hordei pro necessitatibus terreni subsidij. Vnde: *De necessitatibus eripe me Domine. Vinum & oleum ne læseris*, id est in Christo baptisatos & sancto Chrismate peruncto, quod est oleum, & sanguine Agni redemptos, quod est vinum, ne læseris ad damnationem. Et si præcipio ne læseris animam, sicut de Iob dictum est: *Tu autem animam eius serua.* Tamen in pressura torcularis nolo vt parcat calcator vuæ. In hac enim pressura Deus non parcens parcit fidelibus suis. Hæc de oratione: dicendum est de meditatione mortis.

Psal. 50.10. *Psal.* 101.4-5. *Cant.* 1. 8. *Psal.* 67.18. *Psal.* 28.1. *Apoc.* 6.6. *Psal.* 16.7. *Psal.* 24.17. *Apoc.* 6.6. *Iob.* 2.6.

CAPVT XXIII.

De meditatione mortis.

MOrte nihil certius, nihil incertius, nihil bonis appetibilius, nihil malis odiosius. Certus occasus est, incertus euentus. His qui non sunt de mundo, conuersationem

habentibus in cœlis gratus exitus de carcere ad regnum, de confuſione ad gloriam. Morte námque interueniente nuda veritas manifeſtabit gloriam ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, gloriam Beatæ Virginis, gloriam cœleſtium virtutum, gloriam denique omnium Sanctorum; in qua noua certa menſura, & mira & amabilia erunt omnia. Velum quoque ſacramentorum præſentium, quod eſt de hyacintho ſecũdum ſpem regni; de purpura propter ſanguinem Agni; de cocco bis tincto propter caritatem Mediatoris Dei & hominum; de byſſo retorta, propter ſinceritatem Catholicæ fidei, & indiſſolubilem veritatem: tunc aut tolletur, aut ſcindetur. Tolletur
1.*Cor.*13.10. iuxta illud: *Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur*
*Marc.*15 38 *quod ex parte eſt.* Scindetur ſicut in paſſione Domini: *Velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum*: Vt iudicium magni Dei ſit ſicut meridies, quando manifeſtabuntur conſilia cor-
*Matt.*10.26 dium. Et, *Nihil opertum quod non reuelabitur.* Non ergo expaueſcat ſoluere debitũm mortis, qui expectat ſoluto debito dotes tantæ remunerationis. Debitum tamen eſt, quod omnibus & ab omnibus debetur & ſoluitur. Tempus autem ſolutionis, & hora, non in poteſtate & ſcientia eſt debitoris, ſed
*Iob.*14.5. in voluntate eſt Creatoris. *Conſtituit* ille *terminos, qui præteriri non poterunt.* De ſoluenda morte nec creditor & exactor poteſt diem anticipare & præripere; aut debitor differre & prolongare. Nemini autem hoc debitum ſeu vectigal indultum eſt à Deo, vt nec ipſi Filio Dei, quia filius hominis eſt, remiſſum ſit; licet originaliter emancipato per immunitatem pec-
Pſal 67 21. cati: Nam *Domini Domini eſt exitus mortis.*

Cogitandum itaque, & ſemper excogitandum eſt, quatenus per mortem tranſeamus, non in morte remaneamus: ſit mors hoſpitium viatoris, non manſio morientis: ſit abſolutio oneris, non depreſſio calamitatis: ſit pœnæ interruptio, non continuatio: ſit via ad Patrem, non deuiatio ad hoſpitem: ſit progreſſio ad patriam, non demerſio ad gehennam: ſit potio ſalutaris, non aſſumptio infernalis: ſit denique finis non conſumptionis, ſed conſummationis. Ante mortem culpa mortalis eſt cauenda, vel ſaltem confeſſione & pœnitentia delenda. Citra mortem præparandum, vnde poſt mortem ſit fœliciter viuendum. Mors non abſorbet merita bona, repræſentet

Digitized by Google

autem mala etiam oblita : Mors coaceruat omnia præterita opera, reſignat operta, deſignat manſionum æterna tabernacula, & collocat animas, non vbi voluerint, ſed vbi meruerint. Vt certus ſis de incertis, tene certa ne ſequaris incerta : Currit enim Apoſtolus non in incerto, ſed certus; quia neque mors, neque vita poterit eum ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Iesv. Certum te facient certa fides, certa ſpes, certa caritas, certa obedientia, certa humilitas, certa caſtitas, certa obſeruatio Chriſtianæ Religionis, & tuæ profeſſionis. Depinge mortem ante oculos tuos, quàm horrenda facies eius, vultus quàm obſcurus & toruus, ſingula ſingulorum membrorum eius officia quid operentur in ſingulis hominis membris. Deuorant námque & depaſcunt tanquam teneram herbam quicquid in homine eſt roboris & virtutis, tam in anima quàm in corpore damnatorum, vnde in Pſalmo : *Mors depaſcet eos.* Vt ergo de ventre huius ceti Dominus nos extrahat, præoccupemus faciem eius in confeſſione, vt qui perforauit maxillam eius, armillâ liberet nos à morte æterna. Latens in carne Iesv diuinitas molares noxas dentes in ore ipſius confregit, cùm carnem Verbi morſu temerario momordit. Etſi itaque nos mordeat vt coluber & vt ceraſtes, ſi crucis cornua præ manibus habemus, ſi ſanguinem Agni ſuper vtrumque poſtem & in ſuperliminaribus geſtamus ; tota illa Leuiathan horribilis armatura, quæ in Iob deſcribitur, deſtruetur, & inteſtina eius hoc iaculo tenebrata rimabuntur. O puteus ſulphureus ! ô fœtor intolerabilis ! ô anguſtia ! ô tenebræ ! ô calor ! ô ſtridor dentium ! ô confuſio ! ô dolor ! ô deſperatio ! ô deſolatio ſine conſolatione ! malum ſine fine ; exitum ſine reparatione ! Vtinam ſub conſpectu haberem compenſationem quam mors malis delectationibus reponit. Longa præmeditatione & præparatione comparandum eſt quod minuat acerbitatem mortis, & faciat tolerabile, quod eſt ineuitabile

Sunt autem mortis mitigatoria remedia ; Confeſſio peccatorum, & pœnitentia contra aëreas poteſtates ; propugnaculum ſanctæ crucis ; viaticum Corporis & Sanguinis Domini ad ſolatium tanti & tam ignoti itineris. Oleum inunctionis ad fouendam lampadem conſcientiæ, & remouendas condenſas mortis tenebras ; patrocinium Dei ; auxilium omnium San- Mortis remedia.

Digitized by Google

ctorum, & oratio Fratrum. His remediis aut ſuccumbit mors ſecunda, aut cedit: & prima quidem more ſuo in hominem mortalem efferatur; ſed eneruatur, nec retiaculis ſuis retinet animam, quam tantis vallatam copiis videt. Virtutem crucis expaueſcit; viatorem tranſeuntem cum viatico nequaquam poſſe deficere non ignorat; veram pœnitentiam, & confeſſionem de vtero ſuo & ventro infernali animas infinitas fortiter extraxiſſe meminit, & ſe nunquam potuiſſe reſiſtere voluntati Dei; nec corporibus humanis, nec animabus nocere ſe poſſe experimento nouit, ſi ſanctorum auxilium ſubueneriit. Orationes fatrum tanquam ſagittas igneas fugit. Ex his omnibus offas dirumpentes interiora diaboli, mortis & inferni conficiamus, & in ore draconis cum Daniële proijciamus. In clauſtro præparetur hæc confectio ab his qui ſe cogitant ſemper morituros, & tanquam palma multiplicant dies ſuſpicientes in excelſo,& in ſe vitia mortificantes. In his mors non habet poteſtatem, qui habent poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, qui in eremo interficiebant filios Iſrael, & ſcorpiones qui inſidiantur calcaneo noſtro. O anima ſoluta à corpore vbi habitas?an in cœlo,an in paradiſo,an in igne purgatorio,an in inferno? Si in cœlo, beata cum Angelis; ſi in Paradiſo, ſecura à miſeriis iſtis; ſi in igne purgatorio; anxia de pœnis,tamen expectas liberationem; ſi in inferno, deſperans non expectas miſeriam, ſed veritatem & ſeueritatem. O anima ſine corpore vbi eſt modo corpus tuum? vbi eſt Abel frater tuus? Ecce vermes, ecce tinea, ecce putredo quondam in oſſibus tuis. Tu autem quid? Petis ne ab Abraham vt mittat Lazarum, & intinguat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam tuam? habeſne flammam ſupplicij in parte vel in toto? eſt ne ſpes euadendi? O anima ſi in inferno es, non reuertetur oculus tuus vt videat bona. Si in igne purgatorio, minus ardet fornax Babilonis,cuius flãma euaporabat cubitisquadraginta nouem. Æthiopes crudeliſſimi ligna, fœnum, ſtipulam, nec non & picem, atque malleolos, quos de ſylua malorum noſtrorum collegerunt ſtudiosè, & repoſuerunt malitiosè, inſiſtunt in igne purgatorio ſubminiſtrare, & donec vox de throno gratiæ veniat, miſeram animam non ceſſant flagellare.

O anima

Digitized by Google

O anima ſiue beata ſiue miſera, quàm vtile eſſet animæ peregrinanti adhuc in corpore te videre & audire, quæ & ſortis noſtræ non es oblita, & tuæ iam es experta. Ecce habes ſtateram in manu tua, appendens in ea quod in corpore meruiſti, & quod extra corpus recepiſti. Hîc, hîc mendaces ſunt homines in iuſtitia non attendentes ſtateram paratam quæ rectâ lineâ librat pœnam & culpam non declinans neque ad dextram neque ſiniſtram. In præſenti quidem mixta eſt miſericordia cum iuſtitia, & iuſtitia cum miſericordia: quando Deus inclinat de calice qui eſt in manu eius, ex hoc miſericordiæ in hoc iuſtitiæ, & ex hoc iuſtitiæ in hoc miſericordiæ. In futuro autem iudicio erit iuſtitia ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam: *Apoc. 6. 6.* non enim tunc inuenietur oleum ad emendum. Nunc dicitur, *Vinum & oleum ne laſeris*, quia correptio & compaſſio neceſſaria eſt ad curandum ſemiuiuum à latronibus relictum. In iudicio ſæua erit correptio; quia non erit tempus ſeminandi, ſed metendi. Vana etiam erit compaſſio vbi nulla quæ non præceſſerit miſeratio. Animâ in corpore odorat iſta, non guſtat, ſicut naues poma portantes, ſed illa quæ ad portum applicuit, *Pſal. 33. 4.* iam deguſtat cuius ſaporis ſint futura ſæcula. De mortis quo- *Iſaiæ. 66.* que meditatione dicitur. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* 24. Ignis vtique de quo dicitur: *Vermes eorum non morientur, & ignis non extinguetur.* Sed mirum quomodò mors exardeſcet meditata, quæ frigida omnem vitalem tollit & extinguit calorem. Quando tamen accenditur ignis niſi tempore hyemis? Ita enim cõtrarium cõtrario repellitur, & quæritur ignis dum viget torpor frigoris. Quid ergo facit exardeſcens ignis in meditatione mortis; Ligna, fœnum, ſtipulam, paleáſque cõburit mundanas delectationes in cineres redigens? Mors námque mentem totam occupans temporalia omnia parui pendere facit. Quis enim aquis merſus aquas ſe mergentes diligit? Et nonne concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, ſuperbia vitæ, in profundiſſimum infernum poſſeſſorem ſuum demergunt? In his aquis Leuiathan natat & latet in inſidiis: vt incautè ſibi appropinquantes aut ſubmergat, aut de nari- *Iob. 41. 11.* bus fumum proijciens ſicut ollæ ſuccenſæ & feruentis exurat. Vnde Iob, *De naribus eius procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ*

Digitized by Google

& feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de
Psal. 57. 9. ore eius egreditur: fumus de quo dicitur, *Ascendet fumus in ira eius*, oculorum caliginem generat, sed caligo sub pedibus
Psal. 57. 9. Dei. Flamma de ore draconis, est, de qua dicitur: *Supercecidit ignis & non viderunt solem*: concupiscentia videlicet mala, quæ prunas ardere facit, dum hîc animam seducit, vel in morte ad pœnam trahit. Aduersus hæc nasus sponsæ, sicut turris quæ respicit contra Damascum, meditatur de morte contra mortem, quia iacula quæ præuidentur, minus feriunt: & non est fera tam sæua, quæ magisterij assiduitate non castigetur & mitigetur. Sic mors nec incognita meditatione, nec improuisa expectatione veniens, non superueniens: valuas nostras apertas penetrans, non perforans: intrans non irruens: excitans non feriens latus dormientis, satis modestè à nobis, non cum horrore excipitur. Venit enim vt bonus nuntius,
Psal. 31. 12. non vt infestus aduersarius: mandatum refert, non infert supplicium; fines enim mandati non excedit: à se non potest facere quicquam. *In chamo & fræno maxillas eorum confringet* Deus Iudex iustus, vt nucleus gloriæ quam abscondit Deus timentibus se, testâ cum cortice fractâ, Beatorum repleat viscera.

Gregorius homil. 27. in Euang.

CAPVT XXIV.

De meditatione Mortis Christi hominis, & diaboil.

Apoc. 6. 7. *ET cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni & vide, & vidi. Et ecce equus pallidus.* Nota in tribus superioribus, vnum animal, secundum animal, tertium animal dixisse: in quarto verò non quartum animal, sed vocem quarti animalis scribit se audisse. Ioannes enim Euangelista est vox Verbi, qui sic inchoat Euangelium suum: *In principio*, inquiens, *erat Verbum*, &c. Equus autem pallidus est, qui ante passionem cœpit pauere & tædere,
Matt. 26. 38. dicens. *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et nomen illi*
Osee. 13. 14. *mors*, qui nunc mortuus est propter delicta nostra: Et in Osee
Ierem. 11. 19. dicens: *Ero mors tua ô mors.* Et iuxta illos qui dicunt: *Nomen*
Psal. 87. 7. *eius non morietur amplius.* Et inferiùs sequebatur eum, secundum illud: *Posuerunt me* opinione *in lacu inferiori, in tenebris, & in vmbra mortis.* Ad meditationem itaque mortis pertinet

Digitized by Google

mors Chriſti, mors diaboli, & mors hominis. Mors Chriſti occidit mortem in diabolo ne vltra viueret: in homine ne remaneret; in diabolo vt periret: in homine ne periret; in diabolo ne regnaret: in homine ne ſeruiret; in diabolo ne ſæuiret: in homine ne timeret; in diabolo ne falleret: in homine ne illi crederet; in diabolo vt de vita deſperaret: in homine vt per mortem ad vitam aſpiraret. Meditatio mortis Chriſti viſitat ægrum, meditatio mortis diaboli confortat infirmum; meditatio ſuæ mortis humiliat ſuperbum: meditatio mortis Chriſti potio eſt ſalutaris; meditatio mortis diaboli purgatio eſt inflationis: meditatio ſuæ mortis reſtitutio ſiue conſeruatio ſanitatis. Meditatio mortis Chriſti venena extinguit; meditatio mortis diaboli apoſtema ſoluit; meditatio ſuæ mortis emplaſtrum morbo apponit. Equus pallidus eſt, qui ſe mortificat in meditationibus iſtis vt morte mortem puniat, & interim collum ſuum morti ſubijciat; & in morte de ſubiugo venientis exiliat.

De meditatione mortis ait Dominus ad Iob: *Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti?* Deo, cui nuda ſunt omnia & aperta, qui palmo metitur terram, & pugillo continet omnia à ſupremo cœli cardine vſque ad profundiſſimum inferni, nihil eſt clauſum. Poteſtas eius æterna ingreditur & egreditur, nullo reſiſtente, omnes regni ſui prouincias: quia *Quæcũque vult facit in cælo, & in terra, & in omnibus abyſſis.* Illi proculdubiò apertæ ſunt portæ mortis, vt cùm vellet, intraret, & exiret; quem vellet introduceret, & quem vellet reuocaret. Nulli autem Sanctorum niſi per IESVM apertæ ſunt portæ mortis, vt inde exiret; quæ tamen per peccatum apertæ ſunt, vt de mundo exiens ineuitabiliter omnis homo per eas ad futurum ſæculum, ad pœnam vel gloriam intret. Sunt verò portæ mortis, ſunt portæ inferni, ſunt portæ ſæculi, ſunt portæ clauſtri, ſunt denique portæ cœli. De portis mortis dicitur in pſalmo: *Qui exaltas me de portis mortis, vt annũtiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Syon.* De portis inferni dicitur in Euangelio: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Et, *Vadam ad portas inferi.* Portæ ſæculi ſunt introitus ad vitam, & exitus de vita. Portæ clauſtri ſunt profeſſio regularis cum obſeruantia,

Iob. 38. 17.

Pſal. 134. 6.

Portæ diuerſæ per quas vel ad vitam vel ad pœnam.

Pſal. 9. 15.

Matt. 16. 18.

Iſaia. 38. 11.

ſ. * remunerationis.

& ſpe * renuntiationis. Portæ cœli ſunt ſancti Angeli, & miniſtratorij ſpiritus, qui mittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Pœnales ſunt portæ mortis; abominabiles portæ inferni; periculoſæ portæ ſæculi; religioſæ portæ clauſtri; glorioſæ portæ cœli. Portas mortis pertranſiuit Dominus; Portas inferni confregit; Portas ſæculi ſine peſſulo intrauit & exiuit; Portas clauſtri conuerſatione ſua in terris, & morte dolauit; Portas cœli in Aſcenſione ſua aperuit. In cardine vexatorio voluitur porta mortis; in cardine punitorio porta inferni; in cardine mutatorio porta ſæculi; in cardine meritorio porta clauſtri; in cardine remuneratorio porta cœli. Angelus ſanctus cuſtodit portam cœli; bonus Prælatus portam clauſtri; quotidianus defectus portam ſæculi; diabolus damnatus portam inferni; princeps mundi portas mortis. Clauis cœli eſt gloria, clauis clauſtri eſt regula, clauis ſæculi eſt vanitas, clauis inferni eſt pœna perpetua, clauis mortis eſt diuina ſententia. In porta cœli de fine laborum exultatio, in porta clauſtri peccatorum purgatio, in porta ſæculi anceps occupatio, in porta Inferni deſperatio, in porta mortis trepidatio. Meridies ad portam cœli, aurora ad portam clauſtri, crepuſculum ad portam ſæculi, veſpera ſiue nox ad portam mortis, media nox ad portam inferni. In reſurrectione mortuorum apertæ erunt portæ mortis, quia omnes reſurgemus, ſed non portæ inferni, quia non omnes immutabimur. In exitu aperiuntur portæ clauſtri & portæ ſæculi; poſt iudicium portæ cœli. Ait ergo: *Nunquid apertæ tibi ſunt portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti?* quaſi diceret; Eſt ne tibi iam pura conſcientia, & de gratia mea tam ſecura vita, vt intrepidus expectes mortem? & cùm venerit tanquam abſynthium, deglutias illam intrans portas eius ſine labore, & exiens abſque difficultate? An & oſtia tenebroſa vidiſti? Si habes oleum in lampade tua, ad tenebroſa oſtia non offendes pedem tuum, quia greſſus tuos diriges ſecundum eloquium Dei, in quo lux, & tenebræ nullæ ſunt.

Digitized by Google

CAPVT XXV.

De communicatione corporis & ſanguinis Domini.

IN diſciplina Clauſtri non eſt omittendum quod præcipuè eſt neceſſarium, altiſſimè quoque commendandum memoriæ. Euchariſtia ſiquidem locum tenet in corpore Eccleſiæ, quem humanum cor in homine; integro & ſano corde viuitur, & corrupto & vulnerato, homo moritur. Vnde Salomon: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum; quoniam ex ipſo vita procedit.* Prou. 4. 23. Et Dominus de corpore ſuo in Euangelio: *Qui manducat me,* Ioan. 6. 58. *& ipſe viuet propter me.* Vita eſt Angeli in quem deſiderant Angeli proſpicere: vita eſt Chriſtiani per quam poſſit proficere. Hanc vitam aliter * accipere qui in carne & ſecundum carnem viuit; aliter ille qui ſeminat in ſpiritu, vbi de ſpiritu metat vitam æternam; Aliter illi; *Quorum os maledictione &* Pſal. 13. 3. *amaritudine plenum eſt;* Aliter illi; *Qui eſuriunt & ſitiunt iuſti-* Matt. 5. 6. *tiam*: & quibus dicitur: *Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi* Rom. 8. 9. *tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.* Et ille qui dicit: *Viuo autem,* Gal. 2. 20. *iam non ego; viuit verò in me Chriſtus*: quem diligo ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute. Cor tale Deum ſolum cogitat, amat, & deſiderat; anima ſingulis ſpiraculis Deum annuntiat, & ſemper ad Deum ſpirat & ſuſpirat. Virtus omnia poteſt in eo qui ſe confortat, & nihil ſine eo qui dicit: *Sine* Ioan. 15. 5. *me nihil poteſtis facere.* Qui ſic Deo & à Deo occupatur horis matutinalibus fame ſancta vrgente, Dominici corporis & ſanguinis communione quotidie reficitur. Sed ſecundum Apoſtolum diiudicandum inter hunc ſpiritalem cibum, & corporalem quotidianum: Nam ſumma diſcretione attendendum, quando ad corpus Chriſti ſit accedendum, quando cedendum, & quando recedendum. Accedere ad Chriſtum, accedere eſt ad Dominum, accedere ad Regem, accedere ad lucem, ad ignem, ad panem, ad vitem, imò ad vitam. Quæris libertatem? accede ad Dominum. Quæris ſecuritatem? accede ad Regem. Quæris claritatem? accede ad lucem: Quæris calorem? accede ad ignem: Quæris refectionem? accede ad panem: Quæris potum? accede ad vitem: Quæris reſurrectio-

* f. * ascipit.

Quando accedendū ad corpus Chriſti, quando cedendum, quando recedendum.

Digitized by Google

nem? accede ad vitam. Offendiſti Dominum? cede: Feciſti contra Regem? cede: cœcus aut lippus es? cede à luce: Portas in lumbis aut in manibus tuis ignem alienum? cede ne exurat te ignis de altari. Esne plenus murmurio, & ſaturatus de contradictionibus? cede, & noli accedere ad panem Angelorum. Esne inebriatus de vinea Sodomorũ & Gomorræ? cede, & noli accedere ad vinum de vinea Sorech. Esne mortuus criminalibus, & ſepultus in inferno? cede. Diſtat autem plurimùm inter cedere, & recedere: Nam cedere, reuerentiæ eſt; recedere, irreuerentiæ. Cedit qui dicit: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum*: recedit qui dicit: *Ecce eijcis me à facie tua.* Et, *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Ionas quoque fugiens & recedens à facie Domini, abſorptus eſt in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. Et pſalmiſta: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Quis autem finis recedentibus à Deo? *Omnes qui elongant ſe à te peribunt.* Cedo itaque cùm peccauero, non recedo ſi confeſſus errorem fuero, & emendauero.

Luc. 7. 6.

Gen. 4. 14.

Pſal. 6. 8.

Pſal. 72. 27.

Modus & tempus accedendi ad Communionem.

Sed adhuc diligentiùs aduertendum quando, quomodò, & quare ad Communionem ſit accedendum: habet enim vtilitas huius refectionis temporis diſcretionem, modi determinationem, cauſæ etiam rationem. In tempore conſiderantur tria, oportunitas, conſuetudo, & ſolemnitas. In modo, purgatio, intentio, & deuotio. In cauſa inſtitutio, vtilitas, & neceſſitas. Breuiter replicanda ſunt & explananda quæ hic enumerantur. Opportunitas fugit & fugat occupationem: Liberis enim mentibus hoc exequendum officium & Deo obſequendum. Conſuetudo remouet laïcam negligentiam & erga ſalutem ſuam nimium torporem. Sufficit enim Laïco ſemel in anno communicare; ſed pia & ſollicita Maria ſedens ad pedes Domini cum noſtris clauſtralibus, ſic non ſatiatur oculus eius viſu, nec auris auditu, ſic panem Angelicum, ſcilicet Dominicum Sacramentum quotidie ſumit, & quotidie nihilominus eſurit iuxta illud: *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Inſtans quoque ſolemnitas admonet nos accedere ad Cõmunionem. Quæ enim ſolemnitas, vbi fames & egeſtas? vbi autem non eſt cibus qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, egeſtas eſt,

Eccli. 24. 29.

Digitized by

& exitialis inopia. Solemnem itaque habeat, & adhibeat cibum solemnitas Sanctorum. Dictum est de tempore, videamus de modo qui habet purgationem, intentionem, & deuotionem. De quodam sancto dicitur: Quia Christus *purgauit peccata ipsius.* Et ad Hebræos de Christo ait Apostolus: *Portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* O cor meum, anima mea, os meum, labia mea, fauces meæ, lingua mea, stomachus meus! Quid est in altari? nonne corpus quod sumptum est de Virgine MARIA, corpus conceptum de Spiritu-Sancto, corpus passum in cruce, sepultum in monumento nouo; corpus quod tertia die resurrexit à mortuis; corpus quod ascendit super omnes cœlos; corpus quod sedet ad dexteram Patris in excelsis, in quo Iudex viuorum & mortuorum IESVS iudicaturus est viuos & mortuos & sæculum per ignem? Quid ergo vos omnia interiora & exteriora mea? Quomodo suscipietis tam castissimum, tam sanctissimum, tam mundissimum, quæ sordetis tam impuris menstrualibus immundiciis, tam damnabilibus, assiduis & inenarrabilibus culpis? Purgandæ itaque priùs sunt sordes nostræ aqua compunctionis, igne fraternæ compassionis, hyssopo fidei & humillimæ confessionis, cinere saluberrimæ subiectionis & mortificationis. De hac purgatione Apostolus ad Hebræos: *Habentes*, inquit, *fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine* Agni immaculati IESV CHRISTI; *quoniam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei: Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua, teneamus spei nostræ indeclinabilem confessionem.* Securus introeat ad altare Dei, certus accedat ad Communionem Dominici corporis, qui habet cor asperſum, id est mundatum à conscientia mala, & corpus ablutum tam sanctificatione baptismatis, quàm compunctione deuotionis; & qui tenet indeclinabilem spei confessionem. Nota indeclinabilem confessionem, vt sint pedes eius, pedes recti, se accusando de se, non de Creatore, vel diabolo conquerendo: *Deus enim intentator malorum est*: & diabolus tentat, sed non sine licentia, nec vltra licentiam. *Vnusquisque autem tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.*

Eccli. 47.

Heb. 1. 3.

In altari sumitur corpus natum de Maria Virgine, &c.

Heb. 10. 19.

Iacob. 1. 14.

Intentio triplex.

Iam de intentione dicamus quæ triplex eſt. Alia enim bona, alia mala, alia peſſima. Bona eſt, ſi corpus Chriſti cum fide vera, & pura ab omni crimine conſcientia ſumitur: vt ſanguis Chriſti iuſtum iuſtificet ampliùs; hic accipit vt bonus fiat. Mala eſt enim cùm in vaſe per odium arido, per luxuriam immundo, & per maliciam corrupto mittitur, non vt qui eſt malus fiat bonus, ſed vt qui eſt malus appareat bonus: Hic eſt hypocrita. Peſſima eſt, quando irreuerenter quaſi canis rabidus corde peſſimo accedit aliquis ad Sacramentum Dominicum, non vt fiat bonus, ſed vt ſub Chriſto lateat antichriſtus. Hic eſt lupus rapax, qui ſub pelle ouina deuorat agnum, turpitudinem ſuam foliis ficus tegens, non ad remiſſionem, ſicut ille cuius tecta ſunt peccata & remiſſæ ſunt iniquitates, ſed ſicut Adam & Eua in Paradiſo conſuerunt folia ficus non ſe accuſando, ſed excuſando. Sit itaque intentio percipiendæ Euchariſtiæ, vt ſit bono ad ſanctificationem, ſit malo ad corruptionem, ſit peſſimo ad compunctionem. Mittit enim Deus cryſtallum caſtiſſimi corporis ſui ſicut buccellas, vt infirmus ſanetur, famelicus ſatietur, ſanus impinguetur & confortetur. Exprimitur intentio in oratione, vbi dicitur; *Non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam, ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum, ſit fidelium viuorum & mortuorum remiſſio omnium peccatorum.* Dicamus de deuotione.

Triplex quoque deuotio.

Triplex ſit deuotio: Alia compunctiua, alia ſuſpirioſa, alia lacrymoſa. Compunctiua eſt fons ſcaturiens, ſuſpirioſa eſt fons ſaliens, lacrymoſa fons ſuperebulliens. Pungit compunctiua, elicit ſuſpirioſa, fundit & pluit lacrymoſa. Timor pungit, ſpes elicit, amor pluit. Venam ſtringit timor, ſpes aperit, amor humorem cum impetu ſpiritus educit. Sic minutus ſanguine peccati, ligamento, ferro, & motu cordis voluntario; dicat Domino: *Voluntariè ſacrificabo tibi*, qui ante præſidem ligatus aſtitiſti, qui clauis confixus in ligno pependiſti, qui lancea percuſſus ſanguinem & aquam dediſti; oblatus es quaſi non coactus, quaſi qui nolueris, ſed deuotus & ſponteneus, quia voluiſti. Iam de cauſa dicendum eſt, in qua tria notauimus: Inſtitutionem, Vtilitatem, & Neceſſitatem. Conſiderandum eſt ergo in inſtitutione, quis, quibus, quando,

Cauſæ accedendi ad Communionem: Inſtitutio.

Digitized by Google

do ; & quomodò hoc Sacramentum inſtitutum ſit. Quis? Chriſtus : Quibus? Apoſtolis. Quando? In Cœna vltima. Quomodo? *Accipiens panem benedixit & fregit, & dedit Diſcipulis ſuis dicens : Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc eſt Corpus meum. Simili modo & calicem poſtquam cœnauit dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes : Hic eſt calix Sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur. Hoc facite in meam commemorationem.* In actore agnoſco bonitatem, ſcientiam, & poteſtatem. Bonitatem, quia voluit; ſcientiam, quia futuris morbis antidotum ſufficiens, & quod de facili poſſet haberi, in receſſu ſuo ad conſolandam abſentiam præparauit. Poteſtatem, quia potuit & poteſt facere quod vix homo poteſt credere, nullatenus verò definire. In Apoſtolis contemplor amicitiam, obedientiam, & reuerentiam : Amicitiam tunc quidem quaſi in herba tenerem; ſed poſt acceptum Spiritum tanquam ardorem ſolidiſſimam. Obedientiam vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, vſque ad mortem, vſque ad crucem, vſque ad decolationem. Reuerentiam tanquam Magiſtro, tanquam Domino, tanquam patri, immò tanquam Deo. Vnde : *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* In tempore firmiſſimum coagulum, fortiſſimum argumentum, excellentiſſimum donum quod hactenus repoſuerat, & in corporali ſeparatione dandum ab æterno amicis ſuis prædeſtinauerat, recogito. Coagulum eſt corpus Chriſti compingens ſumptum Deum, & ſumentem Chriſtianum in vnum, iuxta Apoſtolum, qui ait : *Panis cui benedicimus nonne communicatio corporis Domini eſt? Et calix cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Domini eſt?* Argumentum quoque probabile & neceſſarium eſt diuinæ dilectionis, quia nunquam ſe nobis dediſſet, ſi non ſpecialiter dilexiſſet. Iesv autem quid melius in cœlo & in terra, quid carius, quid pretioſius? Hic enim eſt datum optimum & donum perfectum, de ſurſum deſcendens à patre luminum. Dederat quidem Pater Iesvm filium ſuum incarnatum generi humano, ſed ea conditione quòd reciperet illum in aſſumpta humanitate expleto legationis officio : Addidit deinde gratiam gratiæ, vt ſub alia ſpecie in eadem veritate, eumdem Filium ſuum Iesvm non ſolùm daret vt ſocium itineris, ſed vt viaticum totius peregrinationis, vt qui

Matth. 26. *Marci 14. 22.* *Luc. 22. 17.* *1. Cor. 11. 23.* *Ioan. 11. 27.* *2. Cor. 13. 16.*

Digitized by Google

viſibili paſſione ſemelnos redemerat, ſemper inuiſibili refectione confortaret. Quomodò autem corpus ſuum Dominus Apoſtolis tradidit, Apoſtolus ad Corinthios docet, & Euangeliſtæ pleniùs oſtendunt. Accepit enim panem qui creauerat ipſum panem, & eadem potentiâ, quâ priùs creauerat ad corporalem hominum refectionem; gratiarum actione ad Patrem & benedictionem cum Patre conuertit in ſubſtantiam corporis ſui, ad animarum & corporum redemptionem. Similiter & calicem.

Vtilitas. Iam videamus de vtilitate. Reprobatio quidem præcedentis mandati fit propter inutilitatem & infirmitatem ſuam. Nihil enim ad perfectum adducit lex, & ſi priùs illud culpa vacaſſet, non vtique ſecundi locus inquireretur. *Chriſtus* autem *ſemel oblatus ad multorum exhaurienda peccata.* Et, *Vnam pro peccatis offerens hoſtiam ſedet in dextera Dei.* Quærenda eſt virtus contra infirmitatem, vtilitas contra inutilitatem, ſuccedit Euangelium legi tanquam virtus. Audi Apoſtolum: *Non*, inquit, *erubeſco Euangelium; virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.* De corpore Chriſti quid? *Oblationes*, inquit, *& hoſtiam noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* An eſt virtus corpus Chriſti? Item Apoſtolus: Quod infirmum eſt Dei, vtique corpus aſſumptum, fortius eſt hominibus. Helias ad caput ſuum inuenit panem ſubcinericium, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus. Et dubitas te in fortitudine panis, qui de cœlo deſcendit, poſſe ambulare non vſque ad montem Dei Oreb, ſed vſque ad montem in quo beneplacitum Deo habitare in eo? Eſt itaque virtus & ſanitas in corpore Chriſti. Itaque virtus Euchariſtiæ ſicut ſanitas excludit infirmitatem. Vnde eſt illud: *Sanitas ſub pennis eius.* Sub pennis itaque viſibilium ſpecierum panis & vini, quaſi ſub pannis fidei in præſepio altaris. Vnde Angelus ad paſtores ait: *Inuenietis Infantem in veſtris*, qui æternus eſt in ſuis, *pannis involutum*: videlicet ſecundum Adam in tunicis pelliceis. Sed quid latet ſub his ſiue tunicis ſiue pellibus, ſeu pennis, ſeu pannis? Virtus ſine dubio: Nam *virtus Dei erat in illo.* Sic excluſa infirmitate per virtutem, excluditur inutilitas per vtilitatem. Stringe ſenſum Apoſtolicum: Ad æmulationem carnis aſpergebatur ſanguis vitulæ, ad per-

Hebr. 9. 28. Hebr. 10. 12. Rom. 1. 16. Pſal. 39. 7. Malac. 4. 2. Luc. 2. 12.

Digitized by Google

fectum nihil adducebat, ad dexteram Dei neminem collocabat: Hæc autem omnia implet hoſtia viua, hoſtia ſancta, hoſtia immaculata, quæ ſuo triplici effectu præſtat emundationem, ſanctificationem, & ſocietatem non ſolùm Angelicam, ſed & diuinam. Communicatio enim Dominici corporis, & aſperſi ſanguinis IESV CHRISTI, agni videlicet immaculati, emundat nos à delicto maximo, & ab omni peccato. Vnde Ioannes Baptiſta: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et in Apocalypſi Ioannes Euangeliſta: *Qui lauit nos in ſanguine ſuo.* De ſanctificatione quoque dicit in Euangelio: *Et pro eis ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſancti ſint.* Et Apoſtolus ad Hæbreos: *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur in ipſo omnes*: Et de paſſione: *Ego vado immolari pro vobis.* Emundat igitur conſcientiam noſtram ab operibus mortuis Euchariſtia, nihilominus & ſanctificat in iuſtificationibus Domini, vt *qui ſedet ad menſam diuitis, diligenter attendat quæ apponuntur; ſciens quia talia oportet præparare*, vt caſto caſtum exhibeat hoſpitium, pio pium, iuſto iuſtum, mundo mundum, ſancto ſanctum. Vnde Petrus Apoſtolus: *Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius* &c. Sic emundati, ſic ſanctificati, ſic ſocij ſumus ſanctificationis, ſic etiam glorificationis ſiue conſolationis erimus. Vnde Ioannes in Epiſtola ſua: *Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum; & ſocietas veſtra ſit cum Patre & Filio eius* IESV CHRISTO. O ſocietas non leonina quæ ſocium deuorat, non canina quæ intra fauces ſtridet & murmurat, & in aperto latrat, & in animam iuſti captat, non coruina quæ ſemper mordet & erga cadauera crocitat; ſed ouina quæ de velleribus ſuis fœdum tegit, & frigidum calefacit; ſed agnina quæ ſe ipſam vt amicos paſcat in mortem tradit, ſed columbina quæ ſimplici oculo omnia conſpicit & omnem amaritudinem, & iram, & indignationem tollit. O ſocietas quæ mala noſtra ſuffert vel aufert, & ſua bona confert, quæ nihil à nobis petit niſi quod dederit, nihil accipit quod noſtris vſibus ſeruauerit; quæ nunquam circumuenit in negotio, ſed ſemper ſubuenit æterno ſubſidio; quæ exponit omnia ſua & diſponit omnia noſtra.

Ioan. 1. 29. *Apoc. 1. 5.* *Ioan. 17. 19.* *Heb. 2. 11.* *Prou. 23. 1. iuxta lxx.* *1. Pet. 2. 22.* *1. Ioa. 1.*

Ecce de vtilitate Euchariſtiæ, quæ emundat, quæ ſancti- Neceſſitas.

ficat, quæ societatem Dei donat, pauca diximus. Ad extremum de Necessitate videamus. Proinde & ipsa triplex est. Nam alia necessitas ex auctoritate decreti; alia ex obligatione promissi voti; alia ex impossibilitate vel difficultate rei, rationis, & facti. Ex auctoritate decreti; vt, *In quacumque die comederis, morte morieris.* Ex hoc decreto, est omnis homo
Gen. 2. 17. mortalis. Item ex obligatione voti; in promissione baptismatis tenetur omnis Christianus; in professione Religionis Monachus & Canonicus; in consecratione sacri ordinis Sacerdos & omnis ordinatus. Ea itaque necessitate quâ homo moritur, quia vetitum gustauit, damnatur qui pactum voti sui præuaricatus fuerit. Vnde propheta: *Qui pactum soluit, nun-*
Ezech. 17. *quid effugiet?* Non effugiet: Et, *Melius non vouere, quàm vo-*
15. *uere, & vota non reddere.* Rursum necessitas quædam est ex
Eccle. 5. 4. difficultate seu impossibilitate Dei; vt, quod est album necessariò non est nigrum, quia nullum album est simul & nigrum. Ex impossibilitate rationis; vt, Lapis non est homo, quia lapis est insensibilis, homo sensibilis. Ex impossibilitate facti; vt, Homo digito suo non tangit cœlum. Sed ad propositum redeamus. Omni Christiano necesse est Eucharistiam sumere ex auctoritate decreti, quod est: *Nisi manducaueritis*
Ioan. 6. 54. *carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex obligatione voti tenemur diabolo & pompis eius renuntiare, & sic communicare. Quòd si votum frangimus & communicamus, quid ait Apostolus? *Qui*, in-
1. Cor. 11. 29. quit, *indignè sumit, iudicium sibi manducat & bibit.* Necessariò igitur debemus communicare, & dignè. Res verò sacramento visibili, virtute inuisibili; res aliud ostendit, aliud reponit. Sacramentum visibile exterius obiicit, virtutem inuisibilem intrinsecus continet, mundis cordibus exhibet. Rem si totus accesseris, totam habebis, si dimidius, dimidiam: id est, sacramentum, non rem sacramenti; vt sis palmes in vite, qui non fert fructum, sed qui excidetur, & in ignem mittetur. Dignus itaque ad rem tam dignam dignè accede; & non deerit qui digno nulli vmquam deficit, & si cui defuit dignus non fuit. Dignè autem accedit, qui nulli peccato mortali succumbit, de venialibus humiliter quotidie satisfacit. Ratio deinde nostra in tanto solis radio aut minus

Digitized by Google

videt, aut cœca eſt. Minus videt propter lippitudinem ignorantiæ naturalis; aut cœca eſt propter intolerabilem fulgorem diuini operis. Si ſuis & conſuetis graditur veſtigiis, non apprehendet ſapientiam huius myſterij, quæ abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium. Si verò innixa fuerit ſuper dilectum ſuum, qui illuminat tenebras eiuſdem rationis vero lumine interim fidei, poſteà rei: ſatiata ab vberibus eius quæ ſunt ſuper omnia aromata, dicet: Teneo illum fide & dilectione, nec dimittam donec introducat me in domum matris ſuæ MARIÆ, & in cubiculum genitricis ſuæ gratiæ, de qua conceptus & natus eſt IESVS, Creator & Illuſtrator totius rationis. Veni ergo ratio ad altare, non ſuperbo oculo, & extento collo, ſed genu curuato, & vultu in terram demiſſo, adorans ſcabellum Euchariſtiæ, non diſputans aut iudicans quare aut quomodò id fiat. Ait enim Dominus Petro; Tu neſcis modò, ſcies poſteà. An tu melior Petro? An tu Deo familiarior? Petrus neſcit cariſſimus diſcipulus, cui Pater reuelauerat, quòd Chriſtus eſſet filius Dei viui, nondum didicit, & tu diſputando, diſcutiendo, deffiniendo vis exoſſare vſque ad cinerem oſſa Regis, quæ occultantur vſque ad tempus & tempora? Orando expecta donec creſcat Sela, qui interpretatur vmbra eius; donec oriatur lucifer in cordibus noſtris, qui dicat nobis omnia quæ audiuit à Patre ſuo, & faciat omnes docibiles Dei.

Reſtat de facto. Factum hoc admirabile, factum delectabile: vnde pſalmiſta: *Delectaſti me Domine in factura tua.* Factum hoc apud homines impoſſibile vt Deus moreretur, vt Dominus gloriæ crucifigeretur, vt panis fieret caro Chriſti, & vinum ſanguis; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt, nullus in Deo labor grandia & grauia atque impoſſibilia facere; tam facile eſt ei omnia facere, quàm promptum velle; Omni quidem homini aliud eſt velle, aliud pati, aliud facere: nulla mora, nulla differentia inter Dei velle & Dei facere. Sed hoc de noſtro, non de ſuo; niſi fortè dicas noſtrum ſuum, quia ab eo aſſumptum, & quod noſtrum tantùm erat proprietate naturæ, iam ſuum factum eſt dignatione & aſſumptione. In illo ergo noſtro ſuo aliquid voluit ſecundum nos, aliquid ſecundum ſe, ſed ſubjecit quod ſecun- *Pſal 91. 4.*

dum nos voluit ei quod ſecundum ſe voluit, dicens Patri: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Fecit quoque aliquid ſecundum nos, fecit & ſecundum ſe : conceptus eſt, natus eſt, fatigatus eſt, paſſus eſt, mortuus eſt, ſecundum nos. Adoratus eſt, cœcos illuminauit, leproſos mundauit, mortuos ſuſcitauit, & huiuſmodi, ſecundum ſe. Tamen vnus idémque & ſecundum nos & ſecundum ſe Deus & homo, & homo Deus. Denique paſſus eſt non ſecundum ſe, ſed ſecundum nos tantùm, quia in noſtro ſuo, non in ſuo ſuo. Quod itaque paſſus eſt in cruce, & quod facit in calice, ſi ad nos reſpicimus, impoſſibile videtur, ſi ad ipſum, facile & poſſibile. Factum hoc ſupra quàm dici poſſit noſtræ redemptioni neceſſarium, ſupra quàm attingat vllum meritum, pium & ſanctum. Et hæc de neceſſitate dicta ſufficiant.

EPILOGVS.

GRandis labor manum ad hæc fortia mittere, & cum Ioſue bellum aduerſus inimicos continuare ; ſed ad magna præmia non peruenitur, niſi per multos labores. De iure quidem æquis paſſibus ambularent meritum & præmium, ſed de gratia ſupercreſcit præmium. Nihil mirum includi antro clauſtri breui tempore, & poſt infinita cœli ſpatia poſſidere cum æternitate; limoſam carnem abſtinentiâ exſiccare, & ſpiritale * corporis abſque vlla ſarcina cum Angelis in reſurrectione recipere, tumultus mundanos propter Angelicas modulationes commutare, conſolationem pro deſolatione, diuitias pro paupertate, gloriam pro ſubiectione. Deum Patrem pro patre, Deum Filium pro filiis, Deum Spiritum-ſanctum pro omni cognatione & carnali affectione percipere. Nullus venditor ſic vendidit, nullus emptor ſic emit, nullus negotiator ſic commutauit. Tamen *ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Sic commutans, & commutare docuit qui inſtauraſit & quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt : Ille, qui ex his quæ paſſus eſt, didicit obedientiam, id eſt obedientiæ virtutem & gloriam. Hæc ſpes in ſinu Clauſtralium eſt repoſita, nec hyemalibus frigoribus tepeſcit, nec æſtiuis caloribus areſcit: non contemplatur quæ currunt temporaliter, ſed quæ per-

* corpus.

Luc. 24. 26.

Digitized by Google

manent æternaliter. Intelligit finem habere laboriosam disciplina, & sequi perpetuam gloriam. Iam præguſtata arrhas, & dulcescit quæ sine spe amara esset patientia; tædium vertetur in desiderium, vexatio in delectationem, dilatio in appetibilem sustentationem, sicut Iacob pro amore Rachelis videbantur dies pauci. E diuerso qui in Clauſtro, qui murmurans stridet sicut rota plaustri onusti fœno, qui dicit: *Durus est hic sermo.* Qui sicut Iordanis conuertitur retrorsum, qui murmurat pro carnibus, qui est in seditione Chore contra Moyse, id est, Abbatem, qui in exercitu Gedeonis poplite flexo bibit aquas, & non lambit sicut canis, naturæ non necessaria, sed desideria quærens, audiat: *Melius esset viam veritatis non agnouisse, quàm post agnitionem retrorsum conuerti.* Arguendi sunt, corripiendi sunt, flendi sunt qui rumpunt rete Petri, & obscurant lunam, & ponunt dulce amarum, & amarum dulce; *Multiplicati sunt* tamen *super numerum.* Ioan. 6. 61. Pſal. 39. 6.

TABVLA CAPITVLORVM.

Epiſtola dedicatoria.
Præfationes duæ.
De auctoribus disciplinarum. Cap. 1.
De Apostolica disciplina. Cap. 2.
Comparatio inter Iudaïcam & noſtram clauſtralem disciplinam. Cap. 3.
De obseruantiis clauſtralis disciplina. Cap. 4.
Quòd per disciplinã regularem prima reparatur transgreſſio. Cap. 5.
Quòd clauſtrum sit vicarium Crucis. Cap. 6.
Item de clauſtro, qualiter inſtitutum sit. Cap. 7.
Comparatio inter disciplinam Philoſophi, Iudæi, Chriſtiani, & cuiuſlibet Religioſi. Cap. 8.
De Angelica disciplina. Cap. 9.
De forma clauſtralis disciplinæ. Cap. 10.
Clauſtrum Stadium esse ostenditur. Cap. 11.
De clauſtri atrio interiori. Cap. 12.
Clauſtrum, Gazophilacium. Cap. 13.

Digitized by Google

Est Sanctum seculare. Cap. 14.
Regale cubiculum. Cap. 15.
Patibulum. Cap. 16.
Forum venale claustrum ; quod & moraliter Tyro assimilatur. Cap. 17.
De Silentio. Cap. 18.
De lectione. Cap. 19.
De Confessione. Cap. 20.
De vera Confessione. Cap. 21.
De Oratione. Cap. 22.
De Meditatione mortis. Cap. 23.
De meditatione mortis Christi, hominis, & diaboli. Cap. 24.
Item de meditatione mortis. Cap. 25.
De Communicatione corporis & sanguinis Christi. 26.

ADHORTATIO AD CLAVSTRALES.

Ephes. 6. 11. *INduite vos armaturâ Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Vnde : *pulchra es & decora, terribilis* Cant. 6. 3. *vt castrorum acies ordinata.* Estote acies, estote terribiles. Omnis acies quæ ordinata non est, terribilis non est : & si terribilis non fuerit, acies Domini esse non poterit. Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt. Scitis qui de rebus militaribus agunt, funditores, sagittarios in suis locis disponunt, signiferos in sibi competentibus, robur belli in subsidiis, debiliores in locis tutioribus, quia impetum aduersantium ferre non valent ; & propter hoc ipsa acies ita ordinata, terribilis erit hostibus, quia ingrediendi ei aditum in se non relinquit. Sic acies castrorum Dei per plana & aspera huius mundi ordinata incedere debet, ne aditum hosti incursare cupienti nullatenus relinquat ; quem si relinquat, captiua victori manus præstabit. Hæc cura aciem instruendi ad Prælatos pertinet, qui omnium possibilitates cognoscere benignè paternæ affectionis instinctu, non superbæ dominationis obtentu, vnumquemque in suo competenti loco disponere. Quos validos, & bona conuersatione probatos viderint, ad exteriora mittere debent, non rudes, non cupidos, non vagos, non iracundos ; sed mansuetos & humiles,

Debiles

Debiles quosque, & sæcularium æstu succensos, in sinu Claustri fouere. Si quis tentationum iaculo sauciatus fuerit, salutaribus monitis curare. Sic ordinata erit terribilis illi qui circuit quærens quem deuoret. Sed & vnusquisque nostrum ordinare se debet, vt ipse sit pulcher in interiori, vt sit gloria eius ab intus, decorus & ordinatus in moribus, pius, pudicus, patiens, humilis, affabilis, compatiens, & charitatiuus: quos enim diabolus charitate compactos & vnitos videt, vehementer abhorret, quáque carentes securè inuadet. Vnde Gregorius: Quælibet bona in nobis fuerint, si charitas desit per malum discordiæ, locus reperitur in acie, vbi hostis valeat intrare. Ipse castitatem sine charitate non timet, quia ipse carne non præsumitur; abstinentiam non timet, quia cibo non vtitur: distributionem rerum non timet, quia diuitiis non eget. Veram autem charitatis vnitatem si in nobis inuenerit, hanc timet, & nimis concordiæ inuidet; quia hanc videt tenere in terra quam ipse perdidit in cœlo. Benè ergo dicitur: *Terribilis vt castrorum acies ordinata*: quia numerum electorum spiritus nequam pertimescunt, quem concordia munitum aspiciunt.

MISCELLANEA EPISTOLARVM.

FACVNDI HERMIANENSIS *Episcopi.*

Ann. Chr. 530.

EPISTOLA FIDEI CATHOLICÆ.

In defensione trium Capitulorum.

I. MOVET quosdam, & requirunt quæ sit trium Capitulorum causa, pro qua vniuersa totum penè per orbem scandalizantur Christi membra; dicúntque, quid potest Catholicæ Ecclesiæ nocere damnatio quæ facta est capitulorum, siue personarum sit siue dictorum? Præsertim, inquiunt, cùm & ipsi damnatores se profiteantur cum non damnantibus fidem tenere, vno Symbolo baptizare, vnóque ritu tam solemnia lectionum, quàm etiam sacrificii ordinem celebrare. Quibus, quoniam compendiosè rationem sibi reddi flagitant, sic breuiter Domino largiente respondendum est, vt isti ipsi trium Capitulorum damnatores, qui negare non possunt causam eorum in Calchedonensi sancto Concilio ante centum & viginti ferè annos fuisse determinatam, dicere primitus cogantur, vtrum Catholicæ Ecclesiæ, in qua baptizati sunt antequam eorum damnatio impiè proueniret, nocuerint, an non nocuerint. Si nocuisse dixerint, notam erroris & criminis Catholicæ Ecclesiæ conuincuntur importare: vt aut hæretica, quod dici nefas est, fuerit, cùm quos isti velut hæreticos damna-

Digitized by Google

uerunt, illa non ſolùm non damnauit, ſed inſuper & laudauit, dictáque eorum ex decretis Calchedonenſis ſynodi orthodoxa pronuntiauit : aut certè ignorantiæ nubilo circumſepta ab omnibus hæreſibus denotanda, cùm per tot annorum curricula neſciuit, neque intelligere potuit, quod iſti ante xv. aut xvi. annos, variis & peregrinis contra Apoſtolicum præceptum abducti doctrinis, & obſequendo iuſſionibus palatinis cognouerunt. Ac per hoc & ipſi hæretici ſunt, & ab hæreticis baptizati, neque adhuc ab aliquo reconciliati: quoniam ſicut dicunt ipſi, ſunt Catholici qui nuper Tria Capitula damnauerunt, vel damnant, ipſiſque damnatoribus communicant : hæretici autem, qui nec damnauerunt, nec damnant, nec damnantibus communicant. Quæ cùm ita ſint, aut illa vtique fuit, ſicut verè fuit, & eſt, eritque Catholica Eccleſia, quæ tria Capitula nec damnauit, nec damnat, nec iſtis ſceleſtiſſimis damnatoribus, eorúmque communicatoribus niſi ſub merita ſatisfactione communicat : & iſti proculdubio hæretici, qui nouiter admiſerunt, quod in Eccleſia quæ eos regenerauit non acceperunt : aut ſi illa, quod audire ſacrilegum eſt, non fuit catholica Eccleſia, iſti ſimili modo remotis ambagibus hæretici ſunt, quia, vt dictum eſt, ipſa eos Eccleſia baptizauit, quæ Capitula iſta numquam damnauit. Quas ob res vtrolibet obiecto reſpondeant, hæretici conuincantur neceſſe eſt. Si autem, quod verum eſt, nihil nocuiſſe eadem Capitula per centum & ampliùs, vt prædictum eſt, annos catholicæ Eccleſiæ dixerint ; multò magis magíſque ſe reos intelligant inexcuſabiliter : animaduertant quantum mali contra eius decreta commiſerint damnando quod illa non damnauit : cognoſcant quid egerint, & ſentiant ſe ab ea præciſos, cuius decreta quantum in ipſis eſt conuellentes, hæreticorum ſe cateruis fauendo eorum votis pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab Acephalis hæreticis, id eſt Semi-Eutychianis, exquiſita & elicita capitulorum damnatio : & Vigilij atque Pelagij Romanorum præuaricatorum, & Primaſij Byzaceni præcipui doctoris Acephalorum, edita contra Eccleſiam ſcripta proteſtantur. Quæ cùm ita ſint, quomodò iam & illud eis poterit conſtare, quod dicunt vnam ſe cum non damnantibus fidem tenere? Cùm

nos in vno Domino noſtro IESV Chriſto Dei & hominis Filio, duarum naturarum proprietatem in vnitate perſonæ confiteamur, quod Catholica ſemper cuſtodit & docet Eccleſia. Iſti autem parendo Acephalis, & in ſcripto dicentes : Anathematizamus impiam Epiſtolam Ibæ, quam ad „ Marim Perſam ſcripſit, cum his qui vindicant eam, & re- „ ctam eſſe dicunt, vel partem eius : omnem procul dubio „ anathematizaſſe probantur Eccleſiam, quæ eam vindicauit & vindicat, rectamque eſſe dixit, & dicit : vtpote quæ hoc de Incarnatione Chriſti, in qua ſalutis noſtræ ſacramentum conſiſtit, confitetur quod eadem per omnia continet epiſtola. Verba quippe eiuſdem epiſtolæ vbi ſanitas Catholicæ confeſſionis, poſt alia ſic ſe habent : Eccleſia autem ſic dicit; „ Duæ naturæ, vna virtus, vna perſona, quod eſt vnus Filius „ Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Quapropter ſi hæc duarum naturarum Domini noſtri IESV Chriſti in vnitate perſonæ confeſſio, vt iſti dixerunt, impia eſt, & ſine Deo, dicant ipſi nouiter quid ſit pium rectæque Chriſtianorum fidei conueniens. Profectò ergo, ſicut veritas eos ex operibus & ſcriptis eorum redarguens fateri cogit, aut vnam in Chriſto naturam, ſicut Eutychiani vel Acephali, quorum votis ceſſerunt, & ab Eccleſia receſſerunt, dicunt, aut nullam : quod quàm ſit impium & blaſphemum, atque à Catholica veritate alienum, quiſquis ſana eſt præditus mente, abſque dubitatione cognoſcet.

Nunc deinde illud pertractemus, quod dicunt verbis, vno ſe ſymbolo baptizare, vtrum rebus & effectibus verum eis eſſe conſtet. Quod vt liquidò clareat, ipſius ſymboli primitus conſideranda eſt atque penſanda vis magnitudóque veritatis : quoniam niſi præceſſerit per quod creditur, virtus munúſque credulitatis; quod ſubſequitur nequaquam conceditur, ſicut ſcriptum eſt : *Niſi credideritis, non intelligetis.* *Iſaïæ. 7. 9. iuxta 70.* Symbolum itaque collatio ſiue pactum quod fit homini cum Deo, Patres noſtri Catholici doctores interpretari docuerunt. Quoniam ergo pactum cum Deo fecimus, & ſic in vno ſanctæ Trinitatis nomine baptizati ſumus : Si quis vnum ïota, vel vnum apicem ex pacto quod cum Deo inijt diſſoluerit, ſine dubio fidem, quâ Deo credidit, & ipſum Deum cui credi-

Digitized by Google

dit, perdidiſſe conuincitur. Qui autem ſint qui hoc violauerint pactum mox videbimus, cùm ipſius ſymboli verba, non quidem in ordinem prolixitatis vitandæ gratia; ſed admodum delibando poſuerimus. Principium itaque ſymboli hoc eſt. *Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem; & in vnum Dominum* IESVM *Chriſtum filium eius natum ex Spiritu-ſancto, &* MARIA *Virgine, qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt & ſepultus: tertia die ſurrexit à mortuis; aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris, vnde venturus eſt iudicare viuos & mortuos*, & reliqua. En certè in hoc nunc omnis conſiſtit quæſtio, de viuorum mortuorúmque iudicio: quod contra nullam aliquando hæreſim, vt illud de æqualitate Patris & Filij in Nicæno Concilio contra Arrium, vel de omnipotentia Spiritus-ſancti in Conſtantinopolitano contra Macedonium in Symbolo eſt additum, à nulla vnquam hæreſi, niſi ab hac nouiſſimis temporibus velut ex compacta omnium hæreticorum fæce exorta, violatum eſt; per damnationem ſcilicet viuorum mortuorúmque quam ſic in ſcripto protulerunt, dicentes inter alia: Si quis defendit impium Theodorum & impia eius conſcripta, ſed non anathematizat eum & impia eius conſcripta, & omnes qui ſuſcipiunt vel defendunt eum; & dicunt, orthodoxa eum expoſuiſſe: & qui ſcripſerunt pro eo; & eadem illi ſapuerunt, vel ſcribunt pro eo, vel impijs eius conſcriptis, & eos qui ſimilia illi ſapiunt, vel aliquando ſapuerunt, talis anathema ſit. Si quis defendit impia Theodoreti ſcripta, ſed non anathematizat ea, & eos qui ſimilia eius ſapuerunt, vel ſapiunt, talis anathema ſit. Si quis defendit impiam Epiſtolam quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe, ſed non anathematizat eam & defenſores eius, & eos qui dicunt eam rectam eſſe, vel partem eius, & eos qui ſcripſerunt, vel qui ſcribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur, & præſumunt eam defendere, talis anathema ſit. Qua blaſphema ſententia & illos mortuos, quos in corpore conſtitutos nemo damnauit, nec hæreticam eorum doctrinam quiſquam iudicauit, immò verò ſicut euidentiſſimis documentis probari poteſt, orthodoxam Synodica Patrum pronuntiauit authoritas, & deuota hactenus conſeruauit, conſeruatque poſteritas, & ipſos Patres qui

eos dictáque eorum laudauerunt, & nos viuentes pari cum eis anathemate quantum in ipſis eſt, inuoluerunt. Vbi eſt ergo quod Chriſtiani videri volunt, aut dici, ſymbolique ſe cuſtodire fidem inani multiloquio iactitant, qui iudicium ſibi quod ſoli Filio Pater dedit, ſuperba ſatis nimiúmque dolenda temeritatis audacia vſurpauerunt, cùm per huiuſmodi præſumptionem etiam diaboli ſupergredi probentur inſaniam? Si quidem ille ſuperbiſſimo cordis appetitu dixit : *Ero ſimilis Altiſſimo.* Hi autem præueniendo iudicium Dei, & opere mortifero damnationem mortuorum viuorúmque non ſibi conſentientium perpetrando, non iam æquales aut ſimiles ſicut ille adhuc de futuro dixit, *Ero*, ſed ſuperiores eſſe ſuo Domino quantùm ad eorum attinet intentionem, conſtituerunt. Et non erubeſcunt miſeri ore ſacrilego atque impudenti procacitate dicere, ſe vnam cum non damnantibus fidem tenere? Quaſi verò non & dæmones credant & contremiſcant, ſed operationem non niſi erroris, quam & iſtæ nouitiæ peſtes exercent, habere noſcuntur ipſi errantes, & alios in errorem mittentes. Neque tantummodò verbis mendacibus in errorem traducentes, ſed violentis inſuper perſecutionibus ad conſentiendum ſibi vel communicandum quos potuerint pertrahendo cogentes. Et non intendunt infelices neque animaduertunt, quòd non eos iuuet, immò & ſatis grauet, dictis polliceri noſſe Deum, factis autem negare? Quoniam reuera ſi veraciter confeſſi, ſiue alij pro eis cùm baptizarentur profeſſi ſunt, credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in IESVM Chriſtum Filium eius, & in Spiritum-ſanctum, quod ſymboli tenet authoritas, veraciter quoque credere debuerunt, & patienter expectare eumdem Filium Dei & hominis IESVM Chriſtum Dominum noſtrum tempore præfinito venturum de cælis ad iudicandum viuos & mortuos, & non ipſi nunc impia vehementer atrocitate, & viuentes nos, & mortuos olim Catholicos Pontifices non ſolùm iudicare, verùm etiam quaſi perpetuæ ſententiæ anathemate condemnare : ſed forſitan pro ſua ſanctitate & mirabilium operum efficacia, vtpote Iudices viuorum & mortuorum, à ſemetipſis, quin immò à patre ſuo Diabolo conſtituti hos ipſos mortuos, quos damnauerunt reſuſcitaſſe ſe

Iſai. 14. 14.

dicunt, & ſic audita eorum cauſa ſicut Dominus in Euangelio dicit : *Ego ſicut audio iudico*, iudicij ſententiam aduerſus eos protulerunt. Quærimus ergo ab eis quando rediuiuos eorum cineres collegerint, coſque reſuſcitauerint, aut vbi ad iudicandum ſederint. Nempe in valle Ioſaphat iudicaturus eſt Dominus omnes gentes, quamuis & alium habeat intellectum. Numquid tamen Vallis Ioſaphat Conſtantinopolis, vbi hoc inchoatum ſacrilegium? Numquid Vallis Ioſaphat cæteræ vrbes & ciuitates quæ nefandum in damnatione viuorum & mortuorum prolatum ſubſcripſere ſuſceperéque decretum? Dicant etiam & oſtendant vbi damnatos ſuos conſtituerunt, vt à nullo non damnante, niſi tantùm à damnatoribus ſciatur, an ipſis ſolis aditus reſeratus eſt inferorum locus? Dicant deinde nobis viuentibus quos cum pridem mortuis damnauerunt, quando hos mori fecerint, protinúſque reſuſcitauerint, ſicut in illo, vel ante illud Domini iudicium erga hos quos in carne viuentes eius aduentus inuenerit, futurum Catholica confitetur Eccleſia. Quod ſi hæc & alia, quæ tempore ſoli Deo cognito ventura credimus, facere nequiuerunt, quæ dementia corda eorum inuaſit, oculóſque eorum fumoſa ſua vanitas, velut denſarum palpabiliúmque tenebrarum opaca nox obcœcauit, vt non viderent, nec perſeueranter tenerent, quod in ſymbolo quando baptizati ſunt, acceperunt? Sed pro ſuo libitu, modò muneribus corrupti, modò honoribus & ambitionibus inlecti, modò etiam peregrinæ, ſiue potiùs ſerpentinæ verſutiæ doctrina circumducti, ventóque ſuperbiæ afflati & inflati contra Deum ſuperbiæ criſtas erexerunt, præripiendo iudicium eius, nouúmque errorem per damnationem viuorum ac mortuorum condendo, & veterem reſtaurando, cum & Acephalorum fautores conſortéſque effecti ſunt, & cæteris hæreticis dextras dederunt, vt liceat eis quoties libuerit, & quomodò libuerit, Orthodoxorum Pontificum decreta reſcindere vel damnare. Neque enim, vt ignorantes quidam dicunt Trium Capitulorum geritur cauſa, ſed omnium Pontificum, qui ab Apoſtolis, Apoſtolorúmque ſucceſſoribus vſque ad Synodum Calchedonenſem, in qua eadem capitula Orthodoxa ſunt iudicata, ac deinceps ad noſtra vſque tempora in vna

Ioan. 5. 30.

eadémque defenſione atque communione perdurantes, Catholici ex hac vita emigrarunt, perpetrata doletur damnatio. Quod euidentiſſimis documentis & veridicis rationibus paternarum traditionum hîc latiùs oſtendere poſſemus, ſi caſtigata ſineret breuitas.

Quibus diligenter conſideratis atque libratis iudicet quiſquis iudicium Dei metuit, quiſquis Dei Filium tempore opportuno in forma ſerui, quam pro nobis ſuſcepit, venturum credit, & confitetur iudicem manifeſtum, quem credendo didicit in plenitudine temporis veniſſe occultum, ſi hi tales qui ſuperbiores & excellentiores audacia diabolo, Antichriſto quoque exiſtunt deteriores, Chriſtiano ſaltem nomine cenſendi, & non potiùs Antichriſti miniſtri appellandi, modíſque omnibus ſint fugiendi. Quæ cùm ita ſint, quomodò iam eis poterit conſtare quod credere ſe dicunt in Deum Patrem, & in Filium eius, quod præcedit in ſymbolo, cùm non eis conſtet quod illic ſubſequitur de vno eodémque Chriſto ſpecialiter dictum, *qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos*. Quoniam iſti, ſicut ſuperiùs dictum, oſtenſumque eſt, & in mortuis olim & in viuentibus nobis, damnationis ſuæ iacula vibrauerunt.

Sed his præmiſſis aliud adhuc videamus. Si enim mortuos quos damnauerunt prauè docuiſſe, & hæretico ſenſu libros conſcripſiſſe dicunt, quærimus ab eis, vtrum cum viuerent admoniti ſint iuxta morem Catholicæ obſeruantiæ ac diſciplinæ, vt ſanum rectúmque ſaperent, pertinaciter reſtiterint, conuictíque de errore ſuo, vel in aliquo Concilio accerſiti, vt Arius in Nicæno, Macedonius in Conſtantinopolitano, Neſtorius in Epheſino primo, Eutiches atque Dioſcorus in Calchedonenſi, condemnati fuerint, necne. Si factum dixerint, mox ferri ſynodalia geſta flagitauerimus, ſicut horum proferuntur, vbi condemnatus eorum error, vbi prolata aduerſus eos ſententia doceatur. Si oſtenderint; rurſus quærimus quomodo per centum & amplius annorum ſeriem vniuerſam Catholicam latuerint Eccleſiam, cùm & humanæ leges triginta annis humanas adimant quæſtiones, & Dominus noſter Iesvs Christvs Apoſtolis ſuis poteſtatem ligandi atque ſoluendi tantummodò quæ ſuper terram

terrâm ſunt, diuinam dederit legem. Aut vbi putamus eadem delituerint geſta, vt nuper ad damnantium ſolummodò, non etiam ad non damnantium notitiam peruenire potuiſſent? Si autem quod magis verum certúmque eſt, proferre aliquid tale antiquitus geſtum nequeunt, quia in veritate quod proferant non habent: Nos è contra proferimus Synodicas Epiſtolas Antiocheni Concilij in defenſionem Theodori, dictorúmque eius, qui ab iſtis nouo iam hæreſis nomine criminéque cauteriatis, id eſt, Necrodioctis, ſiue Porcianiſtis damnatus eſt. Congregatæ deinde ſanctæ Calchedonenſis Synodi, cuius authoritati nullus niſi hæreticus contradicit, geſta demonſtramus, vbi non ſolùm Beati Theodori laudes ſuſceptæ & recitatæ, & cum admirabili gloria prædicatæ ſunt: verùm etiam Epiſtola venerabilis Ibæ, quæ ab iſtis vt impia condemnata eſt, orthodoxa illic pronuntiata docetur atque laudata. Theodoreti quoque doctrinam dudum, & à principio orthodoxæ fidei concinere in eadem ſynodo acclamatum, & digni vtrique, hoc eſt Theodoretus & Iba, Epiſcopatu iudicati ſunt, & gubernare ſicut pridem Eccleſias ſibi creditas ordinati.

Quibus præoſtenſis proponimus iſtis Capitulorum noſtríſque damnatoribus, eorúmque communicatoribus, quid de eodem magno Calchedonenſi Concilio ſentiant, vtrum Catholicum eum dicant, an non? Si dixerint, Catholicum eſt, reſpondemus, Vos ergo proculdubio hæretici eſtis. Quoniam vel quod, vel quos illi Patres ibidem præſidentes laudauerunt, & Catholicæ fidei conuenire pronuntiauerunt, vos vt hæreticos & impios condemnaſtis: vnde conficitur, velitis nolitis, ſicut conſequentia exigit rationis, vt illos quos damnauerunt hæreticos, id eſt Neſtorium, Eutichen, atque Dioſcorum, vos eos Orthodoxos etſi non verbis pro hominum forſitan timore, operibus certè & effrænatis perſecutionibus, ex Catholicorum Pontificum depulſionibus, & hæreticorum ſubrogationibus, * ſcriptóque in Catholicos prolatis, damnationibus pronuntiatis atque prædicatis. Denique in vna eadémque Calchedonenſi Synodo inter alia hæc quoque definita conſiſtit cauſa, approbatio ſcilicet trium, & damnatio trium. Ecce enim adſtant quodammodo ex vna

* ſcriptiſque.

parte eiuſdem Concilij Theodorus, quamuis iam defunctus, ſed in Synodicis Epiſtolis eius laudes continentibus, ibidémque relictis & approbatis, viuens Theodoretus quoque & Iba laudati & orthodoxi pronuntiati. Et ex alia nihilominus parte Neſtorius in Epheſo quidem primo damnatus, ſed iterata damnationis vinculo Calchedone illigatus. Eutyches etiam atque Dioſcorus illic ſimiliter vt hæretici condemnati. Quid dicitis? Nunquid non ita eſt? Nunquid quantolibet callo duritiæ frons veſtra ſolitis mendacijs obducta ſit, negare poteritis ita eſſe? Quod ſi & negare præ confuſione veſtra duplici volueritis; ecce adſunt geſta Calchedonenſis Concilij, ecce adſiſtunt ſexcenti & triginta Pontifices illic congregati, vociferant nimirum per eam, & dicunt: Nos laudes Theodori in pace & communione Catholicæ Eccleſiæ defuncti relectas cætui noſtro ſuſcepimus, & approbauimus. Nos verò venerabiles Theodoretum & Ibam orthodoxos pronunciauimus, atque in definitionem Catholicæ fidei nobiſcum ſubſcripſiſſe veraciter nouimus. Epiſtolam quam venerabilis Iba Mari Perſæ ſcripſit, relectam à nobis orthodoxam eſſe iudicauimus, & iudicium noſtrum concorditer ſubſcribendo firmauimus. Nos Neſtorium ante quidem damnatum iterata damnatione cum Eutyche atque Dioſcoro, ſancto nobis Spiritu præſidente proſtrauimus: qui iudicium noſtrum violare nitetur, hæreticus eſt: qui decreta noſtra in aliquo conuellere pertentat, alienus à Catholica fide, alienus à Chriſtiano nomine eſt. Qui enim hos quos Catholicos pronuntiantes laudauimus, damnat illos; è contrario quos, vt hæreticos condemnauimus, * laudet, & ideò hæreticus eſt. Quiſquis bene à nobis definitis non acquieſcit: quiſquis legitimo & Catholico ordine determinatis ſuperbus reſultat. Hæc audientes quid rogamus dicturi eſtis tot præclaris Pōtificibus vel vniuerſæ per totum mundum diffuſæ Catholicæ Eccleſiæ, quæ eorum ſtatuta deuotè ſemper cuſtodiuit, hactenúſque in ſuis reliquijs vbique propagatis cuſtodit; niſi fortè verum dicere volueritis: & quomodò futura erat hæreſis Necrodioctarum ſiue Porcianiſtarum? Si autem dixerint; hæreticum eſt Calchedonenſe Concilium, non eſt iam neceſſarium contra eos nouiter decertare, niſi vt habeantur ab vniuerſis in veri-

* laudat.

tate Catholicis, ſicut ille qui à Domino in Euangelio interrogatus quod ei nomen eſſet, reſpondit : *Legio, quia multi ſumus.* Quoniam reuera qui ſanctæ & magnæ Calchedonenſis Synodi authoritati contradicere in aliquo præſumit, aut pertentat, & Arianus eſt, & Macedonianus, & Neſtorianus, & Eutichianus, & Acephalus, vel quicquid ex varijs impietatis hæreticæ germinibus deriuari, eiſque coaptari poterit, contra quas vtriuſque peſtes ipſius Synodi vigilauit intentio, vt & præteritos hæreticos iterata damnatione percelleret, & præſentes anathematizaret, & futuros præſago Dei Spiritu damnationis vinculis cum eorum ſequacibus, modóque quolibet participibus innecteret.

Iam porrò de hoc quod dicunt eodem ritu lectionum ſolemnia, vel ſacrificij ordinem celebrare, poſſemus breuiter reſpondere, quoniam præciſis, ſicut docuimus, ab vnitate Catholica nihil proſit diuini nominis verbis fictis facta inuocatio, nec vſurpata, & ab Eccleſia tracta celebratio, cùm & Diabolus Dominum tentans ſcripturarum protulerit teſtimonia, ſed vnde deſtrueretur, non vnde muniretur : ipſæque ſanctæ ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant, & diuerſi hæretici quod bene & ſalubriter in Catholica acceperant, præciſi iam perniciosè & lethaliter retinuerunt. Poſſemus & illud de ſacrificio dicere quod initio mundi Dominus ad Cain dixit : *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti.* Sed & illud quod præuaricatoribus, pactúmque Dei violantibus Sacerdotibus idem Dominus per Prophetam dicit : *Cùm multiplicaueritis preces veſtras, auertam faciem meam à vobis. Et cùm obtuleritis ſacrificium mihi, non ſuſcipiam illud de manibus veſtris, nec placabor vobis, quoniam iniqui ſunt cœtus veſtri.* Multáque ſimilia quæ commemorare longum eſt. Sed opportunum iudicauimus etiam glorioſiſſimi Martyris & Epiſcopi Cypriani, vel vnum aut duo contra eos pro ſimili cauſa ſcripta proferre teſtimonia, quia diligenter cordis oculis conſiderata atque perſpecta animaduertet quiſquis corde intelligens eſt, ſi vltrà nouorum hæreticorum ſacrificia appetere debeat. Hic namque in Epiſtola pro ſancto Cornelio ſimiliter martyre & Epiſcopo vrbis Romæ, quem Nouatianus hæreticus expulerat, & ſe loco eius, ſicut & nunc à

„ nouellis hæreticis factum eſt, ſubrogauerat, ad Magnum
„ ſcripta poſt alia dicit : Si autem grex vnus eſt, quomodò
„ poteſt gregi adnumerari qui in numero gregis non eſt?
„ Aut paſtor haberi quomodò poteſt, qui manente vero pa-
„ ſtore, & in Eccleſia Domini ordinatè ſuccedente ac præ-
„ ſidente, nemini ipſe ſuccedens & à ſeipſo incipiens, alienus
„ fit & prophanus, Dominicæ pacis ac diuinæ vnitatis inimi-
„ cus, non habitans in domo Dei, id eſt in Eccleſia Dei, in
„ qua non niſi concordes atque vnanimes habitant? Deni-
„ que quàm ſit inſeparabile vnitatis ſacramentum, & quàm
„ ſine ſpe ſint, & perditionem ſibi maximam de indignatio-
„ ne Dei adquirant qui ſchiſma faciunt, & relicto Epiſcopo
„ alium ſibi Pſeudo-epiſcopum conſtituunt. Quod ſi aliquis
„ illud opponit, vt dicat eamdem Nouatianum legem tene-
„ re, quam Catholica Eccleſia tenet, & eodem Symbolo
„ quo & nos baptizare, eumdem noſſe Deum Patrem, eum-
„ dem Filium Chriſtum, eumdem Spiritum-ſanctum; ſciat
„ qui hoc opponendum putat, hoc adiuuare tales non poſſe.
„ Nam & Chore, & Dathan, & Abiron, cum Sacerdote
„ Aaron & Moyſe eumdem Deum nouerant, pari Lege &
„ Religione viuentes, vnum & verum Deum qui colendus at-
„ que inuocandus fuerat inuocabant : tamen quia loci ſui mi-
„ niſterium trangreſſi contra Aaron Sacerdotem, qui Sacerdo-
„ tium legitimum dignatione Dei atque ordinatione percepe-
„ rat, ſacrificandi ſibi licentiam vindicauerunt, diuinitus per-
„ cuſſi pœnas ſtatim pro illicitis conatibus rependerunt, nec
„ potuerunt rata eſſe & proficere ſacrificia irreligiosè & illicitè
„ contra ius diuinæ diſpoſitionis oblata. Quare qui Nouatia-
„ no, ſiue cæteris huiuſmodi patrocinantur, frustrà conten-
„ dunt. Atque vt magis intelligi poſſet contra huiuſmodi au-
„ daciam, quæ ſit cenſura diuina, inuenimus in tali facinore
„ non ſolùm duces & authores, ſed & participes pœnis deſti-
„ nari, niſi ſe à communione malorum ſeparauerint, præci-
„ piente per Moyſem Domino, & dicente : *Separamini à taber-
naculis hominum iſtorum durißimorum; & nolite tangere ab om-
nibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccatis eorum.* Et quod
„ comminatus per Moyſem Dominus fuerat, impleuit : vt
„ quiſquis ſe à Core, & Dathan, & Abiron non ſeparaſſet,

Digitized by Google

pœnas ſtatim pro impia communione perſolueret. Quo exemplo oſtenditur & probatur, obnoxios omnes & culpæ & pœnæ qui ſe ſchiſmaticis contra Præpoſitos & Sacerdotes Dei irreligioſa temeritate miſcuerint, ſicut etiam per Oſeam Prophetam Spiritus-ſanctus conteſtatur, & dicit : *Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur* : docens ſcilicet & oſtendens omnes omninò cum authoribus ſupplicio coniungi qui fuerint eorum peccato contaminati. Quid hoc teſtimonio euidentius? Quid lucidius? Quid dici veracius poteſt? Ecce enim omnes omninò pari reatu, paríque pœna conſtrictos docet, quotquot fuerint malorum communione polluti. Quid ergo eſt, quod quidam quaſi ex ſe curantes dicunt; ipſe ſcit Epiſcopus meus ſi damnauit quempiam, talibus comminetur, dicens : *Tu autem odiſti diſciplinam, & abieciſti ſermones meos retrò. Si videbas furem currebas ei, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Et infra manifeſtat & comprobat Paulus Apoſtolus morte dignos eſſe, & ad pœnam venire non tantùm illos qui malè faciunt, ſed etiam eos qui talia agentibus conſentiunt, qui cum malis & peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus illicita communicatione miſcentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum iunguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur.

At iſti : ſed non conſentimus, inquiunt, damnationi mortuorum. O intolerabile malum! O inauditum opprobrium, non conſentire quaſi verbis, damnationi dicunt, & conſentiunt operibus, quod deterius eſt, execrabili communioni, cùm magis cumulatior maneat pœna eis qui & non ignorant veritatem, & tamen communicant veritatis inimicis. Si enim hæreſim fecerunt, ſicut docuimus, hi, quibus communicatis damnando viuos & mortuos, ſi ad hæreticos exierunt, faciendo quod Acephali voluerunt : hæretici profectò vtriſque admiſſis remanſerunt. Quomodò ergo qui hæreticis communicant, hæreſis crimine teneri negabuntur? aut qua fronte Catholicæ communicare ſibi videntur? An quia manufactas Eccleſias palatino fulſi ſuffragio depulſis Catholicis peruaſerunt? Ideò vos fidem Catholicam, pacémque Chriſtianam in parietibus eſſe arbitramini. Si hoc opinamini, au-

dite quod etiam Sanctus Hilarius Epiſcopus Confeſſor & Doctor egregius quibuſdam Epiſcopis tempore Conſtantij Imperatoris, quo ſic Ariani ſub nomine Pacis & Regis peruaſerant vniuerſas penè totius orbis locales Eccleſias, ſicut nunc Eutichiani ſiue Acephali, de hac re ſcribat, poſt alia dicens: Orovos Epiſcopi qui hoc eſſe vos creditis, quibuſ-
„ nam ſuffragijs ad prædicandum Euangelium Apoſtoli vſi
„ ſunt? quibus adiuti poteſtatibus Chriſtum prædicauerunt,
„ gentéſque ferè omnes ex Idolis ad Dominum tranſtulerunt?
„ Anne aliquam ſibi aſſumebant è palatio dignitatem? Et in-
„ fra: Vnum moneo, inquit, cauete Anti-chriſtum; malè
„ enim vos parietum amor cepit, malè Eccleſiam Dei in tectis
„ ædificiiſque veneramini; malè ſub his pacis nomen ingeri-
„ tis. Anne ambiguum eſt in his Anti-chriſtum eſſe ſeſſurum?
„ montes mihi & ſyluæ, & lacus, & carceres, & voragines
„ ſunt tutiores. In his enim Prophetæ erant manentes, & ſpi-
ritu Dei prophetabant. Hæc interim pro breuitate prolata ſufficiant teſtimonia: quoniam ſi ampliùs coaceruare, vel ratiocinari vellemus, legentium forſitan memoriam onerare-mus.

Nunc iam illud quoque breuiter commemorare debemus quod ex Beati Auguſtini opuſculis contra Donatiſtas ſcriptis obijciunt, dicentes: dixit S. Auguſtinus; Bona eſt pax,
„ habete pacem: bona eſt vnitas, diligite vnitatem, non ſcin-
„ datur vnitas. Sed hæc & talia egregij Doctoris teſtimonia, quantum eos ſupplodant, nos verò ſtabiliant, nequaquam perſpiciunt. Si enim iſti qui hæc contra ſe potiùs opponunt nolebant ſcindere vnitatem; ſi nolebant bellum inferre Catholicæ Eccleſiæ, per quod pax violaretur, quòd in ea inuenerunt, hoc vtique ſeruare & viriliter cuſtodire, ſicut ſupra oſtenſum eſt, debuerunt. Quòd autem in illa, aut ab illa non acceperunt, tanquam verè noxium & lethale fugere, caueréque debuerunt. Nam habenda eſt pax ſecundum Apoſtolicam doctrinam cum omnibus ſi fieri poteſt hominibus, non tamen cum omnibus tenenda. Si quidem longè aliud ſit habere aliquid, aliud tenere. Nõ ſolùm igitur cũ Schiſmaticis & Hæreticis, ſed etiam cum Iudæis carnalibus, atque Paganis habenda eſt pax. Sed illa profectò pax, per quam eos exopta-

mus & cupimus Deo acquirere, & veritati vnitatíque ſociare Catholicæ : propter quod etiam vt conuertantur ſecundum mandatum Dei pro eis oramus : non ſic tenenda vt ad illos nos exeamus, & quod illi ſunt, hoc nos quoque efficiamur. Denique quod B. Auguſtinus dicebat, & ſuadebat Donatiſtis ; habere pacem, diligere vnitatem, egregiè ſatis & ſalubriter dicebat : Ipſos enim cupiebat, quemadmodum & nos iſtos, damnato errore ſuo ad Catholicam redire, ſicut in multis Opuſculis contra eorum ſchiſma ſcriptis luculentiſſimè edocet. Non vt ipſe, aut quiſquam Orthodoxorum relictâ, quod abſit, Catholicâ, errori eorum communione ſacrilega miſceretur. Hoc & nos iſtis cum magna pace dicimus : Damnate errorem quem induxiſtis, auferte damnationis malum quod intuliſtis, per quod & hæretici facti, & hæreticorum fautores extitiſtis, & nobiſcum pacem habentes, & ſicut pridem tenentes, vniuerſos hæreticos confudiſtis, & Catholicæ vos vnitati reddidiſtis. Quiſquis itaque hæc legis, eloquium noli quærere, ſed res, pondúſque veritatis diligenter intuere. Et ſi prævaricatorum communione pollutus non es, ora Deum, vt perſeueres. Si verò aut ignoranter aut violenter lapſus es, reparare ad Catholicam veritatem recurrendo feſtina, communionem eius reſumendo: omnibus ſi quidem pœnitentibus promiſſa eſt venia : Nemo deſperatione frangatur. Nullus ſerpentinis deceptionibus vlteriùs irretiatur : quoniam ſicut tranſgreſſoribus, & impœnitenti corde permanentibus ſempiternum cum Diabolo præparatum eſt ſupplicium ; ſic à Domino Deo pactum eius conſeruantibus, & fidei Catholicæ fundamenta cuſtodientibus, nouitatéſque prophanas deuitantibus, æternum & ſine fine reſeruatum eſt præmium glorioſum.

IVSTI *Epiſcopi Orgelitani Ad* SIRGAM *Papam.*

Ann. Chr. 535.

II.

DOmino meo verè pijſſimo, & præcipuè Dei gratia copioſo, ſempérque in Chriſto Beato, Domino Syrgæ Papæ ; IVSTVS Epiſcopus.

Scięnsţe tam ſolerti ſtudio pro refrigerijs pauperum labo- Mittit eō-

mentarium in Cantica Canticorũ à se editum.

rasse, vt illis temporariam consolationem, tibíque adquisieris æternam mercedem, & iam satis te dijudicans totum ad Dei eloquia, ex quibus nunquam fuisti vacuus, pro animæ cultura conuerteris; quoddam tibi in corporali specie spirituale exenium dirigere procuraui: quod si tibi Christus non ex nostro merito, sed ex suo munere fecerit esse gratissimum, forsitan proueniet, & in diebus ieiunij quodammodò refectus ad mensam venies, & antequam cibum accipias quiddam prægustasse persenties. Nec hoc dicens transmissionis huius meritum, priusquàm approbes, arroganter insinuare studeo; sed intercedente charitate, in qua te totum possideo, ita de tuo tanquam de meo animo præsumens, tibi acceptum fore absque vlla ambiguitate confido. Igitur in Christo Iesv germanum cordis mei esse non nescius Libellum de tractatu Libri Canonici, qui *Cantici Canticorum* præscribitur, quem nuper Christo inluminante edidimus, tibi primùm censui offerendum. In quo non nostra potiùs, sed ea quæ tua sunt, quia sic diligitis, te suscepisse cognoscas: Quem precor vt cum ea sollicitudine, quâ in Christo viges, sæpe recenseas. Vt si quid illic corrigendum persenseris, integra libertate commoneas. Et sic cæteris in Christo fratribus relegendum, vel si fortasse placuerit offeras transcribendum. Itaque quia sic accidit, vt membranis desistentibus, minutioribus litteris eamdem scripturam, in paribus quaternionibus susciperent, nec studiosè fabrefactis lateralibus ambiretur; Si memoratam rem alicuius meriti esse censueris, quia hoc ipsum, vt præfatus sum, donante Domino tuum est, vt diligentiori studio transcriptum vtiliùs coaptetur quantociùs studebis. Quod Opus si laude dignum processerit, te auctorem referam Christo; si verò reprehensioni patuerit, quia vtriusque est; statim assumam socium temetipsum, quia decori sic te condecet hæc quæ Deus contulit coaptari, vt non de negligentia vituperium, sed de industria charitatis suscipias fructum: Vt fratres nostri qui præcessorum patrum tractatibus epulantur, etiã his neotericis quæ eis ex charitate offerimus; non pro nostro merito, sed pro Dei dono, & sua beneuolentia vesci quodammodò delectentur: Aue nunc in Christo pijssime, nostrámque pusillitatem sanctis orationibus in Domino fouc.

S. Anselmi

Digitized by Google

S. ANSELMI,

Ad B. LANFRANCVM Cantuar. Archiepiscopum.

Ann. Chr. 1088.

III. REuerendo & amando suo Domino, & Patri, & Doctori, Cantuariæ Archiepiscopo, Anglorum Primati, Matri Ecclesiæ Catholicæ, fidei vtilitatísque merito multùm amplectendo LANFRANCO, frater ANSELMVS Beccensis, vitâ peccator, habitu Monachus.

Opus suum quod Monologium inscribitur corrigendũ vel approbãdũ mittit Lanfranco.

Quoniam agenda sunt omnia consilio, sed non omni consilio, sicut scriptum est: *Omnia fac cum consilio*; Et, *Consiliarius sit tibi vnus de mille*: vnum quem scitis non de mille, sed de omnibus mortalibus elegi, quem præ omnibus haberem Consultorem in dubiis, Doctorem in ignoratis, in excessibus Correctorem, in rectè actis Approbatorem. Quo quamuis secundum votum vti non possim, decreui tamen vti quantum possum. Quamuis enim valdè multi sint præter prudentiam vestram, de quorum multùm proficere imperitus possim peritiâ, & quorum subiacere censuræ mea me cogat imperitia, nullum tamen eorum noui cuius me doctrinæ iudicióue tam confidenter, támque libenter, quàm vestro subiciam; & qui mihi tam paterno affectu se, si res indiget, exhibeat, aut, si res exigit, congaudeat. Quare quoniam quicquid de paterno vestro mihi pectore impenditur, & sapientiâ est exquisitum, & auctoritate roboratum, & dilectione conditum: cùm aliquid inde haurio, id me suâ & dulcedine delectat & securitate satiat. Sed quoniam hæc ipsa scienti loquor, his omissis, cur eorum meminerim expediam. Quidam fratres serui vestri, & conserui mei, me sæpe multúmque rogantes tandem coëgerunt, vt adquiescerem illis quædam scribere, sicut in eiusdem scripturæ præfatiuncula considerare poteritis. De quo Opusculo hoc præter spem euenit, vt non solùm illi quibus instantibus editum est; sed & plures alij illud velint non solùm legere, sed etiam transcribere. Dubitans igitur vtrùm illud volentibus denegare debeam, aut concede-

re, ne me aut inuidum putantes oderint, aut stultum agnoscentes derideant, ad singularem meum recurro Consiliarium, & scripturam ipsam examinandam vestro mitto iudicio, vt eius auctoritate aut inepta à conspectu prohibeatur, aut correcta volentibus præbeatur.

RAIMVNDI *Gallæciæ &* HENRICI *Portugalliæ Comitum* HVGONI *Abbati Cluniacensi.*

circa Ann. Chr. 1093.

IV. DOmino atque Reuerētissimo Cluniacēsi Abbati HVGONI, omnique Beati Petri Congregationi, RAIMVNDVS Comes eiusque filius, & HENRICVS Comes eius familiaris, cum dilectione salutem in Christo. Sciatis, Carissime Pater, quòd postquàm vestrum vidimus legatum pro Dei omnipotentis atque Beati Petri Apostoli timore vestræque dignitatis reuerentia quod nobis mandastis in manu Domni Dalmatij Geret fecimus.

Mittit exēplar fœderis amicitiæ inter se initæ, & pactorum de partienda successione soceri sui Alphonsi Castellæ ac Legionis Regis.

In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Pignus integræ dilectionis, quo coniuncti sunt in amore RAYMVNDVS Comes, Comésque HENRICVS, & hoc iuramento.

Ego quidem HENRICVS absque vlla diuortij falsitate tibi Comiti RAYMVNDO membrorum tuorum sanitatem, tuæque vitæ integram dilectionem, tuique carceris inuitam mihi occursionem iuro: Iuro etiam quòd post obitum Regis ILDEPHONSI tibi omni modo contra omnem hominem atque mulierem hanc totam terram Regis ILDEPHONSI defendere fideliter vt Domino singulari atque adquirere præparatus occurram. Iuro etiam si thesaurum Toleti priùs te habuero, duas partes tibi dabo, & tertiam mihi retinebo. Amen.

Et ego Comes RAYMVNDVS tibi Comiti HENRICO tuorum membrorum sanitatem, tuæque vitæ integram dilectionem, tuique carceris inuitam mihi occursionem iuro. Iuro etiam quòd post mortem Regis ILDEPHONSI me tibi daturum Toletum terramque totam subiacentem ei, totamque terram, quam obtines modò à me concessam, habeas tali pacto; vt sis inde meus homo, & de me eam habeas Domino; & postquam illas tibi dedero, dimittas mihi omnes terras

Digitized by Google

de Lerma, dela Cueſta, &c. à aliquo mihi nihil tibi offenſo, volucris, & ſuperbus ex hoſtili prædæ, quorum ſimul in me ſuo tempore ſpiritum & furorem, ſi quidem ſatis ſuperque ſibi ſpecifice dominus, & prodeo cibi meus ipſeborus. Sunt in Gallo-Græcia Tolleri prædæ ſuæ, & ſuperbiæ patrocinia tibi odio, & duo remanentia nobis invidia.

Fidelium amicorum CAROLI BORROMÆI *ad ſe ſcriptæ* Epiſtolæ. PARMÆ, 1761.

de Ego Gismer S. Archiepiſcopus Turonenſis, ſum Cardinalis Ernestus dux Telerum, ex genere, dilecte ille Gallorum Rex, Cardinalis Borromæus, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, & de Gallorum, & ejuſdem urbis Romanæ quondam Cardinalis ille Gallorum, ex progenitoribus ille, dilectus, dilectus mihi revera ab Ecclesia de Gallorum, Cardinalis Borromæus, ejusque fratris Dei Sanctus pie memoriæ, patronus, Rex.

FABIANI Epiſt. Epiſcopi

Principum pro Ecclesiæ Libertate.

VIX mente ſi ſolum, non etiam verbis Deum, Dilectissimi in Christo Fratres Laudatis dimittendum putabo nostro munere vestrum, ut ita dicam, benevolum, ac candidum Collegium de principis causa.

Lycaet inclytum Cæsarem in primis integrum effe pro- Cæsarem in primis integrum esse pro- bum, & Monumentorum proprium rebusque gestis, quæ bum, & Monumentorum proprium rebusque gestis, quæ dandis omnibus ingeniosissimo, Senatui æque benignum, dandis omnibus ingeniosissimo, Senatui æque benignum, cunctis ordinibus amantissimum esse certo, quo desiderium cunctis ordinibus amantissimum esse certo, quo desiderium tam simul patriæ quam Reipubl. & Romanum Ecclesiam nos Memoria tenemus, habent, quam Cultum Sedis apostolicæ. Carentes primis exemplaribus scimus eam tenuisse Ecclesiæ hactenus ordo quidem Sedis Apostol., dissidentes discrepantes inconcinnos esse, quam quæ Adversarios nobis, eversos Ecclesiæ Catholicæ Ordines, Sedis Apostolicæ Cultum, Veterum Traditiones, pro[illegible] Sanctissimi Sedis Apostolicæ cultum pendere dignissimos & per resolutis tempore Constantini Apostolicæ Sedis auctoritate, Sedis

ſtris temporibus ſupernæ miſerationis reſpectu prædicta ciuitas in eiuſmodi ſtatum reducta eſt, vt & populi frequentia & diuitiarum abundantia Cameracenſem ſuperet ciuitatem. Dignum igitur Spiritui-ſancto, & auctoritati Apoſtolicæ viſum eſt, vt Atrebatenſi Eccleſiæ Cardinalis reſtitueretur Antiſtes. Sanctum enim Sardicenſe Concilium ſtatuit non paſſim Epiſcopum ordinari, niſi aut in ciuitatibus quæ Epiſcopos habuerunt, aut quæ tam populoſæ ſunt, vt habere mereantur Epiſcopum. In ſecundo quoque Concilio Africano decernitur, vt illa diœceſis quæ aliquando habuit Epiſcopum, habeat proprium, & ſi accedente tempore, creſcente fide, Dei populus multiplicatus deſiderauerit habere proprium Rectorem, eius videlicet voluntate in cuius poteſtate eſt diœceſis conſtituta, habeat proprium Epiſcopum. Beatus quoque Gregorius in Sardinia apud Phauſianam oppidum ſecundum priſtinum modum reordinari præcepit Antiſtitem.

Electus & approbatus Lambertus.

Et nos ergo Atrebatenſis Eccleſiæ reſtitutioni, & Remenſis Metropolis redintegrationi, pro noſtri officij debito imminentes, Te, Frater Cariſſime LAMBERTE, Cleri plebíſque conſenſu electum vnanimi, beato Vedaſto, & ſanctis qui in vrbe ipſa quondam præſederunt pontificibus conſtituimus ſucceſſorem. Per præſentis itaque Priuilegij paginam legitimum perpetuum ſtatuimus, vt Atrebatenſis Eccleſia deinceps ſemper Cardinalem Epiſcopum ſortiatur. Quicquid autem prædictæ Eccleſiæ Beatus Remigius contulit, quicquid antiquis temporibus dum Epiſcopali dignitate polleret, eam poſſidere conſtiterit, ſaluis legalibus inſtitutis, & Romanæ Eccleſiæ Priuilegijs, ratum tibi ac tuis ſucceſſoribus ſancimus permanere. In quibus nominatim Archidiachonias duas, quarum vna Atrebatenſis; altera dicitur Obſtreuandenſis, præfatæ Eccleſiæ confirmamus, & illos omnino limites inter Atrebatenſem & Cameracenſem Eccleſias fore præcipimus, quos antiquitus fuiſſe vel ſcriptorum monimentis, vel territoriorum diremptione, vel certis aliquibus indiciis potuerit comprobari; vt annuente Deo Eccleſiarum pax nulla occaſione turbetur, & quæ pro fidelium ſalute ſtatuta ſunt, perenni tempore inconuulſa ſtabilitate perſiſtant. Sanè ſi quis in craſtinum Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, Im-

Cardinalis Epiſcopus Atrebatenſis perpetuò ſtatuitur.

perator, aut Rex, Princeps, aut Dux; Comes, aut Vicecomes, Iudex, aut perſona quælibet magna vel parua, huius noſtri pa[illegible]am ſciens Priuilegij, contra eam temerè venire præſumpſerit, ſecundò, tertióue commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis, honoríſque ſui dignitate careat, reúmque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris noſtri IESV Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri IESV Chriſti; quatinus & hîc bonæ actionis fructum percipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Scriptum per manum BONIHOMINIS Scriniarij ſacri Palatij. Datum Romæ per manum IOANNIS ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Diaconi, decimo Calendas Aprilis, Indictione ſecunda, Anno Dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo tertio. Pontificatus autem Domini VRBANI ſecundi Papæ, ſeptimo.

Recitatum autem eſt hoc Priuilegium, in Claromontenſi Concilio ex præcepto Domini VRBANI Papæ ſecundi, cui ipſe præſedit, & cum eo Cardinales Romani, Archiepiſcopi XIII. Epiſcopi CC. & XXV. Abbates verò nonaginta & eo ampliùs, exceptis honeſtis & religioſis diuerſarum Regionum & prouinciarum Clericis & laïcis, & intentè & ſub magno ſilentio ab omni confeſſu Concilij auditum, collaudatum, & confirmatum eſt, IV. Calendas Decembris, Indictione quarta anno Dominicæ incarnationis M. XCV. Pontificatus autem Domini Vrbani ſecundi Papæ, octauo.

PROVINCIA II. BELGICA.

Ciuitas Remorum Metropolis.
Ciuitas Sueſſionum. Ciuitas Cadelaunorum.
Ciuitas Viromanduorum. Ciuitas Atrebatenſium.
Ciuitas Cameracenſium. Ciuitas Tornacenſium.
Ciuitas Siluanectum. Ciuitas Beluacenſium.
Ciuitas Ambianenſium. Ciuitas Morinum.
Ciuitas Bononenſium.

PASCHALIS II. Papæ.

Daymberto Archiepiscopo Senonensi.

Ann. Chr. circ. 1101

VI. PASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei venerabili Fratri Daimberto Senonensi Archiepiscopo salutẽ & Apostolicam benedictionem. Venit ad nos cum tuo seu Suffraganeorum tuorum testimonio Parisiensis Ecclesiæ Electus per nuncios & per literas eiusdem Ecclesiæ preces afferens vt à nobis Dei gratiâ deberet in Episcopum consecrari. Nos personæ grauitatem videntes, morum maturitatem attendentes, infirmitati diutinæ compatientes, Ecclesiæ preces duximus audiendas. Saluo igitur in omnibus Senonensis Ecclesiæ iure & personæ tuæ reuerentiâ eum nostris tanquam B. Petri manibus largiente Domino consecrauimus. Ipsum itaque ad dilectionem tuam cum B. Petri gratia remittentes, literis præsentibus plurimùm commendamus, omnipotentem Dominum rogantes vt eum ad vos reducat incolumem & Ecclesiæ suæ vtiliorem fore concedat.

Scribit se consecrasse Episcopum Parisiẽsem absque præiudicio Archiepiscopi Senonensis *Is videtur fuisse Fulco.*

PASCHALIS Papæ II.

Ad LAMBERTVM Episcopum Atrebatensem.

Ann. Chr. 1102. 15. April.

VII. PASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri LAMBERTO Atrebatensi Episcopo, eiúsque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Quæ à Patribus constituta sunt, oportet profectò vt sub metu & inrefragabili auctoritate teneantur. Dignum enim est vt nullâ desidiâ negligantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur. Vnde & nos quod à piæ memoriæ prædecessore nostro VRBANO de restitutione Atrebatensis Ecclesiæ constitutum est, iustum omninò & sacris Canonibus congruum perpendentes, nostri quoque Decreti auctoritate sancimus, vt videlicet Ecclesia eadem, sicut antiquitus Episcopali dignitate claruit, ita etiam in posterum Cardinalem per Dei gratiam sortiatur Antistitem.

Restitutum Episcopum confirmat sũmus Põt.

Extat Vrbani epistola apud Locrium in Chronico Belg. ad an. 1095.

Digitized by Google

Diuinæ ſiquidem miſerationis affectum, quem in Eccleſiarum ſuarum & populorum reſtitutionibus operatur, debemus & nos competentibus ſubſequi ac implere ſuffragijs. Te igitur Dilectiſſime, ac Reuerendiſſime Frater, quem in Atrebatenſi Eccleſia prædeceſſor noſter Domino reſtituente conſtituit, nos quoque cum diuini fauoris præſidio in Epiſcopalis dignitatis functione firmamus. Quicquid autem prædictæ Eccleſiæ Beatus REMIGIVS contulit; quicquid antiquis temporibus dum Epiſcopali dignitate polleret, eam poſſidere conſtiterit, ſaluis legalibus inſtitutis, & Romanæ Eccleſiæ priuilegijs, tantùm tibi ac ſucceſſoribus tuis permanere cenſemus. In quibus nominatim Archidiaconias duas, quarum vna Atrebatenſis, altera dicitur Obſtreuandenſis, præfatæ Eccleſiæ confirmamus; & illos omninò limites inter Atrebatenſem et Cameracenſem Eccleſias fore præcipimus, quos antiquitus fuiſſe vel ſcriptorum monumentis, vel territoriorum diremptione, vel certis aliquibus indicijs potuerit comprobari, vt annuente Deo Eccleſiarum pax nulla occaſione turbetur & quæ pro fidelium ſalute ſtatuta ſunt, perenni tempore incommulsâ ſtabilitate perſiſtant. Si qua ſanè Eccleſiaſtica ſecularisue perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò, tertióue commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honoríſque ſui dignitate careat, reámque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac ſanguine Dei ac Domini noſtri IESV Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri IESV Chriſti, quatinus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen.

Scriptum per manum PETRI Notarij Regionarij & Scriniarij ſacri Palatij.

PASCHALIS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Datum Laterani per manum IOANNIS ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, XVII. Cal. Maij. Indictione nona: Incarnationis Dominicæ anno M. C. I. Pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi Papæ ſecundo.

Canonicorum Eccleſiæ Pariſienſis, PASCHALI II. Papæ.

Ann. Chr. 1104.

VIII. PAternitati veſtræ quantas poſſumus gratiarum actiones toto mentis affectu referimus, quoniam idoneam ac perutilem nobis perſonam in Epiſcopum concedendo, prouida diſpenſatione conſuluiſtis, & Eccleſiam noſtram inter aduerſariorum procellas quaſi ſine capite diu vacillantem tanti Paſtoris conſolatione miſericorditer reſpexiſtis: Qui nimirum iuxta legem forma gregis factus, ſuæ doctrinæ verbo nos in templum Dei ædificet, & religioſæ conuerſationis exemplo informet. Ei itaque tum veſtro ſuper hoc mandato, tum pro honeſto conuerſationis merito diligenter ſeruire ſtudemus, & tanquam Patri debitam in omnibus obedientiam impendimus. Apoſtolicam verò ſollicitudinem latere non volumus quòd Comes de Dammartino terras noſtras quibuſdam iniuſtis exactionibus infeſtare non ceſſet, quas idem cum patre ſuo pro eadem re præcepto Vrbani Papæ quondam excommunicato, & tandem ſatisfaciente & prædictas exactiones dimittente anteà dimiſit. Precamur igitur vt ſicut prædictus anteceſſor veſter patrem prædicti Comitis à ſua compeſcuit nequitia, & ita filium veſtræ diſcretionis refrænet prouidentia, & Epiſcopis Beluacenſi & Meldenſi, vt eum excommunicent & eius caſtella interdicant donec nobis ſatisfaciat, iniungatis.

Gratias agunt de Epiſcopo ſibi cõceſſo à ſummo Pontifice. *Is videtur fuiſſe Vvalo è Beluacenſi ſede ad Pariſienſem tranſlatus.*

PASCHALIS Papæ II. Ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Prouinciarum Remenſis, Senonenſis ac Turonenſis, vt Philippum Regem & eius pellicem à vinculo excommunicationis abſoluant.

Ann. Chr. 1104.

IX. PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis per Remenſem, Senonenſem, ac Turonenſem prouincias, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Significatum

Significatum nobis eſt quorumdam veſtrum literis, quia filius noſter Francorum Rex fœminam illam pro qua totiens commonitus, imò excommunicatus fuit, iuxta præceptum noſtrum abiurare decreuerit. Ipſa etiam mulier Regem abiurare parata ſit. Super quarum conuerſione perſonarum non minimùm exultauimus, quia ſuper vno peccatore pœnitentiam agente gaudium eſſe Angelis Dei ipſo Domino teſtante didicimus. Quam nimirum cauſam fratri noſtro RICHARDO Albanenſi Epiſcopo reminiſcimini à nobis fuiſſe commiſſam. Si ergo idem frater Franciæ iam fines egreſſus eſt, nos eamdem cauſam, aſpirante Domino, vnà vobiſcum peragendam Venerabili Fratri LAMBERTO Atrebatenſi Epiſcopo committimus. Conuenientibus itaque vobis in vnum, ſi communis filius Francorum Rex, & illa eius lateralis, tactis Sacro-ſanctis Euangelijs omnem carnalis copulæ conſuetudinem abiurauerint, mutuum quoque colloquium & contubernium niſi ſub teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum, nunquam videlicet ad idem flagitium redituri, ſicut quorumdam veſtrum litteris ſignificatum eſt, ſatisfactionem eorum vice noſtra vobiſcum Atrebatenſis Epiſcopus ſuſcipiat, & à vinculo excommunicationis abſoluat, quatinus largiente Domino & filium Eccleſia, & Regem ſibi Francia reconciliatum Epiſcopali miniſterio gratuletur. Data Laterani per manum Ioannis III. Nonas Octobris.

IVRAMENTVM PHILIPPI REGIS FRANCORVM.

Audias, Tu LAMBERTE Atrebatenſis Epiſcope, qui hîc Apoſtolica vice fungeris : Audiant Archiepiſcopi, & præſentes Epiſcopi, quòd Ego PHILIPPVS Rex Francorum peccatum & conſuetudinem carnalis & illicitæ copulæ quam hactenus cum BERTRADA exercui, vlteriùs non exercebo, ſed peccatum iſtud & flagitium penitus & ſine omni retractione abjuro. Cum eadem quoque fœmina mutuum colloquium & contubernium, niſi ſub teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum, non habebo ; hæc omnia ſicut literæ Papæ dicunt, & vos intelligitis, ſine omni malo ingenio obſeruabo. Sic me Deus adjuuet, & hæc Sacro-ſancta IESV Chriſti

Euangelia. Similiter & BERTRADA cum excommunicationis vinculo ſolueretur, tactis Sacro-ſanctis Euangelijs in perſona ſua hoc idem iurauit ſacramentum.

Actum Pariſius in præſentia Domini Daimberti Senonenſis, & Radulfi Turonenſis Archiepiſcoporum; Domini quoque Iuonis Carnotenſis Epiſcopi, Humbaldi Autiſiodorenſis Epiſcopi, Ioannis Aurelianenſis Epiſcopi, Gualonis Pariſienſis Epiſcopi, Manaſſe Meldenſis Epiſcopi, Baldrici Nouiomenſis Epiſcopi, Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi, Huberti Siluanectenſis Epiſcopi: Abbatum quoque Adæ Pariſienſis, Olrici ſimiliter Pariſienſis, Rainoldi de prato ſancti Germani Pariſienſis; Rainoldi nihilominus Stampenſis: Archidiaconorum etiam quamplurium; & honorabilium Clericorum, & Laïcorum non parua multitudine inibi conſiſtentium.

Taliter itaque ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate reincorporatus eſt Philippus Rex Francorum Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ matri ſuæ IV. Nonas Decembris, Indictione XIII. Anno autem Dei Chriſti M. C. IV. Pontificante verò in ſede Romana Domno Paſchali Papa II. anno ſexto.

PASCHALIS II. Papæ.

DAYMBERTO Archiepiſcopo Senonenſi.

Ann. Chr. circ. 1105.

Suadet vigilantiam paſtoralẽ.

X. PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Venerabili Fratri D. Eccleſiæ Senonenſis Archiepiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantò maior tibi animarum cura commiſſa eſt, tantò ſollicitiorem eſſe in omnibus te oportet. Inuigila igitur, frater cariſſime, ſicut bonus paſtor ſuper gregem Domini, vt eum talem poſſis Domino aſſignare, qui & ſibi placeat, & te dignum bona retributione oſtendat. Finis tuus quotidie appropinquat; & licet hoc certum ſit omnibus, extremus tamen dies incertus eſt. Eſto itaque ſemper ſollicitus; & ſi fortè negligenter te aliquando habuiſti, nunc totum ſtudeas per Dei gratiam emendare: vt cum Dominus venerit, te vigilantem inueniat & ſic paratum, quatinus in æternæ vitæ ſuſcipi gloria merearis.

Digitized by Google

De querimonia quam Virzilienſis Abbas aduerſus Floriacenſem pro quadam gerit Eccleſia, iuſtitiam debitam facias. Non enim volumus priuilegiorum obtentu Eccleſia quælibet præiudicium patiatur. Datum apud Typhernum X. Kalendas Nouembris.

PASCHALIS II. Papæ.

De legatione S. A. datâ GIRARDO Engoliſmenſi Epiſcopo.

Circ. Ann. Chr. 1107.

XI. PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, atque Principibus per Bituricenſem, Burdegalenſem, Turonenſem, atque Britannicam Prouincias conſtitutis, & cæteris tam Clericis quàm Laïcis: Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis auctoritate, cui Domino auctore præſidemus indigni, compellimur non ſolùm proximis, ſed procul etiam poſitis fidelibus, quæ ad ſalutem ſpectant animæ prouidere: quod quantùm in nobis eſt, auxiliante Domino, implere ſatagimus. Proinde vobis omnibus, fratres & filii, Apoſtolorum Petri & Pauli benedictionem impendimus, & paternâ vos affectione cohortamur in Domino, quatenus vſque in finem, firmum iuſtitiæ propoſitum teneatis, laboris mercedem maximam in æterna gloria percepturi. Vt autem penes vos habeatis, apud quem querelas veſtras & negotia, cum opportunum fuerit, referatis, cuiuſque conſilio & hortatu quæ ad ſalutem veſtram attinent, peragatis; Vices noſtras fratri Cariſſimo GIRARDO Engoliſmenſi Epiſcopo commiſimus, in partes eum noſtræ ſollicitudinis aſciſcentes. Huic vice noſtra, vt noſtro Apoſtolorúmque in partibus veſtris Vicario, ad Dei honorem & ad ſalutem animarum veſtrarum fideliter obedite, vt vobis per Dei gratiam collaborantibus, quæ extirpanda ſunt extirpare, quæ corroboranda ſunt corroborare præualeat. Nec ſollicitudinem, fratres Cariſſimi, pigeat; cum neceſſitas Eccleſiaſticæ vtilitatis exegerit, Synodales cum eo celebrare Conuentus, quoniam nimirum conuocandi vos vice noſtra

Digitized by Google

potestatem indulsimus. Datum Laterani XIII. Calendas Maij.

PASCHALIS Papæ II.

Ann. Chr. circ. 1110.

Guidoni Archiepiscopo Viennensi.

XII. PASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei; Venerabili Fratri Guidoni Viennensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, salutem & Apostolicam benedictionem: Super prudentia tua plurimùm ammiramur quòd in negotio Ecclesiæ B. Stephani Clericorum ipsorum testimonium acceptare nolueris: cùm B. Gregorius in huiusmodi causis Ecclesiarum auctoribus probationem imponat. Diuersæ namque sunt in causarum auctoribus species, nec in omnibus causis crimina agitantur. In criminibus siquidem accusatorum testium illa districtio obseruanda est quæ canonibus continetur, ne qui ad probationem domestici assumantur. Cæterùm in possessionum vel cæteris huiusmodi negotijs hi potissimùm assumendi sunt qui eadem negotia tractauerunt, de quorum vsu & auditu hæsitatio esse non debeat. Si ergo ijdem Clerici idonei sunt, ab assertione causæ illius nullatenus repellantur. Sed sicut alijs literis deliberatum est, inter S. Ioannis & S. Stephani Canonicos lis illa pleniùs decidatur. Cesset iam malitiæ zelus & dolositatis cauillatio, & prædictarum Ecclesiarum negotium iuxta literarum tenorem omnimodis peragatur. Alioquin ad præsentiam nostram parati prorsus & instructi proximo quadragesimalis Concilij tempore reuertantur. Datum..... VI. Kalendas Septembris.

Scribit vt studeat terminandæ cõtrouersiæ inter Canonicos Ecclesiarum S. Ioannis & S. Stephani Bisuntinens.

THEOBALDI Stampensis

Circa Ann. Chr. 1108.

Ad Episcopum Lincolniensem.

De quibusdam in diuina pagina titubantibus.

XIII. SI quis prædicat & prædicando temerè deffiniat aliquem non posse saluari quâcumque horâ manus suas pœnitentiæ dederit, fallitur, sicut veritas testatur,

Quæ vera sit pœnitẽtia ostẽdit.

Digitized by Google

nec catholicè ſentit. Ipſa enim inquit : *In quacumque die peccator conuerſus fuerit, peccata eius non reputabuntur ei ; ſed vita viuet, & non morietur.* Inde Auguſtinus contra Fauſtum : [Pœnitentiâ cordis aboleri peccata, etiam in vltimo vitæ ſpiritu indubitanter credimus. Qui verò aliter ſentit, non Chriſtianus eſt, ſed Nouacianus.] Inde Gregorius ſuper Ezechielem : [Nunquam ſera eſt pœnitentia à pœnitente, Propheta aſſerente : *Quâcumque horâ peccator ingemuerit, ſaluus erit.* Nec latro in cruce pendens veniam habuiſſet, ſi bona voluntas vnius horæ non ſubueniſſet.] Inde Hieronymus contra Iouinianum : [Pœnitenti, & vero corde gementi, ſi ſtatim moritur, bona voluntas quaſi opera feciſſet, reputabitur. Inde ad Damaſum :] Ne cui ſera videatur eſſe pœnitentia, Chriſtus in cruce pœnam homicidij fecit martyrium. Cui conſonat Hilarius dicens : [Pœnitudo mores immutat, & longa temporum crimina in ictu oculi pereunt, ſi bona cordis nata fuerit compunctio.] Eſt autem compunctio humilitas cordis cum recordatione peccatorum & lachrymis. Inde Gregorius in Moralibus : Omnis ſtrepitus prauæ actionis obmuteſcit vi bonæ compunctionis. Si enim cor verè dolet, vitia contra nos obmuteſcunt, & à mente tribulatione doloris attrita tanquam fumus euaneſcunt. Iſte eſt ſpiritus qui conterit naues Tharſis, id eſt vis compunctionis, quæ mentes mari, id eſt, mundo deditas, tribulationis gemitu ſalubriter afficit. Inde Ambroſius : [Vera peccati pœnitentia eſt, ab eo quod pœnitendum intellexeris, deſiſtere.] Inde Calixtus Papa : In pœnitentia tantùm valet longitudo temporis, vel confeſſio oris, quantùm vera compunctio cordis : Si quis enim ore confitetur, & corde non credit, inter illos computatur, de quibus legitur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* † Inde Alexander Papa : [Nihil ita Dei miſericordiam captat quemadmodum cor pœnitentis.] Inde Preſbyter Venerabilis : [In Chriſtianis non principium, ſed finis quæritur ; quia vnuſquiſque de fine ſuo iudicabitur.] Cuius enim finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt. Quid etiam ipſe Deus mulieri in adulterio deprehenſæ reſpondeat audiamus : *Vade, iam amplius noli peccare.* Petrus autem culpam trinæ negationis, foras egreſſus ama-

Ezech. 18. 12. 28

Rom 10. 13

Matt. 15. 8.

Is eſt S. Hieronym.

Ioan. 8. 11.

riſſimè fleuit, & mox ab ipſo Domino indulgentiam habere meruit. Quem Papa Gregorius imitatur dicens : Lachrymis amariſſimis conſcientiam noſtram baptizemus, quia poſt baptiſmum magnitudine peccatorum vitam inquinauimus. Nemo tamen de magnitudine peccatorum deſperet, dicendo : Peccata mea multa ſunt in quibus vſque ad ſenectutem perſeueraui, & iam ampliùs veniam non potero promereri, maximè quia illa me dimiſerunt, non ego illa. Abſit vt talis de miſericordia Dei deſperet ; magna námque & ineffabilis Dei pietas non vult alicui in aliquo tempore ponere metas. Quicumque enim nimio peccatorum faſce grauantur, ſi grauati ad Dominum conuertantur, illicò peccatorum nimio faſce alleuiantur. Deus enim magis approbat in extremis vitæ puritatem mentis, quàm longam cordis munditiam in fine à bono deficientis. Verbi gratia : Latro per ante facta dignus erat inferno ; ſed puritate mentis coronatus adiit paradiſum. Quidam verò Eremita Angelicam vitam ducens, dignus erat paradiſo, ſed ſemel lapſus in culpam, damnatus deſcendit ad infernum. Ampliùs, ſicut ſanctum Euangelium teſtatur, pater-familias vndecimâ horâ conducit operarios, & æqualem vitæ mercedem ſoluere dignatur. Vnde conſtat quòd pœnitentia non eſt in numero dierum, vel in longo tempore afflictionis ; ſed in amaritudine cordis. Qui enim in Chriſtum credit, etiamſi in multis moratur peccatis, fide ſua viuit in æternum, ſicut ipſe ait in Euangelio : *Ego ſum reſurrectio & vita ; qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet.* Et alibi : *Ego ſum via, veritas, & vita* ; via ſine errore quærentibus ; veritas ſine falſitate inuenientibus ; vita ſine morte manentibus. Quod autem Apoſtolus ait : *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem* ; Verum eſt, quia confeſſio pœnitentibus neceſſaria eſt. Quod enim de Chriſto credimus, non erubeſcere, ſed confiteri coram omnibus debemus. Et ſi aliquis pro fidei confeſſione occiditur, licet quibusdam vitijs ſit præpeditus, tamen in illa occiſione ita mundatur, vt ſtatim in æternam gloriam ſuſcipiatur. Et hoc eſt, *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Cùm autem confeſſio oris fiat ad proximum, confeſſio cordis ad Deum, ſi aliquo euentu confeſſio oris impediatur, non tamen iccircò cordis con-

Pœnitentia non tẽpore, ſed cordis amaritudine ponderatur.

Ioan. 11. 25.

Ioan. 14. 6.

Rom. 10. 10.

Ibid.

Digitized by Google

feſſio infructuoſa reprobatur. Auguſtinus enim de Sodomitis in lacu ſubmerſis tractans, dicit: Quòd quidam ex illis ſaluati ſunt, per bonam compunctionem, & verum cordis gemitum, quia non ſolùm ſuperfluæ cogitationes; ſed etiam prauæ actiones ante vim compunctionis fugiunt.

Si quis tamen importunus aſſerit neminem poſſe ſaluari, niſi poſſit ore confiteri, non bene diſcernit confeſſionem, nec eius talem cognouit diuiſionem. Confeſſio alia cordis, alia oris, alia vtroque modo. Bonum eſt quidem & laudabile confiteri corde & ore, Iacobo Apoſtolo atteſtante qui ait: *Confitemini alterutrum peccata veſtra* &c. Qua auctoritate, ſicut quidam putant, non lædimur; quia hoc tantùm ſanè de valentibus & confiteri nolentibus intelligitur. Quia nimirùm ſi aliquis pro aliqua infirmitate, ſiue etiam ab ipſa natiuitate confiteri ore impotens efficiatur, cùm bonam & diſcretam confitendi ore habeat voluntatem, ſi corde confiteatur, diſcretorum iudicio prorſus alienus à ſalute non iudicatur. Inde Propheta: *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*, id eſt, humilium non de ſe, ſed gratiâ Dei confitentium. *Petitionem cordis eorum audiuit auris tua.* Et alibi: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum.* Inde Salomon: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Quod autem aliquis loqui corde vel confiteri poſſit, ipſe Deus apertè demonſtrauit, cùm Moyſi tacenti reſpondet: *Quid clamas?* Tacebat enim quantùm ad ſtrepitum vocis, ſed loquebatur deuotione cordis. Proinde ſi quis toto corde, tota anima, & tota mente Deum diligeret, & affectum tantæ dilectionis labiis explicare non valeret, quis præſumptuoſus eum à miſericordia Dei alienum iudicare præſumet? Cùm enim interioris hominis facies per bonam compunctionem ab omni vitio purgata renouatur, & renouata per verum gemitum mundiciam cordis conſequitur, licet vocem perdiderit: non tamen eſt ab illo diuiſus qui dicit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: videntes amabunt, amantes laudabunt. Sicut enim dicit Auguſtinus: Hoc erit officium diuinæ Maieſtati aſtantium, ſcilicet, videre, amare, laudare. Videbimus enim & amabimus, amabimus & laudabimus; hæc tamen laudatio non fiet ſonabili

Varia confeſſio.

Iacob. 5. 16.

Quãdo oris cõfeſſio nõ neceſſaria.

Pſal. 10. 17

Ibid.
Pſal. 50. 18.
Prou. 4. 23.

Exod. 14. 15.

Matt. 5. 8.

Digitized by Google

verbo, ſed potiùs ibi erit vox ipſa dilectio. Nam qui in ſe fremit bona Dei & mala quæ ipſe reddidit computando, & in corde gemit ſeipſum de peccatis increpando, meliùs ſine voce loquitur, quàm ſi voce ſine iſtis loqueretur : Æternam etenim vitam ſi ore petimus & corde non deſideramus, clamantes tacemus. Si verò deſideramus ex corde, etiamſi ore conticeſcimus, tacentes clamamus. Hinc Hieronymus: Quicquid vis & non potes, Deus factum computat. Sicut enim deliberatio cum molimine vitiorum damnatur, ſic quoque bona voluntas, cum deeſt copia agendi, remuneratur : quia non ſecundùm hoc quod quiſque non potuit, vel non licuit, ſed ſecundùm hoc quod fuit & propoſuit ex conſcientia accuſatur vel defenditur, cùm Deus iudicabit occulta hominum. Ideóque nemo deſperet, qui in fine corde pœnitet, quia non eſt locus diabolo niſi ex noſtro deſiderio. Vnde Ambroſius ſuper Lucam libro decimo : [Petrus doluit & fleuit, quia errauit vt homo. Inuenio quod fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego. Lacrymæ enim confitentur ; Lacrymæ culpam ſine voce loquuntur ; Lacrymæ veniam poſtulant, & meritum inuenitur. Petrus tacuit, & bonus Petri fletus delictum abluit.] Quod autem Auguſtinus ait : [Niſi quis longo tempore ante mortem confiteatur, non purgatorio igne purgabitur, ſed æterno ſupplicio damnabitur ;] benè intelligenti nihil obeſt. Longum etenim tempus accipit omne illud tempus quod eſt ſufficiens correptioni. Nam quicunque confitetur in tempore ſufficiente ad correptionem, confitetur longo tempore ante mortem. Vnde Celeſtinus Papa : Vera ad Deum confeſſio hominum in extremis poſitorum, potiùs mente quàm tempore æſtimanda eſt. In Decretis etiam Pontificum legitur : [Quòd ſiquis ore confiteri non poſſit, indicia exteriora faciat, & poſt ei ſacratiſſimum Corpus eſt committendum, nec de eo deſperandum.] Non igitur ſecundum Decreta Pontificum ſequitur, ſi non poteſt ore confiteri, non poteſt ſaluari. Quia ſicut auctoritas clamat : Deus non de factis, ſed de voluntate iudicat. Nihil enim bona voluntate fœlicius, quia nihil eſt Deo bona voluntate pretioſius. Inde Cyprianus : Cùm multa in lege iubeantur, quæ Apoſtolus impleri

Quàm efficax bona voluntas.

Digitized by Google

pleri non poſſe teſtatur, hîc bona voluntas quæritur quæ in noſtro arbitrio eſt, & quæ ſola poteſt ſufficere, & primum habere. Vnde rurſum auctoritas : Nunquam manus eſt vacua à munere quotiens arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Ampliùs, ſicut præfatus Auguſtinus in libro Confeſſionum teſtatur : [Nemo ſine bona voluntate benè operatur, etſi iudicio hominum benè operari videatur.] Sicut enim mala voluntas, quæ prima eſt mors animæ, dicitur damnare, nullum enim opus malum ſine mala voluntate, teſtante Auguſtino & dicente, peccatum eſt voluntarium, quòd vbi non eſt voluntas, non imputatur peccatum : ſic quoque bona voluntas ſaluat, & ſaluatos perenniter coronat. Ad cuius bonæ voluntatis commendationem Angelus ait paſtoribus : *Gloria in Excelſis Deo, & in terra pax hominibus*, non aliis, ſed *bonæ voluntatis*. Patet ergo quod quicunque bonam voluntatem habebit in terris, pacem indubitanter & gloriam conſequetur in cœlis. Amen. Si quis verò hanc Epiſtolam improbare voluerit, & hos præfatos Doctores Catholicos recipere noluerit, lapide percutiatur, percuſſus comminuatur, comminutus in puluere redigatur. *Luc.* 2. 14.

EIVSDEM

PHARITIO Habendonenſi Abbati.*

ſeu * Faricio.

XIV. PHARITIO Venerando Habendonenſis Eccleſiæ Prælato, Domino ſuo, & indubitanter amico Theobaldus Magiſter Oxenefordiæ, ſic ſuorum curam ſubditorum gerere, ne mors in olla dicatur eſſe. Quòd mihi morum veſtrorum honeſtatem, & filiorum non fictam caritatem prædicanti calumniam de ſaluatione puerorum non baptizatorum, ita ex abrupto, ita etiam digito diſcretionis remoto, ſicut plures aiunt, nudiustertius impoſuiſtis, vehementer admiror, cùm priùs vt homo diſcretus debuiſſetis eſſe cognitor quàm, vt ita dicam ſaluâ reuerentiâ veſtrâ, fictæ criminationis accuſator, & cùm omnis Eccleſia ſic de eorumdem perditione potiùs diffiniat, quòd aliquem catholicè ſentientem in ambiguum non relinquat. Omnes enim qui

Pueri ſacramento Baptiſmi non regenerati æternam beatitudinem aſſequi nequeunt.

Digitized by Google

catholicè ſentiunt, indubitanter aſſerunt, & aſſerendo non temerè definiunt, aliquem hoc tempore minimè membrum Chriſti poſſe fieri, niſi ex aqua viſibili, & ſpiritu inuiſibili regeneratum, vel quod alio tempore contingere potuit, aliquo alio genere baptiſmatis purificatum. Vnde à Beato Cypriano inter Martyres reputantur, qui ſæuiente perſecutione causâ Chriſti ſanguine ſuo baptizantur. Inde Auguſtinus de natura & origine animæ ad Victorem ſcribens, ait: Noli dicere, noli credere, noli docere ſacrificium Chriſtianorum pro eis qui non baptizati de corpore exierint offerendum, ſicut ſacrificium Iudæorum pro eis qui non circumciſi de corpore exierant, legimus nullatenus eſſe oblatum. Inde Hieronymus contra Iouinianum: Pueri ſi ſtatim poſt baptiſma moriuntur, per ſacramentum pœnitentiæ & fidei ſaluari dicuntur. Sacramentum enim pœnitentiæ notatur vbi dicitur, *Abrenuntio*. Sacramentum verò fidei innuitur vbi reſpondetur, *Credo*. Manifeſtum eſt igitur quod conſequens eſt, pueros hoc tempore non baptizatos proculdubiò damnari; baptizatos verò ſi ſtatim hominem exuant, indubitanter ſaluari. Si quis autem veritatis inimicus contra hanc ſententiam catholicam vellet delatrare, paratus eſſem eum ſacrilegum, & canem improbum, & ſcripto & viua voce confutare. De natiuitate verò ſententiarum hoc ſolùm vobis reſpondeo, quia multò magis gratulor imitari non errabunda priorum doctorum vigilantium veſtigia, quàm modernorum dormitantium ſequi falſas opiniones & ſomnia. Quòd enim veteres Doctores vix pertingere potuerunt vigilando, hoc quoque iuniores docere præſumunt dormitando. Vigilantes autem Doctores dicuntur, qui ſanè referunt quod à ſanctis Patribus rationabiliter audierunt. Doctores verò dormitantes appellantur, qui ex parte ſua ſemper aliquid nouitatis afferre laborant. Vnde Hilarius Pictauienſis ait in libro, quem de Trinitate compoſuit: Optimus quidem lector eſt qui refert. Sciatis igitur me non de afferentibus, ſed de referentibus eſſe: & quandiu vita comes fuerit, in hoc diligenter perſeuerare. Hanc autem excuſationem nolite iudicare inuectionem. Non enim iudicanda eſt inuectio, ſed rationabilis potiùs excuſatio, & facta bono zelo. Nolo enim

Digitized by Google

facere mihi inimicum, quem veſtra bona moralitas nuper peperit amicum; nec mihi nec vobis adſcribitur illud prouerbium; *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Valete. Veſtrum venerabilem Conuentum vice noſtra ſalutate, principaliter autem veſtrum bonum Priorem amicum noſtrū interiorem. Prou. 18. 1.

THEOBALDI Stampenſis.

Ad MARGARITAM Reginam.

XV. MARGARITÆ præcellenti Reginæ, præcellentis Regis filiæ, THEOBALDVS Stampenſis Doctor Cadumenſis, illud canticum fidelis animæ in facie cœleſtis ſponſi, vt ſolet, frequentare: Dirige greſſus meos ſecundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniuſtitia. Imprimis dilectioni veſtræ non ignotum eſſe deſidero, quatinus inæſtimabiliter interior homo noſter cum exteriori gratulatur, & gratulando immenſas Deo gratias agere non grauatur, quoniam fama veſtræ honeſtatis, munificentiæ, liberalitatis non ſolùm per loca vobis affinia propagatur, verùm etiam ferè per totum orbem dilatatur, & dilatando quaſi de gradu in gradum promoueri quotidie comprobatur. Eſt námque munificentia in animo tam liberaliſſimo lapis pretioſus in purificato auro: ſicut enim ſpecies illa aromatum ſpecioſa, quæ pretioſiùs aliis redolet, odore ſuo ad ſe attrahit præſentes; ſic quoque liberalitas veſtra bono ſuo odore latiùs redolente abſentes aſpergit, & aſpergendo vobis allicere non deſiſtit. Proinde ſi maris inconſtantia non prohiberet, & præſentatio mea vobis faſtidium non generaret, quod ſemper optaui, veſtro aſpectui me gauderem præſentare, quia animum meum veſtræ viſionis fame cruciatum nullatenus valeo refrænare. Veruntamen ſi maris inconſtantia conſtans fieret, & aura languida tarditate ſua curſum meum nõ præpediret, mallem tamen naufragus veſtræ viſionis ſatiari præſentia, quàm ab ea ieiunus omni carens aduerſitate redire ad propria. Quod autem de laude veſtra ſcribendo per pauca prælibaui, inertiæ vel ruſticitati minimè debet imputari; quia nimirum ſi omnia membra mea in linguas

Se ſuáque obſequia Reginæ offert.

verterentur, non tamen per illa cuncta quæ circa vos sunt laudanda sufficienter explicarentur. Omnimoda igitur supplicatione vos exoro, quatenus in hoc mihi permittatis gloriari, vt in numero Clericorum vestrorum deinceps valeam computari. Angelus magni consilij & fortitudinis vobiscum sit, vt recta sapiatis, & recta facere non desistatis.

Eiusdem *Ad PHILIPPVM amicum.*

Solatur amicum iniurijs lacessitum.

XVI. THEOBALDVS Magister Cadumensis PHILIPPO amico suo desiderabili, à laqueo venantium & à verbo aspero liberari. Condoles tibi opprobria, nec non & iniustas calumnias non rectè iudicantium, nec ea quæ Dei sunt satis prouida ratione considerantium sustinenti. Ad quorum insanos siue belluinos latratus confutandos ex Propheticis, & Euangelicis, & Apostolicis scriptis exempla subueniant, quibus doceantur in seipsos descendere, nec aliorum facta temerario dente corrodere : hoc solùm illis respondere sufficiat quod Tullius Cicero testatur : Facilè diuitias despicit qui habet : difficilè viles æstimat qui non habet. Inde Seneca : Venter, inquit, satur facilè disputat de ieiuniis. Quilibet enim facilè disputat de eo quod ignorat. Similiter & illi cùm sint omni fœditate sordidati, facilè de abstinentia possunt disputare, qui huc vsque voluptatibus carnis inhiantes studuerunt deseruire. Quod enim non sunt, videri volunt & appetunt; in quo longè à quodam sapiente dissentiunt, qui inter cætera ait : Malo quidem infamis videri in conspectu hominum, leuiùs peccans coram & apertè, quàm videri iustus hominibus grauiùs peccans coram Deo & occultè. Vnde Hieronymus super Isaiam libro sexto : Leuius malum est apertè peccare, quàm simulare & fingere sanctitatem. Sunt tamen quidam qui timore hominum peccare non audent, intùs tamen habent, & inuenta occasione non mali fiunt, sed quod erant produnt. Lupus & leo similiter cupiunt, sed non similiter nocent; æqua cupiditas, sed ille timet canem, iste non timet. Sunt item quidam qui multo vino nocte dieque madentes, & cuti curandæ curiosè studentes, mulierum vsum abhorrent & execrantur, quia vitam sibi placere pudi-

Digitized by Google

cam conteſtantur, ignorantes quòd vitapudica modus appellatur, necattendentes Hieronymum dicentem, ſcelus eſſe fœdum & execrabile quòd caper appetat hœdum, cùm non deſit ei capra. Sic enim Salomonis pagina teſtatur: illud malum bonum eſt & laudabile, quod expellit peſſimum & abominabile. Cui conſonat Auguſtinus dicens: Meliùs eſt cadere ſuper lectum, quàm ſuper gladium. Proinde mundus quod verum eſt non iudicat; ſed tantùm ad famam ſpectat, & bonam conſcientiam nullatenus conſiderat, & cùm culpam proprij magis accuſare deberet operis, quàm fragilitatem fratris infirmantis, ſuas vires examinare negligit, nec quod vitijs famulatur ad mentem reducit; & cum inferiùs iaceat, quaſi ex alto proſpectans cæteros ſpernit.

Multi námque cùm luxuriam deteſtantur & vituperant, auaritiam ſub abſtinentiæ nomine ne videatur, palliant; & quod Salomon ſceleſtius auaro nihil eſſe dicat, non conſiderant; Sícque in auaritiæ voluptate deteriùs quàm in luxuria ſe commaculant. Quid de ſuperbia, quid de inuidia cæteríſque vitiis? Quis tam ſanctus qui in aliquo horum amicitiâ non ſit coniunctus? Quorum quidem amplexibus ſi non luxurioſus ligatur, auarus, inuidus, contumelioſus & alij quàm plurimi retinentur. *Initium enim omnis peccati ſuperbia*, & quaſi generalis peſtifer morbus corpus corrumpit, quæ etiam ſi eſſe virtus oſtenditur, non per hoc Deo, ſed ſoli vanæ gloriæ placere quærit. Hæc & alia multa vitia in ſe ſpeciem rectitudinis oſtendunt, ſed ex prauitatis infirmitate prodeunt, & tanta arte ſe palliant, vt ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingant, & vnde quiſque exſpectat præmia, inde dignus eſt inuenire ſupplicia: quia cùm culpam velut virtutem aſpicit, tantò tardiùs deſerit, quantò quod perpetrat non erubeſcit. Deinde multotiens Deus ſuos à corporalibus vitiis non cuſtodit, ſicut Dauid cuſtodire non voluit. Multi enim per caſtitatis, vel alicuius virtutis domum in ſuperbiam cadunt, & quod ceciderint non agnoſcunt. Deus autem permittit eos in luxuriam cadere apertè, quod quandóque minus eſt quàm tacita cogitatione ex deliberatione peccare. Quia verò ſuperbia minus turpis creditur, minus vitatur: Luxuriam cum magis erubeſcunt, quia turpem omnes no-

Eccli.10.15.

Pauci perpendunt quàtum ſit peccatum ſuperbia.

Digitized by Google

uerunt, etiam citiùs hoc malum corrigunt, ſéque inter alios humiles & viliores recognoſcunt, & elationis culpam qua priùs intumeſcebant, virtute humilitatis ſternunt; & qui de virtute ſe extulerant, per vitium ad humilitatem redeunt. Elati quippe caſtitate non corrigerentur, niſi tentarentur; nec ſancti eſſent ſi de caſtitatis dono ſuperbirent: & ſic miro modo dum tentantur, humiliantur; & eius eſſe deſinunt, cuius ſuperbiendo ſerui fuerunt. Non laudo luxuriam; ſed in vitijs ei præfero ſuperbiam. Eſt enim in luxuria quod ferre iubemur; in ſuperbia verò nihil eſt quo excuſemur. Apoſtolus enim vnicuique ſuam propter fornicationem concedit habere. Sed & Beatus Hieronymus Angelicæ eſſe naturæ dicit non humanæ in carne præter carnem viuere. *Deus autem ſuperbis reſiſtit, humilibus verò dat gratiam.* Conſiderare ergo debemus, quia ſi non ſumus aliis æquales in luxuria, fortaſſis ſumus in ſuperbia, vt tantò humili corde eos reſpiciamus, quantò noſmetipſos inter eos inuenimus.

Iacob. 4. 6.

THEOBALDI Stamp.

Ad ROSCELINVM Compendienſem Clericum.

XVII ROscelino Compendioſo Magiſtro Theobaldvs Stampenſis Magiſter Oxnefordiæ: Non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem. Quoniam Sacerdotum filios, & alios ex lapſu carnis generatos, non ſatis prouida ratione calumniaris, & calumniando illos exleges eſſe nimis impudenter aſtruere conaris, quæ ſuper iis à patribus ſanctis rationabiliter audiuimus, non quaſi præſumendo, ſed diligentiæ ſubſeruiendo, ad memoriam reuocare curauimus. In Decretis námque Calixti Papæ legendo inuenimus, & inueniendo legimus: Si quis prædicat Sacerdotem poſt lapſum carnis per pœnitentiam ad Sacerdotalem dignitatem redire non poſſe, fallitur, nec catholicè ſentit: Si verò Sacerdotibus poſt lapſum carnis licet ad ſacros ordines reuerti, multò magis innocentes illos qui ex lapſu carnis orti ſunt ſacris licet ordinibus inſigniri. Errat enim, errat, & os impudens in blaſphemiam acuit & armauit, qui eos appellat &

Grauiter arguit Roſcelinũ qui filios ſacerdotum, ad ſacros ordines non eſſe admittẽdos aſſerebat.

Roſcelini errores notat S. Anſel. lib. 2. epiſt. 41. Et ſuo Carnot. epiſt. 7.

Digitized by Google

iudicat exleges, quos à ſeruitute legis in libertatem gloriæ filiorum Dei gratia liberauit; quia non eſt infœliciter natus, qui ad vitam æternam fœliciter eſt renatus. Inde Paulus ait de renatis: *Vnum corpus ſumus in Chriſto.* Et alibi: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Inde etiam Petrus. *In veritate comperi, quòd non eſt perſonarum accepter Deus; ſed in omni gente qui timet Deum, & facit iuſtitiam eius, acceptus eſt illi.* Et alibi de renatis: *Genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus adquiſitionis.* Inde Hieronymus: Cùm baptizatus quilibet de fonte aſcenderit, ſacro criſmate vngitur in vertice, vt cognoſcat ſe promotum eſſe in regium genus & ſacerdotale, id eſt, à Chriſti conſortio Chriſtianus vocetur, & æterni regni cohæres fieri comprobetur. Tegitur etiam poſt ſacram Vnctionem caput eius ſacro velamine, vt intelligat ſe exornari regni diademate, & ſacerdotali, ſicut iam dictum eſt, dignitate. Et alibi. *Quicunque baptizati eſtis Chriſtum induiſtis.* Sic ergo cuiuſcumque generis ſit ille nouus homo in vtero generatur Eccleſiæ, generatus vnitati corporis Chriſti indubitanter aggregatur. Ioannes quoque in Apocalypſi: *Qui lauit nos in ſanguine ſuo, & fecit nos Deo regnum & Sacerdotes.* Qua igitur fronte quidam homunciones non palam, ſed è latibulis loquentes, & totam Campaniam libidinoſa peregrinatione polluentes, indignos ſacerdotio iudicant, quos Petrus & Ioannes regali ſacerdotio dignos eſſe confirmant? Chriſtus quoque in Euangelio docens orare Diſcipulos, primùm, inquit, *Pater noſter*: Vnde conſtat omnes renatos eſſe fratres. Et alibi: *Nolite vobis vocare patrem ſuper terram, vnus eſt enim pater veſter qui in cœlis eſt.* Si ergo ex eodem patre, & ex eodem ſanctæ matris Eccleſiæ vtero ſumus omnes, nihil eſt quo alter alteri calumniam imponat, nihil ergo alter aduerſus alterum ſuperbire debeat. Et alibi Dominus inquit: *Viuo equidem, non maneat hoc prouerbium amplius in Iſrael, quia filius non portabit iniquitatem patris. Vt enim anima patris, ita & anima filij mea eſt.* Ideoque Deus naſci voluit de progenie peccatricis, vt diſcerent homines peccata parentum non obeſſe ſibi. Vnde in genealogia Chriſti nulla ſanctarum nominatur, ſed Thamar & aliæ tres quas diuina pagina reprehendit, apponuntur; vt

1. Cor. 10. 17.
Rom. 8. 17.
Act. 10. 34.
1. Pet. 2. 9.
Gal. 3. 27.
Apoc. 1. 5.
Omnes Chriſtiani fratres ſũt.
Matt. 23. 9.
Ezec. 18. 4. & 19.

qui pro peccatoribus veniebat, de peccatricibus naſci dignãretur. Inde Agnus ex Paſcha immolandus, iuſſus eſt aſſumi ex capreis & ouibus; quia ex iuſtis & peccatoribus verus Agnus erat generandus. Plus itaque prodeſt bene vixiſſe, quàm de iuſtis parentibus originem duxiſſe. Deus enim vitam hominis, non natiuitatem attendit.

Obiectiones confutantur.

Quod autem ipſi obiiciunt, quia exleges legitimè Eccleſiæ præferendi non ſunt; bona eſt quidem ſententia & certa, ſed indecenter aſſignata. Aſſignant etenim illam renatis illis quos mater Eccleſia in Curia Chriſti recepit, receptos lacte proprio nutriuit, nutritos pane ſuo ſolidauit; qui planè aduerſantur Hieronymo dicenti: Abſit Domine, vt in tabernaculo tuo ſint diuites præ pauperibus, & nobiles præ ignobilibus. Inde Baſilius contra Iudæum quemdam de lege ſibi data gloriantem: Vera caritas in Chriſti corpore non præfert indigenam alienigenæ, non nobilem ignobili, non pauperem diuiti; ſed potiùs omnes per adoptionem ſpiritus facit filios, per eumdem ſpiritum clamantes: *Pater noſter, dimitte nobis debita noſtra.* Sic quoque in Chriſti corpore ille ſolus habetur ſublimior, qui fuerit in Dei amore potentior. Vnde quidam ſapiens contra quemdam de nobilitate ſua præſumentem loquitur dicens: Si longè repetas longéque reuoluas, nomen ab infami ducis aſilo.

Non diues pauperi, nec nobilis ignobili præferendus.

Rurſus quid illi opponunt: Quod quando homo baptizatur, non conditio mutatur, ſed peccata abluuntur, verum eſt; ſed nullus ambigit hoc eſſe dictum de mundanis conditionibus; quòd ſi quis ſeruus baptizatur, ſeruitus illa non mutatur. Vnde Apoſtolus: *Si ſeruus es, magis vtere*: quia ſeruitus illa non eſt contraria coronæ. Vnde alibi: *Seruus ſis, generoſus eris, ſi mens bona fiat.*

1. Cor. 7. 21.

Sis liber, turpis mens tua, ſeruus eris. Ampliùs: Quod prohibetur ne filij Sacerdotum ad Ordines promoueantur, ſic eſt intelligendum ſecundum Auguſtinum, eos, qui hanc prohibitionem audiunt, ab huiuſcemodi concupiſcentiis abſtinere debere. Si enim filius Sacerdotis honeſtè viuit, ordinandus eſt. Si verò militis filius inhoneſtè viuit, repudiandus eſt: quia magis placet Deo vitæ perfectio, & contra peccatum afflictio, quàm ſuperba de legitimis parentibus gloriatio.

gloriatio. Filij námque Sacerdotum non ideò quod ſint exleges refutantur, ſicut imperiti homines arbitrantur, ſed vt ſacerdotes à concupiſcentiis carnis refrænentur. Quia nimirum quemlibet ſacro fonte renatum, vel plenariè diuina mundat gratia, vel ſacri mundatio lauachri non eſt ſufficiens nec plenaria; quod contradicit fides Catholica. Non enim ſunt exleges iudicandi, quorum Deus ipſe eſt pater, & quos peperit Chriſti gratia omnium regeneratorum pijſſima mater; nec debemus illis delictum patris ſiue thorum matris improperare, ſed potiùs morum perfectionem diligenter attendere: Quoniam patris ſiue matris perpetratum crimen non poteſt filiis paradiſi claudere limen. Vnde quidam ſapiens: Quid meruere pati quocunque thoro generati? Quod autem filij Sacerdotum ab ordinibus reprobentur, ex rigore iuſtitiæ factum eſt: ſed nullo modo iuſtum eſt, teſtante Auguſtino, quia non iuſtè pœnam portant, qui culpam non commiſerunt. Sic itaque illi prolatores nouitatis noua præcepta dantes, & quodammodò virtutem baptiſmatis euacuantes, qui rationibus ſupra dictis oblatrant, dum de huiuſcemodi ſcrupulosè & contentiosè diſputant, quaſi clauſo oſtio ad parietem pulſant. Vt autem maior honor & gloria filiis Sacerdotum accedat, Ioannes Baptiſta quo nullus maior inter natos mulierum ſurrexit, filius fuit Zachariæ Sacerdotis; Maria etiam mater Domini & de Sacerdotali progenie deſcendit, cùm dicatur cognata Eliſabeth quæ de Aaron originem duxit. Si autem vellem enumerare omnes de lapſu carnis procedentes qui principatum in ſancta Eccleſia tenuerunt, priùs deficeret vita quàm exempla. Inde etiam Iacob omnes, quos de liberis & ancillis genuit, filios æquali honore hæredes conſtituit, nec apud illum præfertur, qui ſecundum carnem nobilior videbatur. Quicunque fidem Domini promeretur, nullis maculis carnalis natiuitatis obfuſcatur. Hoc autem Iacob iccircò feciſſe legitur, vt oſtenderet quòd non eſt diſcretio, Iudæus an Græcus, Barbarus an Scytha, ſeruus an liber ſit: quia per omnia & in omnibus Chriſtus eſt. Propterea enim ſaluator noſter & Dominus humanam figuram induit, & pro libero & ſeruo ſeruiuit, vt omnibus in ſe credentibus pari honore & gloria cœleſtia præmia largiretur. Salomon etiam qui

fœliciter, ſapienter, ſubtiliter regnauit, docuit, prophetauit, etſi de lapſu carnis ortus ſit, Deus ipſi tamen templum ſuum ædificare conceſſit, quod Dauid patri ſuo legitimo Ieſſe filio ne conſtrueret, prohibuit; in quo nobis Deus patenter innuit, quòd magis approbat vitæ ſanctitatem, morum honeſtatem, quàm legitimæ natiuitatis generoſitatem. Non igitur ſibi applaudat diues & nobilis, nec diffidat pauper & humilis, quia *excelſus Dominus humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit*: humiles reſpicit, vt attollat, altos, id eſt ſuperbos, à longe cognoſcit, vt deijciat. Sicut enim Apoſtolus ait: *Nemo coronabitur niſi qui legitimè certauerit;* cùm dicit nemo, nullus excluditur, in quo ſuperba huius mundi ſtultitia confutatur, quæ eum exlegem appellat, & iudicat in terris, quem Deus ad dexteram ſuam collocat & coronat in cœlis.

Pſal. 137. 6.

2. *Tim.* 2. 5.

CALLISTI Papæ II.

Ann. Chr. circa 1121.

LVDOVICO VI. FRANCORVM REGI.

XVIII. CALISTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Cariſſimo in Chriſto filio LVDOVICO Illuſtri & glorioſo Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Conceſſam tibi à Domino gratiam & regiam poteſtatem te recognoſcere ſcimus & gaudemus. Siquidem Deum diligis, Eccleſias veneraris, & perſonis Eccleſiaſticis debitam exhibes reuerentiam & honorem. Ea propter, fili cariſſime, benedictione Apoſtolica te duximus viſitandum, hortantes ac monentes vt in hoc Dei glorioſo propoſito tanquàm religioſus & Catholicus Rex per eius gratiam perſeueres: quatenus Regum Rex qui terrenum tibi regnum contulit, æterni etiam coronam & gloriam largiatur. Sanè Cariſſimum filium noſtrum P. Sedis noſtræ Presbyterum Cardinalem nobilitati tuæ attentiùs commendamus; Nos enim à latere noſtro eum ſecundum antiquam Apoſtolicæ ſedis conſuetudinem ad terram poteſtatis tuæ pro corrigendo & confirmando quæ corrigenda & confirmanda fuerint delegamus. Rogamus igitur excellentiam tuam & in Domino commonemus vt eum tanquam Vicarium noſtrum reuerenter ſuſcipias,

Commendat Legatum à latere quem mittit.

Digitized by Google

honeſtè habeas, & ita ei facultatis tuæ conſilium & auxilium præbeas : quatinus ſibi iniunctum poſſit miniſterium adimplere. Vxorem tuam Dominam Reginam & filium PHILIPPVM, quos tanquam viſcera noſtra diligimus, per te ſalutamus & benedicimus, omnipotentis Dei miſericordiam obſecrantes vt perſonam tuam & ipſos dexteræ ſuæ protectione per tempora longa ſeruet incolumes. STEPHANVM quoque Cancellarium & omnes fideles tuos ſalutamus & benedicimus. Datum Beneuenti pridie Kalendas Octobris.

LVDOVICI VI. FRANCORVM REGIS

Ann. Chr. 1121.

CALLISTO Papæ II.

XIX. SCripſit nobis Sublimitas veſtra de captione illius Apoſtatæ Burdini, & de incolumitate ſtatus veſtri : Vnde, Pater dulciſſime, plurimùm & præ cæteris vos amamus, honorémque veſtrum ſtudium noſtrum in omnibus eſſe intelligimus. De ſententia ſanè in Metropolitanum Senonenſem pro noſtro honore relaxata animum noſtrum ex parte mitigaſtis; ſed quoniam ad tempus eſt relaxata, ſuſpenſum vehementer ac dubium reddidiſtis. Videtur enim aliquam adhuc ſpem habere Lugdunenſis Archiepiſcopus ſuper illa quam quærit ſubiectione; ſed vt verum fatear ſuſtinerem potiùs regni noſtri totius incendium, capitis etiam noſtri periculum, quàm bonis ſubiectionis & abiectionis opprobrium. Videtur enim ad noſtrum reſpicere contemptum contra nos hoc modo fieri quod nunquam extiterit factum. Nouit autem experientia veſtra Regnum Francorum in obſequijs promptum, in neceſſitatibus amicum vobis extitiſſe, nec à fidelitate Romanæ Eccleſiæ precibus aut promiſſionibus Imperatoris nos auelli vnquam potuiſſe; & quanto animi feruore, quanta mentis humilitate vobis obedierimus, vt ſi taceat vox veſtra, clament opera noſtra, monſtrent obſequia mea : vt enim cætera dimittam, illud inter alia meminerit Paternitas veſtra, quòd quamuis graui, vt ſcitis, laborarem infirmitate, moleſtia corporis vehementer vrgente, Remenſi tamen Concilio, cum labore quidem noſtro, ſed cum hono-

Scribit ſe nunquam toleraturum ſubiectionem quã ab Archiepiſcopo Senonẽſi exigebat Primas Lugdunenſis.

re vestro, interesse studuimus, & plus vestræ voluntati, quàm nostræ facultati, plus honori vestro, quàm dominio nostro consuluimus. Hoc vobis, Dulcissime Pater, memorando scripsimus, non quia non placeat nobis hoc feciſſe, sed quia volumus hoc à memoria vestra non receſſiſſe. Siquid igitur valet, siquid potest apud vos amor noster, & obsequium nostrum, rogamus & petimus vt Senonensis Ecclesia, quæ ab ista de qua nunc pulsatur subiectione huc vsque aliena extitit & libera, per vos non fiat ancilla; sed antiqua eius libertas authoritate Apostolica roboretur, & Priuilegij firmitate muniatur; in quo tamen nihil à vobis contra iustitiam exigitur. Si enim opponitur quòd veterum institutio Lugdunensi Ecclesiæ Primatum contulerit, respondetur ex oppositio quòd antiquæ libertatis possessio Senonensem Ecclesiam ab eius subiectione defendit. Quod enim antiqua possessione acquiritur, nullo, vt fertur, iure adimitur, etiamsi de iure Romanæ Ecclesiæ fuisse cognoscitur. Hac igitur ratione Senonensis Ecclesiæ libertas remanere debet inconcussa & intacta, nec pulsari aut violari debet pro subiectione nouiter & imprudenter facta. Facta est enim, vt dicitur, latenter & quasi furtiuè subiectio ista, nesciente scilicet Clero Senonensi, inconsultis etiam Episcopis illius diœcesis, ignorante etiam Rege: in quibus omnibus dignitas pendet Ecclesiæ; & subiectio taliter facta respicere potiùs videtur ad ignominiam malè accipientis, quàm ad commodum Ecclesiæ nescientis. Res enim communis communi tractanda est consilio, non latenti & priuato terminanda colloquio. Cùm igitur dignitas sit Ecclesiæ non personæ, si Senonensis Archiepiscopus iste & quidem solus de non sua fecit quod non oportuit, si promisit quod non debuit; Ecclesia tamen Senonensis quod suum est non amisit, nec priuatam libertatem quam ex antiquitate habuit; nec cogenda est ad subiectionem quam nunquam exhibuit. His ita se habentibus videat, Dulcissime Pater, discretio vestra ne ciuitas Lugdunensis, quæ de alieno est regno, de nostro floreat detrimento, nec subijciatur amicus amico; quiasi decipitur pro amico amicus, iustè fiet de amico inimicus. Rex ergo Franciæ, qui proprius est Romanæ Ecclesiæ filius, si in facili causa, si in leui petitione contemnitur;

Digitized by Google

nulla ſpes in maiori relinquitur, nec vlteriùs in alijs patietur repulſam, ſi in iſtis ſuſtinet repulſionis offenſam. Melius eſt enim Regiæ honeſtati à precibus deſiſtere, quàm de repulſa næuum ruboris contrahere. Quod minus in literis continetur præſentium lator Algrinus viua voce ſupplebit, cuius verba tanquam ex ore noſtro ſuſcipite & cuſtodite.

CALLISTI Papæ II.

Ann. Chr. 1124.

XX. CALIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus GAVFRIDO Carnotenſi, & IOANNI Aurelianenſi, & STEPHANO Pariſienſi Epiſcopis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Sicut omne quod irreprehenſibile eſt Catholica defendit Eccleſia, ita ea quæ contra ſcita Canonum inita ſunt, ſecundum æquitatis & iuſtitiæ deſtruere nititur rationem. Cauſam ſiquidem matrimonij inter GVILLELMVM Filium Comitis ROBERTI & filiam Comitis Andegauenſis contracti, cui parentelæ titulus opponitur, dilecto filio noſtro I... Presbytero Cardinali commiſimus finiendam. Qui poſt ſuſceptam idoneorum teſtium de parentela probationem vbicunque GVILLELMVS filius ROBERTI Comitis fuerit, prohibuit officia celebrari, niſi vtique ad datum à ſe terminum coniugium idem diſſoluerit. Vnde fraternitati veſtræ præcipimus, vt eandem ſententiam à nobis firmatam per veſtras faciatis parochias obſeruari. Datum Laterani VII. Kalendas Septembris.

Mãdat ſeruari interdictũ ob nuptias Guillelmi Normani cũ filia Comitis Andegauenſis latum.

HONORII Papæ II.

Canonicis Eccleſiæ Turonenſis.

Ann. Chr. 1125.

XXI. HONORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs Clericis Turonenſibus matris Eccleſiæ S. Mauricij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut boni & humiles filij ſunt paternæ dilectionis nexibus arctiùs aſtringendi; ita ingrati & inobedientes ſunt rigore iuſtitiæ coërcendi. Siquidem compertum habuimus quòd FVLCO Andegauenſis Comes diuortium illiciti matrimonij

Confirmat ſententiã excõmunicationis prolatã in Fulconem Comitem Andegauenſem.

Digitized by Google

filiæ suæ & GVILLELMI filij ROBERTI Comitis à dilecto filio nostro I. Cardinali Presbytero Apostolicæ sedis Legato, & ab alijs fratribus nostris Coëpiscopis, & sapientibus viris acceptâ idoneorum probatione testium iudicatum seruare contempsit. Præterea, quòd grauius est vti accepimus, ad B Petri & sanctæ atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ iniuriam prædicti Legati Nuntios ad eum directos capiens, & in arcta custodia per duas septimanas retinens, barbas eorum & capillos flammis exurere, & literas in conspectu hominum sub dio cremare præsumpsit. Vnde Legatus idem in propriam Comitis terram interdictionis, & in personam eius excommunicationis sententiam promulgauit. Nos ergo habito Fratrum consilio eandem vsque ad condignam satisfactionem sententiam ratam habemus. Interdictum autem præcipimus obseruari. Datum Laterani pridie Idus Aprilis.

HONORII Papæ II.

Ann. Chr. circ. 1127.

LVDOVICO VI. Francorum Regi.

XXII. HONORIVS Episcopus seruus seruorum Dei; Carissimo in Christo filio LVDOVICO Illustri & glorioso Francorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem. Internæ caritatis dilectio, quâ personam tuam paternæ affectionis visceribus amplexamur, aures nostras ad admittendas tuas petitiones inclinat. Amor enim & piæ reuerentia deuotionis, quam B. Petro & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ defers, vt ad tuam & regni vtilitatem intendamus, hortatur. Tuum itaque filium HENRICVM, quem diuinis mancipare vouisti seruitijs, & in B. Petri & in nostram protectionem suscipimus. Ipsum igitur tanquam specialem sedis Apostolicæ filium; & bona quæ vel regia tua liberalitate, vel alijs modis diuinâ præstante gratiâ potuit adipisci, authoritatis nostræ robore communimus. Nullique hominum fas sit personam suam & bona eius temerè perturbare; sed omnia quieta ei & libera sub B. Petri & Romanæ Ecclesiæ patrocinio conseruentur. Si quis autem huius nostræ confirmationis temerator extiterit, nisi congrua satisfactione cor-

Henricum Regis filiũ Clericũ in suam protectionem suscipit.

rexerit, animaduersione sedis Apostolicæ feriatur. Datum Laterani pridie Kalendas Aprilis.

LVDOVICI VI. Francorum Regis.

Ann. Chr. circa 1130.

Legato Sedis Apostolicæ.

XXIII. MEmoriæ discretionis vestræ infixum non ambigimus, quàm diligenti reuerentia nos & Regnum nostrum vos honorare & vobis obedire huc vsque studuimus & studemus. Vnde & propensiori cura de statu dignitatis nostræ cogitare & ipsam in integritate sua præ cæteris conseruare debetis. Audiuimus siquidem in voluntate vestra non esse HENRICVM Abbatem Pontisarensis Ecclesiæ præbendam, dequa in præsentia vestra actum est, alicui præbere: & Clerico qui eam canonicè non acceperat, ipsam penitus abiudicasse. Salua igitur reuerentia vestra omnimodis precamur, vt, cùm hoc ad regni nostri detrimentum spectare videatur, sententia vestra in melius mutetur. Rogamus etiam & petimus vt Henrico literas vestras super hoc dirigatis, in quibus ipsi præcipiatis & concedatis vt Præbendam illam vtili & honestæ personæ cum sua consideratione præbeat, ita vt Clericus, cui iustè abiudicata est, illam sine omni spe recuperationis amittat. Sciatis autem HENRICVM quod inde fecit, nostro consilio fecisse, & nos ipsum decretum Domini Papæ super hoc datum ignorasse: Vnde si illi aliquid damni ideò inferatur, nobis, cùm hoc nostro fecerit consilio, imputabitur. Valete.

Petit, vt liceat filio suo Hērico Præbēdam Ecclesiæ Pōtisarēsi conferre.

CLERI ROTOMAGENSIS

Ad HONORIVM II. Summum Pontificem.

Ann. Chr. 1130.

XXIV. DOmino Papæ Vniuersali HONORIO Rotomagensis Ecclesia omnem in Christo obedientiam. Elegimus electione communi filium nostrum Hugonem Abbatem Radingensem nobis in Pontificem: super hoc quæsiuimus assensum Domini nostri Henrici Regis Anglo-

De electione Hugonis in Archep. Roto.

Digitized by Google

rum, & obtinuimus ; ab Epiſcopo quidem Salesberienſi, ſub cuius manu Abbatis officio fungebatur, nobis eum reddi liberum & abſolutum quæſiuimus, & cum libertate ſuſcepimus : Sed quia ipſo reuelante percepimus, quòd ſine authoritatis veſtræ aſſenſu eum habere non poteramus, cùm & hoc in literis veſtris prædicto Regi Anglorum directis ita ſcriptum legimus : *Ipſum itaque ſub primo iure abſque dominio noſtro tanquam ſpecialem B. Petri & S. R. Eccleſiæ Clericum retinemus* : Ea propter donari eum nobis à ſublimitate veſtra requirimus : quem tantò cariorem habebimus, quantò à veſtræ Celſitudinis Sede nobis donatum lætabimur. Quem humili ſupplicatione ita donari à veſtra gratia quærimus, vt ſub nullius vnquam iure vel poteſtate, niſi ſub veſtra tantummodò pia protectione eum perſiſtere gaudeamus, Cariſſime Pater & Domine.

INNOCENTII Papæ II.

Ann. Chr. 1132.

LVDOVICO VI. Francorum Regi.

XXV. INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Cariſſimo in Chriſto filio LVDOVICO Illuſtri & glorioſo Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sani, Deo gratias, & incolumes Kalendis Februarij Cluniacum peruenimus, vbi cum Fratribus noſtris, Epiſcopis, Abbatibus, & alijs ſapientibus, & religioſis viris Purificationis B. MARIÆ feſtiuitatem ſolemniter & honorificè celebrantes à Fratribus noſtris GVILLELMO Patriarcha Ieroſolymitano, & A. Bethleemiticæ ciuitatis Epiſcopo literas obedientiæ & ſubiectionis ſuſcepimus. Quia igitur cauſam Eccleſiæ cum omni conſtantia & fortitudine certis experimentis te nobiſcum portare, & noſtris proſperitatibus congaudere iamdudum agnouimus, earundem literarum tranſcripta ſerenitati tuæ duximus tranſmittenda : vt quos nimirum veræ caritatis ſynceritas ſociabili fœdere copulat, de proſperis quoque ſucceſſionibus nihilominus gratulentur. Nouerit ſanè ſtrenuitatis tuæ nobilitas quoniam A. de Monforte nec abſoluimus nec abſolui præcipimus. Dilectæ filiæ noſtræ A. Reginæ vxori tuæ pro xenijs nobis tranſmiſſis multimodas

Scribit ſe ſoſpitem Cluniacum peruenisſe.

Digitized by Google

multimodas gratias referimus, & tam ipſam quàm amantiſſimum filium noſtrum LVDOVICVM Regem, & alios filios tuos per te in Domino ſalutamus. Datum Cluniaci IV. Nonas Februarij.

ARCHENBALDI Eccleſiæ Aurelianenſis Subdecani

Ann. Chr. circa 1132.

HENRICO Archiepiſcopo Senonenſi.

XXVI. HENRICO Dei gratia venerabili Senonenſi Archiepiſcopo, Domino & Patri ſuo Reuerendiſſimo, Archenbaldus S. Crucis Subdecanus, ſalutem & deuotum dilectionis obſequium. Quot & quantos labores pro Ioannis Aurelianenſis Archidiaconi intruſione, & Eccleſiæ noſtræ libertate pertulerimus, prudentiæ veſtræ non ignotum eſſe credimus. Damna verò & dedecus quæ eiuſdem Eccleſiæ Clerici & eorum familiæ nobis intulerunt, & quàm malè aduerſum nos ſe habuerunt, veſtræ dilectioni grauiter conquerendo, vobis curauimus manifeſtare. Idem autem Ioannes Archidiaconus, & Bartholomeus Capicerius, & Zacharias, & Paganus Archidiaconus, & Iacobus ſancti Aniani Subdecanus, & eorum familiæ tam Clerici quàm laïci, violenta fraude & conſilio Algrini vineas noſtras & Clericorum qui nobiſcum ſunt & virgulta extirpauerunt, domos & graneas & torcularia combuſſerunt, prædas noſtras rapuerunt, ſeruientes noſtros de ciuitate expulerunt, & hoſpitibus noſtris, quos in ſua protectione & cuſtodia Domnus Papa Innocentius & anteceſſores eius ſuſceperunt, nos expoliauerunt, & omnia bona noſtra tàm in vino quàm in annona & multis alijs, dum in reditu à Curia Domni Papæ eſſemus, publicauerunt. Super his autem omnibus per legatos noſtros ſæpe iuſtitiam requiſiuimus, nec vllam habere potuimus. Vnde paternitatem veſtram obnixè deprecamur, quatinus de malefactoribus noſtris plenariam nobis inſtitiam faciatis; & Eccleſiam quæ ſanguinis effuſione & ſacrilegijs multis polluta eſt, ceſſare iubeatis: & hanc iniuriam quæ in Domnum Papam redundat vleiſci non differatis. Sciatis

Petit vt iudicium in Ioan. Archidiaconũ proferat, ob damna ſibi ab ipſo illata, peſſimé-que agentẽ coerceat. Eiuſdẽque quoque factione necatus eſt paulò poſt idem Archenbaldus 1 vide B. Bernard. ep 161. & Pet. Vener. l. 1. ep. 17.

enim quòd ei manifeſtabimus. Similiter de Philippo Præcentore, & Radulfo Archidiacono, & Humberto conquerimur. Valete.

GAVFREDI Epiſcopi Carnotenſis

Ann. Chr. 1132.

HENRICO Archiepiſcopo Senonenſi.

Orat pro Archenbaldo Aurelianenſi Subdecano, iniurijs & damnis affecto.

XXVII. DOmino & Patri ſuo HENRICO Dei gratiâ Senonenſi Archiepiſcopo GAVFREDVS eâdem gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſalutem & deuotum obſequium. Quot incommoda rerum ſuarum Aurelianenſis Eccleſiæ Subdecanus nuper pertulerit, ipſo indicante nobis plenè cognouimus; cuius anxietati quia aliud non potuimus conferre, ex fraternæ caritatis affectu non tamen debuimus non condolere. Veſtra quidem intereſt qui Dominus & Magiſter ſuper Eccleſiam Aurelianenſem eſtis inſtitutus, vt Clericos diſſipatores & deſtructores rerum præfati Subdecani conueniatis, & tantæ turbationi ſedulam vigilantiam adhibeatis, ne differendo vel non faciendo quod veſtrum eſt, honorem veſtrum alteri detis.

INNOCENTII Papæ II.

Ann. Chr. 1132.

GAVFREDO Carnotenſi, & STEPHANO Pariſienſi Epiſcopis.

Vt eidem Subdecano ac ſocijs honores & bona ablata reſtitui ſatagant.

XXVIII. INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus GAVFRIDO Carnotenſi Apoſtolicæ ſedis Legato, & STEPHANO Pariſienſi Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Prout nouit veſtra fraternitas, damna & iniurias dilectis filijs noſtris Archembaldo Aurelianenſi Subdecano, Magiſtro G. & eorum ſocijs irrogatas, & honores ſibi ablatos reſtituendos in veſtro arbitrio & æſtimatione poſuimus. Quod quia minimè impletum eſſe accepimus, dilectioni veſtræ mandamus atque præcipimus, vt quemadmodum benè inchoaſtis in nomine Domini procedatis, & eandem cauſam effectui mancipetis. Datum Placentiæ Nonis Nouembris.

Digitized by Google

INNOCENTIO Papæ II.

STEPHANO Episcopo Parisiensi.

Ann. Chr circa 1132

XXIX. INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri nostro STEPHANO Parisiensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Olim fraternitati tuæ scripsisse meminimus, quatinus Ecclesias sanctæ Genouefæ ab interdicto, quo eas alligasti, saluâ iustitiâ Ecclesiæ Parisiensis absolueres. Quod profectò nondum esse impletum, tantò amplius ammiramur, quantò præfata Ecclesia sub B. Petri tutela & protectione consistit. Cuius rei gratiâ dilectioni tuæ periterata scripta mandamus, vt Ecclesias ipsas ab eodem interdicto absoluas: postmodum verò, si quam te iustitiam habere confidis, congruo loco & tempore quod iustum fuerit consequêris. Rogamus præterea caritatem tuam quatinus si filius noster La. quem tibi procurandum commisimus, à te discessit, filio nostro Io. cognomine Piccuto in victualibus & alijs necessaria largiaris, eúmque pro reuerentia B. Petri attentiùs habeas commendatum.

Vult vt interdictum Ecclesiæ S. Genouefæ inflictum submoueat.

STEPHANI Episcopi Parisiensis

HENRICO Archiepiscopo Senonensi.

Ann. Chr. circa 1132.

XXX. SIgnificauit nobis in literis vestris sublimitas vestra quod placuit: quibus obtemperare minimè contemnimus, sed terminos quos posuerunt Patres nostri antiquos transgredi formidamus. Nunquam enim reuerenda Patrum fanxit authoritas, nusquam hoc seruare consueuit antiquitas, vt aliarum Ecclesiarum causas alicui Metropolitano liceat terminare, vel sine consensu illius Episcopi, cui cura commissa est, iudicia iudicare. Vnde scribit Papa Calistus XV. à Petro, Benedicto fratri & Episcopo: *Nullus Metropolitanus diocesani Ecclesiam vel parochiam aut aliquem de parochia præsumat excommunicare, aliquidue agere absque eius consilio vel iudicio: sed hoc obseruent quod ab Apostolis ac Patribus*

Probat non posse absq; suoasserfu Metropolitanum Senonẽsem vocare ad tribunal suũ causam cuiusdam Galonis Parisiensis Scholæ Magistri.

& Prædecessoribus nostris statutum & à nobis confirmatum est. Iterum : *Si quis metropolitanus non quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam sine consilio & voluntate omnium Comprouincialium Episcoporum aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit, irritum habeatur.* Iterum: *Nullus alterius parochiam disponat aut ordinet aut iudicet : quia sicut ordinatio, ita & ministratio & aliarum rerum dispositio prohibetur.* Radulfo siquidem Bituricensi Archiepiscopo dere similí ita scribit Papa Nicolaus : *Conquestus est Apostolatui nostro frater noster Sigebodus Narbonensis Archiepiscopus, quòd Clericos suos eo inconsulto ad iudicium tuum venire compellas, & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus eo inuito quasi iure Patriarchatus tui disponas; cùm hoc nec antiquitas, cui Patres sanxere reuerentiam, habeat : & authoritates sacrorum Canonum penitus non habeat.* His igitur & alijs authoritatibus muniti nolumus nec debemus ad præsens nostræ & Fratrum meorum Ecclesijs inauditam nouitatem inducere, & earum iura antiquitus statuta permutare. Hoc dicentes non instruimus prudentiam vestram, quæ satis nouit plura de paucis colligere, nec tollimusquin possint Metropolitani Episcopos comprouinciales conuocare & quæ præcipienda sunt præcipere, sed antiquum ius pro paruitate nostra volumus conseruare. Vnde non satis mirari possumus quod verba G. fallacia & R. Nobis inobedientis susscipitis, cùm causam istam à nobis ipsis & à religiosis viris veraciter audieritis, & manifestam eius culpam, si placet, pleniùs ipse cognoueritis. Pro illius itaque irrationabili & non canonica inuitatione (quam nullius ponderis esse, quando & vbi oportuerit, manifestissimè monstrabimus) ante vestram, quam valde diligere & honorare voluimus, præsentiam ad præsens ire visum fuit nobis non esse opus, cùm per nos tam sibi quàm scholaribus suis plenariam iustitiam obtulerimus, & ad vltimum in præsentia Domni Papæ, ad quem huius causæ finis maximè spectat, inuitati fuerimus. Mandatum etenim sedis Apostolicæ habuimus, cuius authoritate tam Algrinum quam omnes res suas sibi retinet & munit. Insuper & Vobis & Nobis præcipitur ne super eo ab aliquo iudicetur, sed potiùs Apostolicæ sedis iudicio omnis eius causa decidatur. Cùm igitur eius causa ad

Digitized by Google

Domni Papæ audientiam fuerit inuitata; & à nobis, vt ante ipſius præſentiam monſtrabimus, huc vſque rationabiliter ſit tractata, quod iuſtè fecimus, ſaluâ reuerentiâ veſtrâ, quia ſine contemptu Domni Papæ facere nequimus, & eo inconſulto, relaxare non audemus. Redeat ergo ad ſe manſuetudo veſtra, & ne in amicum ſubitò inſurgat, indignationem ſuam erga nos compeſcat, qui ſic parati ſumus veſtræ parere amicitiæ vt honorificemus miniſterium veſtrum ſatisfaciendo iuſtitiæ. Valete in Domino Deo. Valete in Chriſto.

STEPHANI *Epiſcopi Pariſienſis.*

Legato S. A.

Ann. Chr. circa 1191.

XXXI. VIſis literis veſtris non minimùm doluimus, ſupra modum moti ſumus ſuggeri vobis poſſe quod vos nolumus exaudire. Nouit ſiquidem Curia noſtra, nouit Pariſienſis Eccleſia, vtpote quod vidit & audiuit, quoniam literas veſtras nobis miſſas in præſentia Galonis legi fecimus, & quod mandaſtis, ſi voluiſſet, feciſſemus. Ipſe autem non in cauſa ſua ſed in Archiepiſcopi & Dapiferi ſiſus potentia contempſit, & ad contemptum Dei & noſtrum legit. Nos verò cum Rege & Epiſcopis habuimus conſilium quid ſuper hoc eſſet agendum; & quia iuxta eorum condictum in Clericos & Parochianos noſtros ſententiam dedimus; & quia defuerunt auditores, Gualonem ſilere compulimus. Videat itaque dilectio, videat veſtra diſcretio ſi inobedientes & ideò mortuos & fœtentes, quos iuſtè ligauimus, ante diſcuſſionem, ante ſatisfactionem ſoluere debeamus, maximè cum Domni Papæ præcepto & authoritate ſententiam excommunicationis nos promulgaſſe conſtiterit. Ipſe enim Domnum Algrinum ſuſcipit in protectionem ſuam, & nobis iniungit vt de malefactoribus ſuis plenariam ei faciamus iuſtitiam; & ſi qua fortè ſuper eo cauſa emerſerit, ſibi emancipauit, & in Curia Romana finiendum ſtatuit: ſicut in literis eius, quas vobis mittimus, videbitur, ſi diligenter inſpiciantur. Et quia ſuper Domni Papæ ſtatuto & ſententia nolumus auferre aut vnum apicem aut vnum iota, iuxta Gualonis inuitationem in feſto ſancti Andreæ Romam ſtatuimus ire, ſi interim congrua ſatisfactione non deleuerit quod in nobis im-

Gualonem eiúſque ſectatores excõmunicatos abſoluere non poſſe ante ſatisfactionem contendit.

mo in Domino Papa contumaciter commiſit. Quòd ſi vultis & ſi conſulitis cauſam iſtam tractari in Curia veſtra & vos terminare, non renuimus. Sciatis proculdubio quoniam nos temerè periculis non offerimus, immò, quantum in nobis eſt declinamus. Attamen & Alpium aſperitatem & viæ longitudinem paruipendimus, vt primæ ſedis & Romani Pontificis dignitas, quantum ad nos ſpectat, conſeruetur; & ne in aliquo per nos Romana authoritas minuatur. Vnde Paternitatem veſtram ſuppliciter exoramus vt quod iuſtè, quia Domni Papæ & Epiſcoporum conſilio fecimus, interim ſtare permittatis, nec mutari præcipiatis donec in Romana aut in veſtra diſcutiatur audientia, ſi conſulitis, ſicut diximus, & Gualo in ſua pertinacia perſeuerauerit, & Eccleſiæ Romanæ non ſatisfecerit. Scimus proculdubio & ſcitis pro certo quoniam Pariſienſis Eccleſia & omnes perſonæ, vnâ exceptâ, tuebuntur eam cauſam ſi veſtram peruenerit ad audientiam. Et quoniam epiſtolari breuitate omnem negotij noſtri qualitatem non poſſumus comprehendere, Legatos noſtros, Canonicos videlicet Pariſienſis Eccleſiæ dirigimus ſanctitati veſtræ, vt cum mora & perſpicaci diligentia ius noſtrum poſſitis ad plenum cognoſcere.

HENRICI Archiepiſcopi Senonenſis

STEPHANO Epiſcopo Pariſienſi.

Ann. Chr. circa 1132.

XXXII. Monet vt veniat Pruinum ad examinādā causā Stephani Archidiaconi Parisiensis.

Dilectioni veſtræ querimonia & clamore Domini Stephani Archidiaconi veſtri compellimur ſcribere. Idem namque veſter Archidiaconus ſuper hoc conquerendo clamat, quòd licet Abbati S. Victoris Vicario veſtro rectitudinem offerret, & per eum iuſtitiam exequi paratus eſſet: licet etiam ſeipſum cum omnibus ſuis ſub protectione Domni Papæ prætenderet, idem Abbas ſuper terram eius Interdicti ſententiam poſuit, vnde præfatus Archidiaconus ſe prægrauari dicit. Addit etiam in his ſe prægrauatum eſſe quòd à vobis iuſtitiam requiſiuit & habere non potuit de rebus Eccleſiæ Pariſienſis & rebus hominum ſuorum violenter ablatis, quamuis, ſicut dictum eſt, ſub de-

Digitized by Google

fenſionē Domni Papæ & cuſtodia ipſe Stephanus ſit conſtitutus. Et quoniam in his ſe præ grauari ſenſit, ad nos clamorem fecit, & conuenientem diem & locum ſibi & ſuis coadiutoribus tutum dari requirit. Vnde vobis & ipſi diem in Vigilia imminentis Aſcenſionis Domini, & Pruuinum, quia tutus locus eſt, locum conſtituimus, & veſtræ dilectioni præcipimus, vt ad diem datam & locum conſtitutum, quantum res poſtulabit reſponſurus, veniatis, & tanquam cariſſimo conſulimus vt Interdicti ſententiam relaxetis, Valete.

STEPHANI *Epiſcopi Pariſienſis* HENRICO *Archiepiſcopo Senonenſi.*

Ann. Chr. circa 1132.

XXXIII. AVdito clamore conſanguinei veſtri, Domini videlicet Stephani Pariſienſis Archidiaconi aduerſum nos iniuſtè apud vos conquerentis, diem nobis & locum tutum, videlicet Pruuinum in terra hoſtili ſtatuiſtis, & me Suffraganeum veſtrum neque viua voce neque literis prius commonitum ad executionem iuſtitiæ extra Metropolitanam Sedem venire præcepiſtis : quoniam veſter conſanguineus, vt dicit, à nobis iuſtitiam requiſiuit & habere non potuit. Hoc verò, ſi placeret veſtræ Diſcretioni, & Metropolitanæ grauitati, etſi non potuiſſetis non audiſſe, non debuiſſetis credidiſſe, quia ei ſine læſione fidei, cùm homo meus ſit, iuſtitiam denegare non potui. Et quoniam literis alternantibus ad inuicem locuti ſumus, & ipſas adhuc penè omnes nos habemus, cùm in commune venerit, & lectæ fuerint, aut nos, aut ipſum de mendacio arguent, & alterum erubeſcere cogent. Nos ſiquidem ſtatim vt Pariſius venimus ſuper ſacrilegio, incendijs, homicidijs, & alijs criminalibus capitulis Domini S. Archidiaconi in terra S. Germani iniuſtè à Clerico, iniuſtius à Diacono, iniuſtiſſimè ab Archidiacono & Decano factis clamorem Abbatis audiuimus ; Dominum Stephanum ſubmonuimus, diem dedimus, & quia propinquiſſimus ei videbatur, induciauimus, ſecurum locum, ſecurum conductum, Regis videlicet & Reginæ, & Domni Radulphi Comitis, & noſtrum ei obtulimus : & for-

Reſpondet ſe non potuiſſe à Metropolitano extra ſedem Metropolitanã vocari ad examen cauſæ Archidiaconi ſui.

Digitized by Google

taſſe hoc modo cum eo agere eſt ei iuſtitiam denegare? Et quia in nullo, vt auditis, quantum ad hoc ſpectat exceſſimus, vnde curiam noſtram exire debeamus, ſi placet benignitati veſtræ, ſubmonitionem veſtram & præceptum relaxate, quia contra honorem & dignitatem Pariſienſis Eccleſiæ nec volumus nec debemus obedire. De interdicto autem, & de literis Domini Papæ ſufficienter reſpondebitur, ſi Dominus Stephanus vbi iuſtum eſt cauſam ſuam tractari non dedignetur.

GAVFRIDI Epiſcopi Carnotenſis

STEPHANO *Epiſcopo Pariſienſi.*

Ann. Chr. circa 1132.

Significat Stephanum Archid. deligere arbitrium cauſæ ſuæ Abbatē Clarevallenſem S. Bernardū.

XXXIV. DE reformanda pace inter Vos & Stephanum de Garlanda dudum vobis ipſo petente locuti fuimus: nunc autem quoniam audiuimus quòd omiſſis quibuſdam quæ aduerſum vos videbatur habere, pacem veſtram deſiderat: Sanctitatis veſtræ diſcretioni conſulimus (quem ex cordis affectu diligimus, & cui conſulere niſi quod honori veſtro ſeruiet non poſſumus) conſulimus, inquam, & petimus vt diem ei competentem & terminum conſtituatis, inquo iuxta conſiderationem rationis pacem cum eo reformetis, quam offert vobis ad cognitionem & examinationem amicorum veſtrorum, videlicet Abbatis de Claraualle. Non enim decet Paternitatem veſtram oblatam pacem reſpuere, quam etiam non oblatam modis omnibus prouocare debetis. Nam iuxta Domini Saluatoris exemplum ouem errantem debetis requirere, & ad pacis ouile veſtris etiam humeris reportare. Si cum omnibus hominibus, ſicut dicit Apoſtolus, pacem debemus habere, quantò magis cum his de quibus nos oportet Domino reſpondere? Vnde, quod abſit, ſi prædicti viri ſatisfactionem ex amicorum ſententia non recipitis, certum eſt quòd & apud Deum offenſam incurritis, & amicis veſtris ruborem incutitis. Valete.

Abbatum

Alboinum, & Clericum Parisiensem.

Ann. Chr. 1182.

INNOCENTIO III. Summo Pontifici.

Epistola Stephani Parisiensis Episcopi, qua Innocentio III. Summo Pontifici Carnotensem virum cum Theobaldo Notario Archiepiscopo Rhemensi fuisse Legatum Regis Ludovici Junioris, Quibus Carnotensis Parisiensis ipse legatus, & Archiepiscopus fuit ea fama, quam Archiepiscopus Rhemensis, & Notarius quidem, sed Clericus non erat neque habebat copiæ. Archiepiscopum vero ita alienis Archidiaconatibus fuisse intrusum, & pene violenter ingestum, minime erupit, Legatique fuit in eodem Archidiaconatu ampliando & succedendo. Explosum vero Archidiaconi jus ampliandi Rhemensi jurisdictione Carnotensem, humani intellectibus facile ingenui abhinc aliqua vicissitate suscitamenta vindicandi hostilitatem. Hinc Archidiaconi mentionem fecisse Carnotensem Archidiaconum, Alboinum & Clericum, qui ad cædem tentatam, Regemque vulneratum cum pueris Archidiaconus Rhemensis arripuisse pueros & manus excommunicatas ad pontificem Romanum deferre. Verumtamen malum non pertinere Ecclesiæ Parisiensis. Nec Alboinum & Clericum Archidiaconum Carnotensem, sed Rhemensem, nec Parisiensem Episcopum & Clericos ejusdem Archidiaconi ad vim profectos, nec exarsit flamma. Cum vero frumenta & vina Ecclesiæ Parisiensis Decimas B. Mariæ Parisiensis Canonicis profanis rapinis, & violentia Rhemensis Præsulis ministrorum appellationibus, inhibitionibus & pœnis, quod prædictus Dominus ab indictione immunitatis de omnibus suis Ecclesiis, Vinde verba Archidiaconi Rhemensis hanc excusarent, quamvis ipse Rex ita tunc præfinxerit temeritatem suam compellatus vi cæsus Archidiaconi Rhemensis, ne Regem patiatur & succedat ita Ecclesiæ Parisiensis jura retineantur, & non omittat Sacerdotium ultra modum, & non ita modo præjudicium patiatur, nec minimus vigor ad temporalem vires fuerat sed dum. Valete Sanctitas vestra.

Stephano Byrgio Turcofil.

Ann. Chr. natis 1587.

XXXVI. QVamvis Parrenianis vestris confutationibus ad vos adire non videar necessarium, tamen ego volens meum amicissimum, imo meorum amicissimum & ego amicissimum velle & à talibus quibusvis Ecclesiæ vobis liberrimum, quæ temporibus antecessorum vestrorum fuerat, auctoribus permittere: illorum Dominum cum fraternam memoriam recolentes: Beati qui pacificatores sunt, quoniam propter talibus Dominus vocabitur. Nec hoc de per amicis vobiscum pertinentur, nec pro amicis, qui mihi & hodierno anno vestro & priori amicissimi perquam non probus recedere. Rex enim & Regina nostra nobiscum amicissimi, & Turcarum Imperator, & Regnum Poloniæ amicissimum: & nec necesse & nunc ullo modo vestra vestrorumque adversitas a libero discessu. Et hoc Deum Optimum & Augustissimum inflagitamus. Quod Sacerdotum nostrorum fabricatione pendeat eft. Dum vero vobis & multo laboratorum est curæ, quemadmodum vestra recuperantium non veniat, nec vos hac me nimium accusatum redargueritis: nostra quidem Ecclesia, quæ Ecclesiæ vos condite latis idoneæ Ecclesiæ, pauperis mei pastoris, mei vobis amicissimi, & Ecclesiæ Dominicæ Ecclesiæ & Catholicæ vobiscum amicissimi vobiscum amicissimus vobis adhæreat, & ad vobiscum fraternam memoriam in Episcopatione sua diuina colloquia modo amicissima

dire non valeo. Hac igitur erga vos caritate compulſus, quod de vobis recenter audiui, vobis inſinuare non diſtuli. Audiui ſiquidem & procerto audiui quòd quidam maligni & perfidi, non ſolùm extranei ſed etiam familiariſſimi veſtri inſimul conſpirauerunt, & mortem veſtram iurauerunt, & vos aut impetitione aut armis interficere diſpoſuerunt. Et ne hoc friuolum eſſe putetis & ideo negligatis, pro certo ſciatis quia vnus eorum qui coniurationi interfuit, mihi hoc in confeſſione reuelauit, & vobis citò manifeſtare multis precibus obſecrauit. Cautè igitur de cætero vos cuſtodite, & ſicut ſcriptum eſt, à domeſticis veſtris cauete: ſed quid dico? Quid quæſo valeat humana induſtria: ſi diuina non adſit cuſtodia? ô ineffabilis pietas Dei! Ecce omnipotens Deus qui tanta vobis bona in hoc ſeculo contulit, qui mala veſtra tandiu æquanimiter pertulit: modò in præſenti pro peccatis veſtris ſubitò & inopinatè vos percutere noluit; ſed ſola pietate præcedenti miſericordiæ miſericordiam miſericorditer addidit, qui hoc quod perfidorum malitia in occulto diſpoſuit, vobis occultum eſſe noluit. Quid igitur expectatis? ecce occultus Iudex arcum tetendit, ſagittas parauit: & niſi citò vos conuerteritis ad ipſum, emittet ſagittam & percutiet inimicum. Sed priùs vos Deus ſua protectione cuſtodiat, oculos veſtri cordis aperiat, cor ad pœnitentiam compungat, & vos ad ſeipſum ſine mora conuertat: qui non vult mortem peccatoris; ſed vt magis conuertatur & viuat.

Impetitus eſt hoc tempore Epiſcopus à nepotibus Theobaldi Arch. vide S. Bern. ep. 158. & notas I. Pe. cardi.

GAVFRIDI Epiſcopi Carnotenſis.

An. Chr. circa 1132.

STEPHANO Epiſcopo Pariſienſi.

XXXVIII. LIteras apud Bonam-vallem accepimus die Veneris quas nobis miſit veſtra dilectio, in quibus noſtrum colloquium die proxima Lunæ poſtulabatis. Quod nullomodo fieri vel grandium quæ in manibus noſtris erat negotiorum multitudo vel ipſa temporis anguſtia patiebatur. Pontileuenſes nanque monachi, quibus vt Abbatem prouideremus, Deo authore operam dabamus, grauem nobis & inauditam contumeliam irrogarunt; Abbatibus & Ar-

Excuſat ſe quòd ad colloquiũ non poſſit accedere.

Digitized by Google

chidiaconis nostris, quos ad hoc ipsum illuc direxerāmus, armatâ in eos manu rusticâ intentantes mortem & supplicia comminantes; & hæc interim cum aliis pluribus causa nos occupat. De eo autem vnde nos consulitis quod nobis ad præsens occurrit, vestræ fraternitati mandamus vt Curiæ inuitanti vos ad iustitiam, ex abundanti quidem, si saluum habueritis conductum, die competenti vestram exhibeatis personam, de his in quibus appellamini respōsurus, si vobis priùs facta fuerit iustitia, & expoliato restituatur inuestitura. Postea Fratrum vestrorum iudicio, si quid aduersùm vos Dominus Rex habuerit, quantùm res exigat, eo ordine quo debebitis, sicut pro Domino & per omnia facietis. Nos verò sicut vobis scripsimus, die proximâ Iouis apud Latiniacum vobis occurremus, & si aliquod consilium interim acceperitis, contramandate nobis.

Gavfridi Episcopi Catalaunensis.

Stephano Episcopo Parisiensi.

Ann. Chr. circa 1132.

Petit vt deligatè S. Victoris Cœnobio Canonicũ qui instituatur Abbas Virtuẽsis.

XXXIX. Multiplici seminario discordiæ ciuitas nostra longo iam tempore conquassata, etiam nunc in eo statu est: vt sine grandi discrimine absentiam nostram sustinere non possit. Ecce vinculum quo alligatus teneor: ecce necessitas quæ sancto Conuentui vestro non patitur nos interesse. Sed hæc hactenus. Frater & amicus noster Abbas Virtuensis & Fratres eius loci vocauerunt nos, multo religionis desiderio, Deo gratias, accensi, vnanimiter postulantes, vt ad honorem Dei & salutem animarum suarum Pastorem eis vtilem sollicitudo nostra prouideret. Curam & administrationem Abbas ipse in manu nostra deposuit: vna fuit totius Capituli illius vox, vnanimis in præsentia nostra consensus & electio vt Pastor eis concederetur de monasterio sancti Victoris Parisiensis. Quia verò domus illius religiosas personas non cognouerunt ex nomine, nullam quæsierunt, sed sanctitatis vestræ religioni curam hanc & sollicitudinem commiserunt. Locus enim ille est vobis familiaris & religio personarum. Sanctitatis igitur vestræ prudentiæ, quâ possu-

Digitized by

mus humilitate supplicamus vt iusto desiderio consilij & auxilij manum porrigatis. Suscipient enim cum gratiarum actione personam quam de prædicto B. Victoris monasterio electio vestra eis obtulerit.

STEPHANI Episcopi Parisiensis.

XL. MAttheum de Montemorenciaco pro nouerca sua ad causam vocauimus, diem dedimus. Contigit autem vt ante & circa diem datum Dominus Rex esset Beluaci ducturus exercitum super Drogonem de Monciaco & Lancelinum. Videns verò Dominus Rex quòd milites, qui secum ierant, venire ad causam prænominatam disponebant (multi enim erant) eos retinuit, & vt causa induciaretur, nobis mandauit & rogauit. Hac igitur necessitate causâ induciatâ & die datâ, interim literis vestris nos monuistis vt Mattheum Remis Dominicâ *Gaudete in Domino* ad executionem iustitiæ ante vos submoneremus; quod & fecimus. Ipse autem dicit quòd ante vos extra prouinciam non veniet. Paratus enim & est & fuit (quòd negare non possumus) in præsentia vestra & vbi tutus ei sit locus in prouincia sua subire causam, & nouercæ suæ plenam exequi iustitiam. Nobis igitur, si placet, significate quid debemus facere. Parati enim sumus obedire.

S. BERNARDI *Abbatis*

GOFFRIDO * *Abbati.*

Qui postea Episcopus Catalaun. fuit.

XLI. DOmno GOIFFRIDO Abbati sancti Medardi, frater BERNARDVS Ecclesiæ Clareuallis Ordinator incompositus, Salutem, & non in via. Primò precor vt præsentes literas Domno Abbati Aquicincti Monasterij dirigere non grauemini. Deinde vt ad id quod portant pro absente amico præsens satagatis cùm venerit locus. Neque enim cuiuslibet, nedum tanti patris vel iustum vel iniustum aduersum me debet scandalum dissimulare. Quidquam non faciam, loquens potiùs quàm scribens ei forsitan aperire potuissem. Nam solet in talibus acceptior esse sermo viuus, quàm

Vt scandalum quod Abbas de Bernardo perperam sumpsit, amoueat.

Digitized by Google

ſcriptus, & efficacior lingua, quàm litera. Oculi quippe loquentis fidem faciunt dictis. Nec ita poteſt affectum exprimere digitus, quomodò vultus. Nunc autem quia abſens per me non poſſum, per vos ſatisfacio quantum poſſum. Rogo ergo vos, & iterum rogo, vt de regno Dei, quod videlicet intra nos eſt, ſcandalum auferatis, dum ſalubriter poteſtis, ne ſi, quòd abſit, vſque ad Angelos, qui vtique in fine ſæculi in id miniſterij deputandi ſunt, perdurauerit rancor, neceſſe ſit irreuocabiliter aut ambos aut alterum è nobis è medio tolli. Vnde autem ad me vosiam dudum ſcripſiſtis conquerendo ſuper tribulationibus veſtris, ſcitis quia iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. De ipſo confidite, quia ipſe vicit mundum. Ipſe ſcit inter quos habitatis, & in conſpectu eius ſunt omnes qui tribulant vos. Ipſe exaudiet vos in abſcondito tempeſtatis, qui nunc probat ad aquas contradictionis. Valete.

EIVSDEM

Rainaldo Abbati.

Abbatem laudat de prudentia & benignitate.

XLII. DOmno Abbati RAINALDO Frater BERNARDVS, quicquid ſibi cupit gratiæ ſpiritualis. Laudo prudentiam quâ Monachum propter nouicium triſtare timuiſtis; ſed magis approbo humilitatem quâ factam vobis iniuriam, & tam grandem iniuriam, tam patienter tuliſtis. Incomparabiliter autem præfero charitatem, quâ calamum quaſſatum non patiendo conteri, noſtrum expetere conſilium ei ſuadere curaſtis. O prudens humilitas, humiliſque caritas, ſic parcens Monacho iniurianti, vt non deeſſet nouicio fluctuanti. Quantùm ergo potui confirmatum, & omnia quantum reor, de quibus notatus eſt, emendare paratum, ad vos eum remitto, tam probatæ veſtræ benignitati conſulens, etſi neceſſe eſt, ſupplicans, vt recipiatur, vt tamen prædictus frater, cui & literas proinde precatorias miſi, à ſua priori, ſi fieri poteſt, ſententia flectat. Valete.

EIVSDEM

Ad Dominum Papã INNOCENTIVM *pro* ARNVLPHO *Lexouienſi Epiſcopo electo.*

XLIII. AMantiſſimo Patri & Domino Dei gratia ſummo Pontifici INNOCENTIO, BERNARDVS Clareuallenſis vocatus Abbas, modicum id quod eſt. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui Eccleſiam ſuam, immaculatam ſponſam dilecti Filij ſui, in diebus noſtris liberam, & abſolutam à tribulationibus malorum cuſtodiuit & dolore: ſchiſmata corruerunt, hæreſes ſiluerunt, ſuperborum & ſublimium colla calcantur. Et quidem in ſchiſmate vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat. In hæreſi multorum rediuiui pullulabant errores, ſed obſtructum eſt os loquentium iniqua. Tyrannus Siciliæ extulerat in altum cor ſuum, ſed iam humiliatur ſub potenti manu Dei. Nullus gradus prætermiſſus eſt, de quo non acceperit victoriam per vos Eccleſia Dei, in manu potenti & in brachio excelſo. Supereſt tamen in tertio gradu Comes Andegauenſis malleus bonorum, oppreſſor pacis & libertatis Eccleſiæ: perſequitur Eccleſiam Lexouienſem non vt introitum habeat paſtor Eccleſiæ illius in ouile ouium niſi aliunde: Sed quod factum eſt non poteſt non fieri. Denique ſires ipſa habeat diligentem inſpectorem, & prudenter examinetur ad commodum cauſæ, & ad rei geſtæ confirmationem, omnia cooperantur in bonum, perſona, negotium, auctor operis, impugnator. Si enim ad perſonam reſpicias, hic eſt filius tuus dilectus in quo tibi complacuit. Si ad negotium, ordine integro, & canonica libertate conſummatum eſt. Si ad auctorem operis, vir religioſus eſt, & timens Deum. Si ad operis impugnatorem, ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, hoſtis Eccleſiæ, inimicus crucis Chriſti. In omni ſiquidem negotio validiſſimum argumentum eſt ad faciendam rei dubiæ fidem, id ſemper eſt melius quod placeat bonis, malis autem diſpliceat. Sed appellauit ſedem Apoſtolicam Comes

Andegauenſis. Quare obſecro? quâ læſione? quo grauamine vrgente? non quia opprimeretur, ſed quia opprimeret; non vt iniuriam ſuam releuaret appellationis remedio, ſed vt benedictionem iſtius obſtaculo appellationis impediret. Cùm itaque & religio promouentis, & promoti dilectio, & cauſæ iuſtitia confluant in vnum, ſuperfluum videtur & vanum rogare pro eo, vbi eius humilitas poſtularit. Loquar ergo ad Dominum meum cùm ſim puluis & cinis. Loquar ſeruus ſponſæ ad amicum ſponſi, iocundum ſit ei eloquium meum. Tibi Domine commiſſa eſt Eccleſia à ſolis ortu vſque ad occaſum; tu ei debes eſſe murus & antemurale à facie inimici & perſequentis, tu debes fouere filios eius ſub vmbra alarum tuarum. Suſcipe Lexouienſem Epiſcopum vterinum filium Romanæ Eccleſiæ, & remitte eum in benedictionibus dulcedinis, nequando dicat inimicus eius: præualui aduerſus eum. Accingere gladio tuo, Pater, ad exaltationem filij, ad depreſſionem inimici, ad conſeruandam Eccleſiæ libertatem. Non enim ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, quâ libertate liberauit nos Chriſtus.

Fundatio Monaſterij B. MARIÆ *de Sylua regali diœc. Arelatenſis, Ord. Ciſt.*

Ann. Chr. 1194.

XLIV. SIt notum cunctis præſentibus & futuris; quòd ego ILDEFONSVS Dei gratia Rex Arragonum, Comes Barcenoniæ, & Marchio Prouinciæ, pietatis intuitu, & remedio animæ meæ & parentum meorum, per me, & per meos omnes ſucceſſores in perpetuum dono, concedo, & præſenti ſcripto roboro, & auctorizando confirmo Domino Deo, & Monaſterio Ciſtercienſi, & tibi STEPHANO Abbati, & PETRO Priori, cæteríſque Monachis, totíque Conuentui præſenti & futuro; totam ſyluam de Albarono ad ædificandum ibi Monaſterium Monachale in honorem Beatæ MARIÆ ſemper Virginis, cum omnibus terris, & pertinentiis ſuis, cum omnibus directis & iuribus noſtris, quæ ibi habeo vel habere debeo, taliter quòd vos dicti Monachi præſentes & futuri per infinita ſæcula, dictam ſyluam francam, liberam, immunem, cum paſcuis, aquis, venationibus, laborationibus,

Lucretius Poeta, & multi alii Philosophi, quos Plutarchus, & Eusebius Pamphili in libris de Philosophorum placitis recitant, ex quibus Democritus, & Epicurus, qui omnia fortuito, & casu accidere, nihil in rebus humanis, naturâ, providentiâ, aut consilio Numinis fieri, aut gubernari, ac proinde nullam Dei providentiam esse, & dicebant, & asserebant. Quorum errores Cicero multis locis, & libris refellit, & confutat, ut in libro de Natura Deorum, & de Divinatione, & in Tusculanis Quæstionibus, & in libro de Fato, & in Paradoxis, & in libro de Officiis, & in Somnio Scipionis, & in Oratione pro Milone, & in libro de Legibus, & in Oratione pro Archia Poeta, & in libro de Amicitia, & in Oratione pro Sestio, & in libro de Senectute, & in Oratione pro Ligario, & in libro de Republica, & in Oratione pro Marcello, & in libro de Claris Oratoribus, & in libro de Consolatione, & in libro de Gloria, & in libro de Virtutibus, & in libro de Invidia, & in libro de Petitione Consulatûs, & in libro de Temperantia, & in libro de Oratore, & in libro de Partitione Oratoria, & in libro de Inventione Rhetorica, & in libro de Optimo Genere Oratorum, & in libro de Fortuna, & in libro de Fato, & in libro de Universo, & in libro de Mundo, & in libro de Legibus, & in libro de Republica, & in libro de Officiis, & in libro de Amicitia, & in libro de Senectute

Procuratores in Prouincia ; P. de Altalono ; Pontius de Brugeris Baiulus ; Ioannes de Arcazona Baiulus in Aquis; B. Prior S. Sepulchri & Domini Regis Capellanus ; G. Bernardi de Aquis ; Frater B. Eleemoſynarius ; Frater P. Iſnardus Monachus; Giraldus Conuerſus.

STEPHANI Cantuarienſis Archiepiſcopi,

Sereniſſimo Domino IOANNI Dei gratia Anglorum Regi, STEPHANVS Cantuarienſis Archiepiſcopus in Domino ſalutem, & pietatis viſceribus abundare.

Ann. Chr. 1205.

Quòd Rex non permiſerit poſſeſſionẽ inire Archiepiſcopatûs, interdicto ſubiectum eſt Regnũ.

XLV. REgnum diu ſtare non poterit, cuius ſtatum vera Regis clementia non communit. Largiente clementia Redemptoris, licet merita noſtra non exigere viderentur, perſonam noſtram fratrum electio generalis Cantuarienſi Cathedræ ſubrogauit. Et licet conſecrationis beneficium ſimus per Apoſtolicæ ſanctitatis miniſterium aſſecuti; fortè, peccatis noſtris exigentibus electioni noſtræ Regalis intuitus non conſentit, & ad Eccleſiam, ad quam vocati ſumus, acceſſum habere liberum non permiſit. Propter repulſam à nobis factam in vniuerſos fines Anglicæ regionis generale promulgauimus interdictum, quod in diſpendium animarum quibus Iuriſdictione regia præſidetis, & in veſtræ Maieſtatis ignominiam perdurauit. Et cùm nos viſceraliter doleamus ſuper tanti continuatione diſpendij, vos qui regere debetis in virga ferrea, deberetis ſuper interdicto multò diſtrictiùs perturbari. Cùm igitur veſtrum Regnum vallare deberet exuberantia pietatis, maieſtatem veſtram ſuppliciter exoramus, quatenus nobis tranquillum præbeatis introitum: & nos ad Dei laudem, ad veſtræ gloriam maieſtatis relaxabimus interdictum.

IOANNIS *Regis*, STEPHANO *Cantuar. Archiep.*

IOANNES *Dei gratia Anglorum Rex* STEPHANO *dicto Cantuarienſi Archiepiſcopo ſalutem.*

XLVI. REuocari debet in irritum omnis electio, quam pars maior & ſanior conſenſus ſui non roborat fulcimento. Cùm ex generali conſenſu Capituli te promotum in Cantuarienſem Archiepiſcopum proteſteris, & per manum ſummi Pontificis conſecratum: nos promotioni tuæ, ſicut proponis, duximus reſiſtendum, ingreſſum tibi liberum prohibentes; & nunc pia ſollicitudine flagitaſti, quòd tibi velimus conſenſum liberum impertiri, cùm ſis reuocaturus ſententiam interdictionis. Tuis quidem propoſitionibus reſpondentes, te minus electum Canonicè proteſtamur; quia liquet & in Iuris corpore continetur, quòd maiore vel ſaniore parte non conſentiente, nulla cenſetur electio. Propter quod quicquid circa te factum eſt reputari debet penitus pro infecto. Cùm igitur in terra noſtrâ ſententia videatur non legitimè promulgata, cùm excommunicandi non habeas poteſtatem, tibi mandamus quatenus ſi quid Iuris habeas in electione quam aſſeris eſſe factam, cures attentiùs reſignare; ſciturus quòd ad honorem Regiæ Maieſtatis, & fortè non ad damnum tuum, Eccleſiæ Cantuarienſi curabimus prouidere.

Nullâ Stephani electionẽ Rex declarat.

GREGORII Papæ IX.

Ad Archiepiſcopum Arelat. & Epiſcop. Arauſicanum.

Ann. Chr. 1230. d. 22. Iulij.

XLVII. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Arelatenſi, & Epiſcopo Auraſicenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram peruenit, quòd nobilis vir R. Comes Tholoſanus, & nobilis mulier S... vxor ſua nequaquam cohabitant vt tenentur, neque ſibi mutuò affectus exhibent coniugales. Quia verò ex hoc graue poteſt

Vt Comitẽ Toloſ. & eius vxorẽ in amicitiã reducere conentur.

ſcandalum ſuboriri, & vtrique imminere periculum animarum, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eos ſimul vt cohabitent, & ſibi mutuò coniugales affectus exhibeant, moneatis prudenter, & efficaciter inducatis eos ad id ſi neceſſe fuerit per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellendo. Quòd ſi alterutra partium ad hoc impedimentum obiecerit, vos audiatis hinc inde propoſita, & ſi de partium voluntate proceſſerit, cauſam fine debito decidatis : alioqui quæ inueneritis nobis fideliter intimetis, vt procedamus exinde prout ſecundum Deum vtriuſque ſaluti & honori videbimus expedire. Datum apud Cryptam ferratam XI. Cal. Aug. Pontificatus noſtri anno quarto.

EIVSDEM

PETRO S. A. Legato.

Ann. Chr. 1230. d. 18. Sept.

XLVIII. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Magiſtro PETRO de Collemedio Capellano noſtro, Apoſtolicæ ſedis Legato, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Expoſuerunt nobis Nuntij Nobilis viri Comitis Tholoſani, quòd licet in ipſius Patre, qui ante reconciliationem terræ deceſſit, indicia pœnitentiæ in mortis articulo apparuerint manifeſta, nec per eum ſteterit quominùs reconciliatus fuerit Eccleſiaſticæ vnitati; corpus tamen eiuſdem adhuc extitit inhumatum ; vnde ex parte ipſius Comitis ſuppliciter petebant à nobis, vt cùm ſacramentum non contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis excluſerit; & Eccleſiæ iudicium, diuinum debeat imitari; mandaremus defunctum, qui propter hoc habendus eſt ab Eccleſia ſicut apud Deum fuiſſe creditur abſolutus, in Cimiterio Eccleſiaſtico ſepeliri. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus diligenter ſuper hoc veritatem inquiras, eam nobis fideliter reſcripturus. Datum Anagniæ XIV. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Mandat vt diligenter Legatus inquirat an Comes ante obitum indicia pœnitentiæ exhibuerit.

In eumdem modum ſcribit Epiſcopo Toloſano & Abbati Grandis-Syluæ. Dat. Anagniæ VII. Kal. Octobris Pontificatus anno IV.

EIVSDEM
PETRO DE COLLEMEDIO.

Ann. Chr. 1230. d. 9. Iulij.

XLIX. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Magiſtro PETRO *de Collemedio* Capellano noſtro Apoſtolicæ ſedis Legato, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Venientes ad præſentiam noſtram Nuntij nobilis viri Raimundi Comitis Tholoſani, ex parte ipſius deuotè à Nobis & ſuppliciter petierunt, vt tam ſuper paſſagio ſuo & ſuorum in ſubſidium terræ ſanctæ, quàm ſuper ſumma decem millium marcarum, in qua Eccleſiis pro damnorum reſtitutione tenetur, ſibi inducias de ſolita benignitate ſedis Apoſtolicæ concedere dignaremur; cùm de nouo reconciliatus ſanctæ matri Eccleſiæ de terra ſua, ſicut oportet, diſponere non potuerit; & de tranſitu ſuo, cùm non inſtet modo paſſagium, prouenire nequiret vtilitas quæ ſperatur; nec termino aſſignato, ſcilicet proximè venturo feſto Reſurrectionis Dominicæ illuc valeret, prout eum decet, accedere, cùm terra ſua nimiùm exhauſta facultatibus infra tam breue ſpatium non ſufficeret ad expenſas neceſſarias miniſtrandas. Volentes autem dicto Comiti iuxta feruorem deuotionis ſuæ, quam habere dicitur ad Deum & Eccleſiam, gratiam, quam cum Deo poſſumus exhibere, ſuper ſolutione ſummæ præfatæ, vſque ad beneplacitum noſtrum ei duximus terminum prorogandum; Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus inquiſitâ ſuper hac concedenda ſibi dilatione paſſagij voluntate Illuſtrium Regis & Reginæ Francorum, & habito prælatorum ac Baronum, ac aliorum bonorum virorum, quos videris expedire conſilio: conſideratis quoque ſtatu ipſius Comitis & terræ ſuæ, aliiſque circumſtantijs vniuerſis, quas inueneris, nobis ſtudeas tranſmiſſis ſingulorum conſilijs fideliter intimare, vt per tuam relationem inſtructi, ſuper hoc ſecuriùs diſponere valeamus. Datum Anagniæ VII. Id. Iulij. Pontificatus noſtri anno quarto.

Vt Raymũdo Comiti Toloſano terminus ſolutionis 10. mil. marcarũ & itineris Ieroſolymitani prorogetur.

Nempe S. Ludouici & Blanchæ matris eius.

Iisdem verbis & sensu scribit Archiepiscopo Senonensi, ac Parisiensi & Carnotensi Episcopis. Dat. Anagniæ X. Kal. Octob. Pontif. anno IV.

EIVSDEM

Ann. Chr. 1231. d. 2. Ianu.

Ad Comitem Tolosanum.

Vt Ordini Cister. debitam pecuniæ summã soluat.

L. GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei Dilecto filio nobili viro Comiti Tholosano Salutem, & Apostolicam benedictionem. Significante dilecto filio Abbate Cistercienſi nos noueris accepisse, quòd tu quandam summam pecuniæ, in qua Cistercio & quibusdam aliis Monasteriis ordinis Cistercienſis teneris, sicut in literis super compositione pacis inter te ex vna parte, & Ecclesiam ac carissimum in Christo filium nostrum Illustrem Regem Franciæ ex altera, per dilectum filium nostrum ROMANVM sancti Angeli Diaconum Cardinalem, tunc Legatum Apostolicæ sedis reformata pleniùs dicitur contineri, detines pro tuæ arbitrio voluntatis & eis soluere contradicis. Quare à nobis humiliter postulabat, vt tibi super hoc preces nostras & literas dirigere dignaremur. Nos igitur eius deuotis precibus inclinati nobilitatem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur, per Apostolica scripta mandantes, quatenus iam dictam pecuniam monasterijs sine difficultate qualibet, vt teneris, restituas memoratis: alioquin noueris nos venerabili fratri nostro Episcopo Tornacensi, Apostolicæ sedis Legato nostris dedisse litteris in mandatis, vt te ad id, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam appellatione remota, cognita veritate compellat. Datum Laterani IV. Nonas Ianuarij, Pontificatus nostri anno quarto.

EIVSDEM

Ann. Chr. 1231. d. 23. Oct.

Ad Comitem Tolosanum.

Monet Comitem vt penas insli-

LI. GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio nobili viro Comiti Tholosæ Salutem, & Apostolicam benedictionem. Horrendum facinus quod

Digitized by Google

BERNARDVS Conuenarum, & quidam alij Vaſſalli tui in IESV Chriſti opprobrium attentarunt, ipſum Chriſtum ſine dubio prouocat, & prouocare debet homines contra eum; ipſumque reddere vniuerſis odibilem qui Deum timent, & homines reuerentur. Sicut enim dilecti filij Abbas & conuentus Conchenſis graui nobis conqueſtione monſtrarunt, jidem vaſſalli quemdam eorum Monachum Subdiaconum iuxta altare conſtitutum, auſu ſacrilego capientes; ac eum, Crucifixum & Euchariſtiam amplectentem, lethaliter vulnerantes, & extrahentes ab Eccleſia violenter ipſum in IESV Chriſti, & totius Cleri contumeliam in patibulo ſuſpenderunt. Et licet quidam Eremita ſemiuiuum eumdem de patibulo depoſuiſſet eodem; ipſi tamen eum iterum ſuſpendentes, in iis & aliis, eis graues & iniurioſi exiſtunt. Quia igitur tantam Dei & Eccleſiæ iniuriam non poſſumus, ſicuti nec debemus, æquanimiter ſuſtinere, Nobilitatem tuam rogamus, & monemus attentè, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus cum iniuria huiuſmodi Dei potiùs quàm hominis cenſeatur, pungat cor tuum tui contumelia Creatoris; & ſic huiuſmodi ſacrilegos tradita tibi poteſtate caſtiges, ac facias eiſdem Abbati & Conuentui de illatis iniurijs ſatisfactionem congruam exhiberi; quòd per hoc creſcas & nomine apud homines, & merito apud Deum. Datum Reate x. Calendas Nouembris, Pontificatus noſtri anno quinto.

gi curet ijs qui Monachum Conchenſem morte crudeliter affecerunt.

Abbatis ac Conuentus Conchenſis, RAYMVNDO Comiti Toloſano.

LII. SEreniſſimo Domino RAIMVNDO Dei gratia Comiti Tholoſano, VESIANVS Dei miſeratione Sanctæ Fidis de Conchis Abbas, & eiuſdem loci Capitulum, Salutem, & pro ipſo preces effundere ad Dominum IESVM Chriſtum. Excellentiæ veſtræ tenore præſentium innoteſcat, quòd nobilis vir BERNARDVS de Conuenis & vxor eius BLANCA nomine, ſuper iniurijs quas nobis & noſtro monaſterio irrogauerant, tam ſuper morte IOANNIS Monachi noſtri, quàm ſuper aliis clamoribus, quos de ipſis facere poteramus, ita nobis & monaſterio noſtro pro ſe, & ſuis compli-

Orant vt Comiti Bernardo, quippe qui pro damnis illatis ſatisfecerat, dominium reſtituat.

cibus, auxiliatoribus, & fautoribus, qui interfuerunt morti Monachi ſupradicti, plenariè ſatisfecerunt, & quod inde de ipſis pacati ſumus meritò & contenti, quamdiu compoſitionem, quæ facta eſt inter nos & ipſum, & ſcripta per manum VV. Sancti Pauli publici Notarij Tholoſæ, ipſi & ſucceſſores eorum integrè obſeruabunt; & inde Deo & vobis gratiarum referimus actiones. Cùm igitur ad cor redeuntibus ſit parcendum, Dominationem veſtram, quantum poſſumus, deprecamur, vobis humiliter ſupplicantes, quatenus intuitu miſericordiæ & pietatis, & precum noſtrarum obtentu agentes miſericorditer cum eiſdem, terram ſuam miſericorditer eiſdem reſtituere dignemini, ita quòd à Deo & hominibus poſſitis ſuper hoc meritò commendari. Datum Conchis Sabbato ante Carnispriuium.

GREGORII Papæ IX.

Epiſcopo Tornacenſi.

Ann Chr. 1232. d. 18. Febr.

Vt benignè ſe in Comitem Toloſ. gerat, efficiátque vt idipſum agant Epiſcopi.

LIII. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Tornacenſi, Apoſtolicæ ſedis Legato, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. De parte Dilecti Filij Comitis Tholoſani nobis eſt oblata querela, quod cùm ipſe in firmo propoſito, & ſummo gerat deſiderio inflexibiliter permanere in deuotione ſedis Apoſtolicæ matris eius; ſuper quo turbati plures tanquam non valentes, cùm in ſe mali ſint, aliorum bonitatem in patientia ſuſtinere, ipſum ab intentione ſua laudabili retrahere moliuntur. Quidam terræ ſuæ Prælati hoc nolentes attendere, in proferendo in eum excommunicationis ſententiam nimis faciles & præcipites ſe oſtendunt; contra quos dictus Comes humiliter petijt per noſtram ſollicitudinem prouideri. Quia verò non modicum expedire dinoſcitur, vt ad augmentandum in ipſo pietatis affectum quaſi noua plantula benignitatis foueatur irriguo, & dulci lacte Eccleſiæ recreetur: fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in lenitate ac manſuetudine tractans eumdem, & ad hoc ipſum prædictos Prælatos inducens, nihil ab eis permittas

mittas in eius grauamen aut contumeliam attentari. Datum Reate XII. Kal. Martij, Pontificatus noſtri anno quinto.

EIVSDEM

Ad LVDOVICVM Regem Franc.

Ann. Chr. 1231. d. 4. Martij

LIV. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Cariſſimo in Chriſto filio LVDOVICO Regi Francorum illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Literas, quas pro dilecto filio nobili viro Comite Tholoſano ſuper terra, quam Romana Eccleſia citra Rodanum ad manus ſuas retinuit, Regalis nobis excellentia deſtinauit, ſolitæ benignitatis affectu recepimus; & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Sanè illius teſtimonium inuocamus, qui teſtis eſt in cœlo fidelis, quòd licet Eccleſia Romana prædictam terram, in qua infinitis anguſtijs, & expenſis innumeris multorum ſanguine hactenus extitit laboratum, ad manus ſuas duxerit retinendam, ne reprobis repetentibus vel irruentibus in eandem fieret durior poſt proſperitatem aduerſitas: non tamen intendimus terram illam propriis vſibus applicare; non in ea priuatum proſecuti fuimus intereſſe, nullam in retentione ipſius vtilitatem quæſiuimus temporalem, cùm ſit negotium pacis & fidei; & Dei ſit cauſa quam agimus, & ſpirituale duntaxat in hoc commodum attendamus. Sed cum illius terræ conuerſio adeò ſit adhuc recens & tenera, quòd ex mutatione ſubita facilè poſſet incurrere recidiuum, & recidiui languores interdum eſſe ſoleant prioribus grauiores; accuratâ eſt ſollicitudine præcauendum, ne morbus, qui tam grauiter Chriſti maculauit Eccleſiam, iterum poſtquam curatus eſt, in ipſius poſſit refluere corruptelam. Quantùm claræ memoriæ L. Rex Francorum pater tuus in præmiſſo negotio laborauit, ad cuius proſecutionem de ſuis liberaliter contulit, & tandem ſe liberaliùs adiecit, vitæ vitam offerens, vt viueret in Chriſto poſt mortem? Quot inclyti in proſecutione ipſius negotij de regno Francorum ceciderunt? Quanto ſudore laboratum eſt, & quanto labore ſudatum, vt terra illa conuerſa in ſalſuginem à malitia in-

Rationem reddit cur Eccleſia Romana detineat Comitatũ Venaſcenum.

habitantium in ea, bellis attrita continuis, & hæreticæ prauitatis erroribus inuoluta & ab huiuſmodi reſpiraret anguſtijs, & contagijs purgaretur? Quanta ſtrages populi Chriſtiani; quot animarum pericula, Eccleſiarum deſtructio, Religioſorum locorum excidium, damna rerum, & expenſarum diſpendia, occaſione præfati negotij, peccatis exigentibus ſiunt ſecuta? & vtinam eſſet adhuc dictum negotium adeò ſolidatum, quòd ex nulla parte ſtatus eius penitus fluctuaret. Nunquid non grandi cautela opus eſt, ne tot impenſæ perdantur? Nunquid verò nobis ſiquid inde ſiniſtri, quod abſit, accideret, poſſet non immeritò imputari? Nunquid formidare non immeritò poſſumus præteritis futura pericula grauiora? Et ideò quantumcunque dictum Comitem, ſicut ſpecialem Apoſtolicæ ſedis filium ſyncerâ diligamus in Domino caritate, & ad incrementum & exaltationem ipſius libenter, ſi per eum non ſteterit, aſpiremus, paternæ circa eum ſollicitudinis gerentes affectum; expedit tamen vt in tanto negotio non niſi circumſpecta deliberatione præhabita procedatur.

Verùm quia nobis quid ſuper hoc magis expediat negotio memorato, fieri non potuit plena fides, Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Tornacenſi, Apoſtolicæ ſedis Legato, noſtris damus literis in mandatis, vt vocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, qui in ſua legatione conſiſtunt, & cum eis ſuper præmiſſis & eorum circunſtantijs vniuerſis deliberatione habita diligenti, conſilium quod ſuper his datum fuerit, nobis ſtudeat ſuis litteris fideliter intimare, vt procedamus exinde prout ſecundùm Deum videbimus expedire meliùs. Ipſius itaque habita reſponſione Legati ſic Deo propitio in præmiſſo negotio procedemus, nihil de contingentibus obmittendo, quòd Deo pro poſſe ſatisfaciemus, & homini, ac tuæ Serenitati gratum eſſe poterit & acceptum. Datum Reate IV. Nonas Martij, Pontificatus noſtri anno quinto.

EIVSDEM

Ad Reginam Franc.

Ann. Chr. 1232. d. 4. Mart.

LV. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimæ in Chriſto filiæ Reginæ Francorum illuſtri Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Literas quas pro dilecto filio nobili viro Comite Tholoſano ſuper terra, quam Romana Eccleſia citra Rodanum ad manus ſuas retinuit, Regalis nobis excellentia deſtinauit, ſolitæ benignitatis affectu recepimus, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter &c. *vt in proximè relata epiſtola.* Datum Reate IV. Non. Martij, Pontificatus noſtri. an. V.

Reginæ ſcribit ad modũ prioris Epiſtolæ.

EIVSDEM

Ad Comitem Toloſanum.

Ann. Chr. 1232.

LVI. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio nobili viro Comiti Tholoſæ Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Non eſt de arbore dubitandum, cùm de fructu conſtiterit; nec de illius intentione quærendum, qui nihil agit in tenebris, ſed in luce vt eius ſint opera manifeſta; cùm in actibus ſuis non dubiæ præſumptioni ſit locus ſed experientiæ certæ credatur. Sanè quam intentionem in facto tuo geſſerimus hactenus & geramus, licet non pepercerimus virgæ vt filium lucraremur, operis exhibitio manifeſtat. Paternæ ſiquidem erga te ſollicitudinis gerentes affectum, te ſicut ſpecialem Apoſtolicæ ſedis filium ſyncerâ diligimus in Domino caritate, ad incrementum & exaltationem tuam ſi per te non ſteterit, aſpirantes. Cæterùm licet Eccleſia Romana terram citra Rodanum, pro qua tibi reſtituenda Cariſſimi in Chriſto filij noſtri, FREDERICVS Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem & Siciliæ Rex; ac Rex & Regina Francorum Illuſtres nobis humiliter ſupplicarunt, in qua infinitis anguſtiis & expenſis innumeris, multorum ſanguine hactenus extitit labo-

Eiuſdem argumenti.

ratum, ad manus ſuas duxerit retinendam, ne reprobis repetentibus vel irruentibus in eandem fieret durior poſt proſperitatem aduerſitas : Illius tamen teſtimonium inuocamus qui teſtis eſt in cœlo fidelis, quòd non intendimus terram illam proprijs iuribus vel vſibus applicare, non in ea priuatum proſecuti fuimus intereſſe, nullam in retentione ipſius vtilitatem quæſiuimus temporalem, cùm ſit negotium pacis & fidei, Dei ſit cauſa quam agimus, & ſpirituale in hoc duntaxat commodum attendamus. Verùm quia nobis quid ſuper hoc magis expediat negotio memorato, fieri non potuit plena fides : Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Tornacenſi, Apoſtolicæ ſedis Legato damus noſtris literis in mandatis vt vocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & alijs Eccleſiarum Prælatis, qui in ſua legatione conſiſtunt, & cum eis tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper prorogatione termini de transfretando in ſubſidium terræ ſanctæ quam ijdem Rex & Regina pro te à nobis fieri poſtularunt, & eorum circunſtantijs vniuerſis deliberatione habita diligenti, conſilium quod ſuper iis datum fuerit, nobis ſtudeat ſuis litteris fideliter intimare, vt procedamus exinde prout ſecundùm Deum videbimus meliùs expedire. Ipſius itaque habita reſponſione Legati ſic Deo propitio in præmiſſo negotio procedemus, nihil de contingentibus obmittendo, quod Deo pro poſſe ſatisfaciemus & homini, & tua deuotio poterit non irrationabiliter acceptare. Tu autem in noſtra & Eccleſiæ Romanæ deuotione ac fidei puritate perſiſtas, cùm poſſis firmiter credere ac ſperare quòd tibi ſit deuotionis & fidei tuæ ſyncericas reſponſura. Datum Reate IV. Nonas Martij, Pontificatus noſtri anno quinto.

EIVSDEM

Epiſcopo Tornacenſi.

Ann. Chr. 1231. d. 12. Mar.

Hortatur Legatũ vt beneuolè ſe gerat erga Comitem.

LVII. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Tornacenſi, Apoſtolicæ ſedis Legato, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Et verbera Patris & vbera matris Apoſtolica ſedes habere dinoſcitur, dum & patris rigorem obſeruat & matris

Anno 1180.

Episcopi Cathenses.

1181. GUillelmus Archiepiscopus Bracarensis Primas, Hispaniæ, Ecclesiæ Dei & sedis suæ Consecrationem Cathenses, & Apostolicum beneficium. Olim Cathenses Episcopi Archiepiscopo Bracarensi subjecti erant, ut ex Concilio Bracarensi III. Can. 4. manifestum est. Postea vero, cum in illis partibus Apostolicæ Sedis Legati, sæpe ad Concilia celebranda, & Ecclesiastica negotia tractanda, ab Imperatore ipsi mittebantur, ut ex Concilio Silicensi, quo post pauca tempora celebratum fuit, patet, Cathenses Episcopi, ut Archiepiscopo Bracarensi non subderentur, Apostolicæ Sedi immediate subjecti fuerunt. Hoc confirmat Ecclesiæ Cathensis Sedis Privilegium, quod Lucius III. Papa Guillelmo Archiepiscopo Bracarensi dedit, in quo Papa præcedentium Sedis Apostolicæ Pontificum privilegia confirmat, & quæ ad Cathensem Ecclesiam pertinebant, ei

quâ gaudent Parisienses scholares, perpetuò Magistri scholares Tholosæ, & omnes qui eis successerint in hac parte, gaudeant libertate ipsis duximus concedendum.

Statuta quædam.

Statuimus nihilominus, vt ciues Tholosani domos vacantes ad inhabitandum scholaribus pro|competenti pretio taxando à duobus Clericis & totidem laïcis, viris discretis, Catholicis, & iuratis, communiter electis ab ipsis locare cogantur.

Sancimus præterea quòd nulli Magistri, & scholares, vel Clerici ac seruientes eorum, si, quod absit, contigerit eos in quocunque maleficio deprehendi, ab aliquo laïco iudicentur, vel etiam puniantur, nisi forsitan iudicio Ecclesiæ condemnati, seculari curiæ relinquantur; & vt laïci teneantur studentibus in ..... coram Ecclesiastico iudice respondere secundùm consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ.

Nec non & vt tu, Comes Tholosane, Balliui tui, & Barones terræ, securitatem & immunitatem sub iureiurando promittere compellamini personis & rebus scholarium, ac etiam nuntijs eorundem; & à vestris subditis illud idem fieri faciatis. Et si qui eos, vel eorum nuntios in terris vestris pecunia vel rebus alijs spoliauerint, vos vel emendari faciatis, vel etiam emendetis.

Ad hæc & tu cùm in reformatione pacis te obligaueris præfato iuramento, vt certum salarium vsque ad certum tempus, certo numero Magistrorum exsoluas, statuimus vt illud sine qualibet diminutione persoluas vsque ad terminum constitutum, & plenariè satisfacias de subtractis. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus attentiùs ac monendam, per Apostolica tibi Scripta mandantes, quatenus Magistris & scholaribus supradictis te fauorabilem exhibeas & benignum, statuta præfati Electi illibata conserues, & ab omnibus tuæ iurisdictionis subiectis facias firmiter obseruari. Datum Laterani pridie Calendas Maij, Pontificatus nostri anno septimo.

Digitized by Google

EIVSDEM

Ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Prouincia conſtitutos.

Ann. Chr. 1234. d. 13. Ianu.

LIX. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Viennenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis Legato & alijs Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Prouincia conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm dilectus filius nobilis vir Comes Tholoſanus nuper redierit ad Apoſtolicæ ſedis gratiam, ita quòd deuotionis alumnum ſe reputat, & Eccleſiæ Romanæ filium ſpecialem; per vos eum exaſperari non expedit, ſed ſemper in Deum potiùs confoueri, vt idem ſentiens affectum in membris, quem cognoſcit in capite Eccleſiæ, in dulcedine delectatus ad deuotionis augmentum ampliùs inardeſcat. Quare Fraternitatem veſtram monemus, per Apoſtolica ſcripta vobis mandantes, quatinus in benignitate proſequentes eundem, ſibi vos exhibeatis, quantum cum Deo poteritis, fauorabiles & benignos; neque ſitis, ſicut nec conuenit, proni vel faciles ad ferendum in perſonam ſuam excommunicationis ſententiam, vel ad ſupponendum interdicto Eccleſiaſtico terram eius; cùm inter alia Prælatos potiſſimùm deceat maturitatem & grauitatem in ferendis huiuſmodi ſententijs obſeruare: mandatum noſtrum taliter impleturi, quòd ipſe manſuetudinem in vobis ſe gaudeat inueniſſe, & nos debeamus vos exinde meritò commendare. Datum Laterani Idibus Ianuarij, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Mandat vt benignitatē Comiti exhibeant, nec facilè in eum excommunic. ferant ſententiam.

GREGORII P. IX. *Comiti Toloſano.*

Ann. Chr. 1234. d. 15. Ianu.

LX. GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio nobili viro Comiti Tholoſano, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Reputantes Eccleſiæ Romanæ te ſpecialem filium & deuotum, ac ad perſonam tuam patris gerentes affectionem, petitionibus tuis beni-

Cauſā adfert cur Comiti terram Venaſcenſē non reſtituerit.

gnum aſſenſum, quantum cum Deo poſſumus, impertimur. Vnde ſi quando preces tuas non admittimus, credere potes & debes rationabilem cauſam ſubeſſe, propter quam à pietate paterna quod filius poſtulat deuotè, non impletur. Cùm itaque in terra Venaſcenſi, pro qua tibi reſtituenda nobis per literas & nuntios ſupplicaſti, multi ſe ius habere proponant, & nos ex officij noſtri debito teneamur cuilibet iuſtitiam ſuam conſeruare, ad præſens ſuper hoc deliberare nequiuimus, nec tibi certum aliquid reſpondere. Vnde ei, qui tibi contra prauitatem hæreticam fidei ſuæ feruorem inſpirauit & zelum, laudes & gratias exhibentes, & tuæ commendantes ſinceritatis affectum, nobilitatem tuam monemus & hortamur attentè, ac tibi conſulimus, quatinus id indefeſſo proſequaris ſtudio pietatis pro exaltatione puritatis Catholicæ, & ſis, ſicut laudabiliter incœpiſti, ſollicitus in Romanæ Eccleſiæ dilectione immobiliter perſeuerare. Nos enim, cùm deuotionis continuatio te ampliùs reddit fauorabilem & acceptum, eò magis in his quæ cum noſtra poſſumus honeſtate, parati ſumus fauorem tibi & benеuolentiam exhibere. Datum Laterani XVIII. Kal. Feb. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

CHRONICON

CHRONICON FONTANELLENSE.

COMMEMORATIO Genealogiæ ARNVLPHI Episcopi, & VVANDREGESILI Nepotis eius.

ANSBERTVS, qui fuit ex genere Senatorum, vir nobilis, & multis diuitijs pollens, accepit filiam *Lotharij* Regis Francorum nomine *Blithild*, & habuit ex ea tres filios, & vnam filiam. Primogenitus eius *Arnoldus*, secundus *Feriolus*, tertius *Modericus*, quarta puella *Tarsicia*. E quibus Feriolus Episcopus in Vtcecia ordinatus est, ibique martyrio coronatus quiescit in pace; vbi multa per eum miracula fiunt. Modericus frater eius similiter Episcopus in Arisido ordinatus est, atque ibi quiescit in pace. *Tharsicia* virgo Dei in virginitate perseuerans, Rodonis quiescit: quæ etiam fertur mortua mortuum suscitasse. Porrò Arnoldus genuit *Arnulfum* Episcopum: Arnulfus genuit *Flodulfum VValchisum*, & *Anchisum*, fratres eius: VValchisus quoque genuit *VVandregesilum* Confessorem Domini. *Flodulfus* genuit *Martinum*, quem interfecit Ebroinus Ertcriaco Palatio. Anchisus Dux genuit *Pipinum* Seniorem & Ducem. Pipinus Senior & Dux genuit *Karolum* Seniorem & Ducem. Iterum Karolus Senior & Dux genuit *Pipinum*, quem Stephanus Papa consecrauit & benedixit in Regem. Pipinus Rex genuit *Karolum* glorioſum Cæsarem, quem Leo Romanus Pontifex consecrauit & vnxit in Imperatorem in Ecclesia B. Petri Apostoli die Natalis Domini IESV Christi. Karolus Imperator genuit *Ludouicum* pijssimum Augustum: Iterum Ludouicus pijssimus Augustus genuit tres filios ex *Irme-*

garda Regina, id est *Lotharium*, *Pipinum*, & *Ludouicum*: ex *Iudith* verò Imperatrice genuit *Karolum* glorioſum Regem. Poſt mortem verò Ludouici pijſſimi Imperatoris *Lotharius* (ante obitum patris decem & octo annis vnctus ad Imperatorem) contra fratres ſuos, id eſt Ludouicum Regem Baioariorum, & Karolum, exercitum duxit, adiuncto ſibi Pipino cum Aquitanorum populo, in pago Autiſiodorenſi, in loco qui vocatur Fontanetũ. In quo Franci cum omnibus nationibus ſibi ſubiectis mutua ſe cæde proſternentes, ad vltimum Ludouicus & Karolus Lothario fugato triumphũ adepti ſunt. Poſt cruentiſſimum verò prælium pace inter eos facta, diuiſerunt inter ſe Francorum Imperium. Et Lotharius quidem accepit regnum Romanorum, & totam Italiam, & partem Franciæ Orientalem, totámque Prouinciam. Ludouicus verò præter Noricam quam habebat, tenuit regna quæ pater ſuus illi dederat, id eſt Alemanniam, Thuringiam, Auſtraſiam, Saxoniam, & Auarorum, id eſt Hunorum, regnum. Karolus verò medietatem Franciæ ab occidente, & totam Neuſtriam, Britanniam, & maximam partem Burgundiæ, Gotiam, VVaſconiam, Aquitaniam, ſubmoto indè *Pipino* filio Pipini, & in Monaſterio S. Medardi attonſo. Qui poſtea inde per fugam elapſus, Aquitaniam regreſſus, multo tempore fugiendo ibi latuit, iterúmque à Ranulfo Præfecto per fidem deceptus comprehenſus eſt, & ad Karolum̃ adductus apud Siluanectum perpetuo eſt exilio detruſus.

Lotharius verò ex *Irmegarda* filia Hugonis tres filios habuit, id eſt *Ludouicum*, cui regnum Romanorum & Italiam tradidit: alterum autem *Lotharium*, cui ſedem Imperialem reliquit: tertium verò *Karolum*, cui Prouinciam gubernandam dimiſit. Deceſſit quoque Lotharius anno Incarnationis Domini noſtri IESV Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quinto, Imperij ſiue Regni ſui XXXIII. Poſt eius obitum Karolus filius eius, qui Prouinciam gubernabat, anno octauo moritur. Deinde Ludouicus Imperator Romanorum, & Lotharius fratres Regnum eius, hoc eſt Prouinciam, inter ſe diſpertiunt. Ludouicus autem Rex Noricorum, id eſt Baioariorum, Ludouici Imperatoris filius, anno Incarnationis Domini IESV DCCCLXV. poſt feſtiuitatem Paſchalem Regnum

Digitized by Google

ſuum inter filios diuiſit. *Karolomanno* quidem dedit Noricam, id eſt Baioariam, & Marcas contra Sclauos, & Longobardos. *Ludouico* verò Turingiam, Auſtraſios, Francos, & Saxoniam dimiſit. *Karolo* quoque Alemanniam & Curuallam, id eſt Comitatum Cornugalliæ reliquit. Ipſe tamen Ludouicus ſuper filios ſuos feliciter nunc principatum tenet anno Incarnationis Domini DCCCLXIX. Et poſt hæc obijt Ludouicus Rex anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXVI. cùm regnaſſet annis LIV.

Karolus autem Rex Occidentalium Francorũ anno XXXVI. regni in Italiam pergens, orandi cauſâ ad limina Apoſtolorum peruenit, ibique à cuncto populo Romano Imperator eligitur & à Ioanne Papa in Imperatorem conſecratus VIII. Kal. Ianuar. anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXV. indè in Galliam proſperè reuerſus eſt. Anno quoque Regni ſui XXXVIII. & Imperii tertio inchoante, in Italiam iterum perrexit, & colloquio Ioannis Papæ vſus, in Galliam reuertens, tranſcenſo Ciniſo monte, præſentis luminis caruit viſu III. Nonas Octobris, Indictione X. anno Domini noſtri DCCCLXXVII. Cui ſucceſſit in Regno filius eius *Ludouicus*. Deinde anno regni ſui ſecundo necdum expleto, iſdem Ludouicus obiit Compendio Palatio V. Idus Aprilis, Indictione XII. anno Domini DCCCLXXIX. Deinde filii eius *Ludouicus* & *Karolomannus* Regnum eius inter ſe diſpertiunt. Prædictus verò Rex Ludouicus in pago VVimniaco cum Normannis bellum gerens, triumphum adeptus eſt, & non multò poſt obiit pridie Nonas Auguſti, anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXI. Indictione XV. Regnauit annos duos, menſes tres, dies XXIV. Cui ſucceſſit in regno frater eius Carolomannus. Regnauit annis tribus, & diebus ſex. Deinde in Evvelina ſaltu in Monte-Aërico à fera ſingulari percuſſus eſt. Obiit anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIV. Indictione ſecunda, VIII. Idus Decembris. Deinde Karolus Rex Suauorum, filius Ludouici Regis Noricorum, Monarchiam totius Imperii Francorum & Romanorum aſſumit anno Verbi incarnati DCCCLXXXV. Indictione III.

INCIPIVNT GESTA SANCTORVM PATRVM FONTANELLENSIS COENOBII.

CAPVT I.

1. IGitur ab almificæ memoriæ Patre noſtro, ac omni honorificẽtiâ nominando, egregio Chriſti Domini Sacerdote *VVandregiſilo*, qui & *VVando*, priſcorúmque Patrum titulis nõ mediocriter coæquando, vt imperata poſtulant, initium orationis incipiam, videlicet vt à quo exordium noſtri cœpit Cœnobii, ab ipſo etiam noſtræ orationis ſermo ſumat initiũ: Omiſſis videlicet cõuerſationum ac magnarum virtutum operibus, quæ in prolixioribus de eo geſtis olim memoriæ mãdata ſunt, nunc breui oratiuncula, ne legentium fiant oculis oneroſa, ea tantùm quæ de eiuſdem clara origine, ſeu moribus honeſtis, ac conuerſatione Angelica comperta habemus, aut qualiter hoc *Fontanellenſe* Cœnobium ædificauerit, quótque in eo annis fuerit, quo etiam tempore, vel ſub quibus Principibus agone expleto glorioſiſſimam victoriam potentiſſimo Chriſti ſub auxilio reportarit, huic operi inſerenda fore credimus.

2. Hic nempe vir Domini, vt breuiter nonnulla perſtringam, ex nobiliſſimis Francorũ ac ditiſſimis natalibus oriundus, territorio Vereduni caſtri, nobiliorem ſe ſplendidæ vitæ moribus, ac caſtæ conuerſationis exemplis inſignem exhibuit. Huius genitor *VValchiſius* nũcupatus nomine, vt veracium didicimus traditione Seniorum, patruus glorioſiſſimi *Pipini* Ducis Francorum filij *Anſchiſi* extitit. Denique idem vir Domini adoleſcentiæ dum polleret ætatis in annis, atque in Aula glorioſiſſimi Regis *Dagoberti* nobiliſſimè militaribus negociis, ac Aulicis diſciplinis educaretur, ab eodem Rege Comes Palatij conſtitutus; ac deinde Ducatus officio mancipatur. Deinde parentum hortatu licet inuitus vxorem duxit. Quâ poſt paululum vnanimi caſtitatis voto relictâ, comáque capitis depoſitâ Clericus effectus, ſpretíſque omnibus, anguſtum ingreſſus eſt callem breui tempore finiendum.

Digitized by Google

3. Igitur ad locum qui vocatur Monsfalconis ſecedit, cuidam magnarum virtutum viro, cuius nomen modò memoriæ non occurrit, adhærens, plurimúmque temporis cum eo conuerſatus, innocentis vitæ admirabilis cultor comprobatur. Indè à Rege præfato accerſitus, atque ad Regiam domum properare iuſſus, pro habitus mutatione increpatus primò, ſed pòſt honorificè proſecutus : ſicque cum Regia auctoritate reuerſus, quodam in loco Cellulam ſuæ vocationi condignam ædificat, aliquantum temporis in ea degens. Ibi námque actibus, ac ſacræ doctrinæ verbis exornatus ceu lampas refulgebat accenſa. Exinde ob gratiam vitæ contemplatiuæ egrediens, ac viſitatione locorum Sanctorum ſummum habens deſiderium, veluti apis prudentiſſima floſculos diuerſi generis carpere ſatagebat, vt dulcia pòſt caperet mella. Denique Alpium iuga tranſcendens, lætúſque peregrinationem aggreſſus, cum tribus pueris & aſello Italiam ingreditur, atque ad Bobienſe Cœnobium ſicuti reuelatione didicerat accedit. Quod Beatus Pater *Columbanus* Scotici generis olim à Theodorico Rege Galliâ expulſus, atque ab Agilulpho Longobardorum Rege Italiâ honorificè ſuſceptus, eius permiſſu ædificauerat.

4. Hoc ergo Cœnobium Beatus Pater *VVandregiſilus* audiens, quòd à diſcipulis præfati Patris Columbani incolebatur, causâ hoſpitalitatis ad vitæ arctioris explorandam ſemitam, aliquandiu ibidem commoratur. Ex eo loco exemplis innocentis vitæ inſtructus egrediens, Galliarum terras repetit, atque monaſterium quoddam, cuius vocabulum eſt Romanis citra ſaltum Iurenſem conſtructum adit, ibíque ſub inſtitutione regulari multum temporis nobiliſſimè Domino militauit. Eodem loco deſerto, cognitâ vitâ atque famâ magni Præſulis Audoeni, qui tum temporis ſedem vrbis Rothomagenſis adeptus, verbum immortalitatis ſuis ciuibus adminiſtrabat, fideíque Catholicæ fautor, paritérque præceptor, barbaricas ac indomabiles eorum mentes nectare Euangelicæ doctrinæ debriabat, atque gnaram bene credere gentem docebat, ſedulíſque exhortationibus Chriſtum Dominum Deum eſſe colendum monſtrabat : ipſum adijt, ſummáque cum reuerentia à præfato venerabili Antiſtite ſuſce-

ptus est, secúmque aliquandiu in vrbe tenuit. At verò ipse egregius Domini cultor districtiorem desiderans vitam eremi secretis ducere, mundanósque fugiens semper honores, vt cum Rege Christo cælestes possit habere gazas, licèt renuens, ab antefato Euangelico Episcopo Presbyteratus est ordine consecratus. Deinde hortatu præfati Præsulis, ac possessionem terræ largiente *Erchinvvaldo* Præfecto domus Regiæ *Clodouei* iunioris Regis filij *Dagoberti* glorioſissimæ memoriæ, hoc *Fontanellense* Cœnobium, vnà cum venerando nepote suo *Godone* nouo opere constituit.

Cõdit Cœnobiũ Fontanellense.

5. Erat autem præfatus *Erchinoaldus* Maior domus Regiæ, insignis bonitate, ac eleemosynarum largissimus: qui post transitum bonæ recordationis scilicet præfati Dagoberti Regis, præfecturæ ordinem, ac curam maximam Regni Francorum etiam cum filio suo *Clodoueo* & *Batile* * Regina nobiliter administrauit. Sub huius *Clodouei* Regis tempore præfatus Patricius possessionem, quæ vocatur Botmarias *, quam nuper à quodam homine nomine Rotmaro per venditionis titulum emerat, locúmque ad construendum Cœnobium situm prope ciuitatem Rothomagensem quindecim millia, in valle amœnissima, saltu, cuius vocabulum est *Gemmeticus*, vndique circundatum (in ipso saltu ædificatum est Cœnobium à B. Philiberto, quod vocatur *Gemmeticum*) per venditionis titulum *Godoni* contradidit. Quo etiam tempore fundamenta eiusdem exordium ædificationis sumpsisse probantur. Sed quia ista de exordio illius prælibauimus, nunc de situ ipsius pauca videamus.

* Balhilde

* Bothmariacas.

6. Situs quippe eiusdem Cœnobij huiusmodi fertur esse. A tribus enim plagis, id est à Septentrionali, Occidua, atque Australi, montibus arduis ac frugiferis, Bacchíque fertilissimis, siluisque est obsitum condensis. Ab Oriente item habet fontem vberrimum, qui ab ortu suæ emanationis per millia spacia passuum plus minúsue mille trecentorum manat: sicque cursu suo expleto, in alueum Sequanam influit ad meridianam eiusdem Cœnobij plagam. Ab Occidente item ibi fluuius est mirabilis in Aquilonari eiusdem Cœnobij plaga ab imo progrediens, atque in meridiana Geon prædicti aluei profunda se demergens. Inter hæc duo mirabilia flumina

Descriptio loci vbi Cœnobium constructũ est.

Digitized by Google

prata eiuſdem Cœnobij ſunt amœna atque irrigua. Quia admirabilis *VVandregiſili* atque venerandi Patroni noſtri ſolertia inutilia quæque ablata vireta, militúmque Chriſti eiuſdem Fontinellenſis Cœnobij degentium ſudore ſolo coæquata, eorumdem neceſſitatibus aptiſſima ſunt reddita. Ab auſtro item maximus fluuiorum Geon, qui & Sequana, commercijs nauium glorioſus, abundantiâ piſcium præſtantiſſimus, diſtans ab eodem Cœnobio paſſus octingentos. In quo ſcilicet fluuio ex infinito Oceano ſiue mari Britannico bini æſtus diurno nocturnóue tempore ſibimet inuicem compugnantes occurrunt: vt verſa vice alueus potiùs retrorſum conuerti quàm ad ima videatur fluere. Talíque cum impetu tempore Malinee accedunt, vt ſuper millia quinque aut eò ampliùs & ſonitus murmuris eius humanas repercutiat aures, & aſpectibus intuentium ceu farus altiſſimè lympham eiuſdem penetret aluei. Talíque impetu per meatus prædictorum duorum fluminum, pérque prata illis contigua ceu Nilus Ægyptiacus per ſpatia paſſuum plus minúſue octingentorum ad murum eiuſdem accedunt Cœnobij, finitóque conflictu in Oceanum infuſi * vndè venerant reuertuntur. Locus autem ipſius Cœnobij tam fertilis támque iucundus exiſtit, vt cùm quis illic aduenerit, inter pomorum nemora & hortorum amænitate virentia, in hæc protinus ei liceat prorumpere verba: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël!* Vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus quaſi cedri prope aquas. Erat námque iſdem locus, in quo ipſum Fontinellenſe Cœnobium noſcitur ædificatum, veprium aſperitate, ac ſpinarum denſitate, viretorúmque inutilium ac paludum immenſitate inacceſſibilis. In quo magis latibula latronum ac luſtra ferarum, quàm habitatio videbatur hominum. Hunc locum pretioſiſſimus VVandregiſilus, ac ante fatus ipſius nepos Venerabilis Godo, à prædicto Patricio ſibi indultum ſtatuerunt cum alijs nonnullis militibus Chriſti primò precibus orationibúſque à priſtina flagitiorum ſorde purgare, ac inutilia quæque euellendo proijcere, demúmque fundamenta Cœnobij iacere, vt iuxta prophetiam Eſaiæ; *In cubilibus, in quibus priùs habitabant dracones, oriretur viror calami ac iunci*: id eſt, fructus bo-

* refuſi.

norum operum ibi nascerentur, vbi priùs vel bestiæ commorari, vel homines bestialiter viuere consueuerant. Cœptum est autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo quinto, sub die Calend. Martiarum, Indictione III. qui erat annus *Clodouei* iuuenculi præfati Regis vndenus, Pontificante sedem Romanæ Ecclesiæ anno VII. Summo Præsule Beatissimo Papa Martino III. porrò Constantino tertio Romani Imperij apicem gubernante anno IV. Quod tam solerti studio summáque industriâ perfectum est, vt penè illo in tempore Galliæ Belgicæ seu Neustriæ terris singulare esset.

Cœnobiũ Fontanel. fundatum an. 645.

7. Ædificauit ergo præfatus admirabilis in eodem loco Basilicam in nomine Beatissimi Principis Apostolorum Petri, quadrifido opere ducentos nonaginta pedes habentem in longitudine, porrò in latitudine triginta septem. Alteram denique in honore Doctoris Gentium Beatissimi Vasis electionis Pauli mirandi operis. Tertiam verò in veneratione clari Martyris Christi Laurentij. Misit autem jsdem venerandus Pater, dum huic operi insisteret, ante fatum carissimum nepotem suum *Godonem* ad vrbem Romuleam propter pignora Beatissimorum Apostolorum & Martyrum Christi, vt ædificatas Basilicas in promptu haberet reliquias quas imponeret. Qui votis pij Patris libentissimè parens, Alpium iugis transcensis Romam adijt, *Vitaliano* Papa eodem tempore pontificante sedem eiusdem Ecclesiæ: atque acceptam maximam reliquiarum copiam Apostolorum ac Martyrum Christi, quas etiam dinumerare laborioſum est, rediens secum detulit, necnon & volumina sacrarum scripturarum diuersa veteris ac noui Testamenti, maximéque ingenij Beatissimi atque Apostolici glorioſissimi Papæ Gregorij. Quæ omnia jsdem venerandus, ac cum omni honorificentia nominandus Beatissimus Pater ac Christi famulus *VVandregisilus* venerabiliter susceptit, accersito etiam magno Præsule Rothomagensis Ecclesiæ *Dadone*, præfatas Ecclesias quas ædificauerat vt consecraret, simúlque pignora, quæ antefatus *Godo* cum eius auctoritate Romæ petierat, Christi imponeret aris, supplex exorat. Quod ita à præfato Præsule vt petierat impletum est. Diligebat enim illum jsdem Pontifex dilectionis

feruore

Digitized by Google

seruiore eminentissimo, ita vt frequenter ab vrbe egrediens eum inuiseret, ac dulcia colloquia cum eo haberet, dignáque Deo consulta vterque susciperet: Pontifex videlicet clarus ab egregio Presbytero ac agonista perspicuo, isdémque Christi miles à glorioſissimo Præsule: monstrantur vsque hodie lecta eorumdem Christi militum, ac precioſi Philiberti Gemmeticensis Cœnobij Patris, in destina quadam iuxta Basilicam almi Confessoris Christi Amantij, Ruthenæ quondam ciuitatis Præsulis, in quibus sancta membra post almificam collationem *, quieti dare consueuerant; necnon & humillimæ sellæ, quibus consedere inter sacra collocutionis verba soliti erant. Quorum denique oratio non alia erat, quàm de regno Dei, de Paradisi delicijs, & de gehennæ supplicijs, de iustitia quoque, fide, & caritate, ac patriæ salute, simúlque pace omnibus prædicanda, mundique illecebris respuendis. Est autem hæc sacra ædicula haud procul à præfato Fontinellæ Cœnobio sita, mille circiter sexcentorum passuum ad plagam distans meridianam. Hanc jsdem clarissimus Pater quodam Diacono suo atque Monacho nomine Sindardo pignora præfati Confessoris Christi Amantij de Ruthena vrbe, in qua ipse venerabiliter quiescit humatus, perferente, ædificauit.

* collocutionem.

8. Sed quia de situ loci, & aduentu viri sancti aliqua tetigimus, opportunum videtur, vt qualis fuerit antiquitus locus, cuiúsue ante accessum illic seruorum Christi possessio, pleniùs intimemus. Erat nempe possessio cuiusdam hominis nomine *Rothmari*, quæ largitione clari Regis Dagoberti sibi indulta fuerat. Cuius auctoritas largitionis adhuc in scrinijs Priuilegiorum nostri Cœnobij conseruata tenetur. Acta fuerat anno decimo quinto prædicti Principis, IV. Non. Martiarum die, Compendio Palatio Regio. In ipsa námque largitione continetur, quòd præfatus Rothmarus locum Botmariacensem, saltum præscindendo, indultu Regis habitabilem reddiderit. Molendinum quoque super fluuio Fontinella priscorum accolarum neglectu in ruina positum, nouo opere reædificauerit. Defuncto autem Dagoberto Rege post annos decem & nouem idem Rothmarus Clodoueum iuuenculum Regem filium supradicti Principis adijt, vti suam iuberet patrari, & patris sui confirmaret auctoritatem de locis

Quis loci Fontanel. antiquitus possessor fuerit.

Digitized by Google

prædictis sibi concessis : quod ita vt petierat impletum fuisse constat. Statim denique à *Radone* Scriptore Regalium Priuilegiorum, Gerulóque annuli Regij, edita est iussu eiusdem Regis & matris suæ *Nanthildæ*, quæ cum eo Regnum tenebat, auctoritas confirmationis; vt veluti patris sui tempore, ita in postmodum ex sua indulgentia perenniter valeret possidere. Edita est hæc confirmatio pridie Nonas Februarias anno primo præfati Regis, Nantoilo Palatio, & directa *Teutgisso* Domestico & Custodi saltuum villarúmque Regalium, necnon & *Radulpho* Comiti Rothomagensi, vt licitum foret ipsi Rothomaro easdem res quieto ordine possidere : nam & ipsa auctoritas in hoc Cœnobio adhuc seruatur. Acta est prima largitio à Dagoberto Rege ipsi Rothmaro anno circiter trigesimo ante aduentum Beati Patris *Vvandregisili* in hanc regionem. Defuncto autem Rothmaro, remansit filius eius Amantius * in pueritiæ vel adolescentiæ annis. Quo tempore *Erchinoaldus* Maior domus Regiæ à prædicto Airamno commutauit supradicta locella, data eidem in territorio Veliocasino alia pro ipsis, vnde pater eius Rothmarus carnis originem duxerat, quorum nunc nomina memoriæ non occurrunt. Sequenti quoque tempore *B. Vvandregisilus*, & nepos eius venerabilis vir *Godo*, prædicto Patricio sub titulo pretij eadem eis locella largiente, & Domino cooperante, adepti sunt, sub anno vndecimo prædicti Regis, die Calendarum Martiarum, Indictione ... Acta erat in Compendio Palatio. Dehinc anno subsequenti & petita & acta est confirmatio præfati Regis super eisdem locellis, porrectáque à *Radone* Scriptore auctoritatum Regiarum, Gerulóque annuli Regij, prædictis patribus strenuis. Edita fuit anno duodecimo sæpefati Regis Compendio Palatio Regio, Kalendarum Martiarum die, congregatis Francorum populis in Campo Martij, vbi omnibus annis conuenire soliti erant, veluti omnibus notum est.

* Airãnus.

Digitized by Google

Gesta BAINI *Episcopi Taruanensis, & Rectoris Fontanellensis Cœnobij.*

CAPVT II.

1. BAINVS Episcopus de ciuitate Tyroanda quintus ab almifico ac cum omni honorificentia nominando protectore nostro clarissimo Sacerdote *Vvandregisilo* regimen assumit Cœnobij, ab anno videlicet septimo *Hiliberti* * gentis Francorum Regis, & XIII. *Sergij* Papæ vsque ad decimum quintum eiusdem Regis annum, & *Ioannis* Apostolici secundum, qui fuit octogesimus octauus à Petro Apostolo, Exarchatus autem *Pipini* filij Ansegisili XXI. Dominicæ autem Incarnationis DCCVI. Indictione IV. per annos nouem. Sub huius denique tempore præfatus Pipinus glorioſissimus Dux *Floriacum* Cœnobium vnà cum nobili coniuge sua *Plectrude* ædificat, quod situm est in pago Veliocassino *, anno nono *Hiliberti*, qui erat Exarchatus sui annus vigesimus tertius, Dominicæ autem Incarnationis septingentesimus octauus. Ipsúmque Bainum RECTOREM ibi præfecit, plurimámque turbam Monachorum adunauit. Ipsum autem Monasterium huic Cœnobio contradidit. Occasioni autem ædificationis præfato Cœnobio idcirco fuit, quoniam isdem Princeps per inuidorum consulta admirabilem Ansbertum de sede ROTHOMAGENSIS Ecclesiæ expulerat, atque ad exilium direxerat, in quo isdem agonista diuinus ad æternam migrauerat requiem. Cúmque præfatus Princeps multas sanitatum virtutes audiret ab eo fieri, reminiscens culparum suarum, ob eiusdem militis Christi amorem ac reuerentiam, simúlque vt indulgentiam mereretur accipere, hoc Cœnobium ædificauit, vnáque cum omnibus rebus suis huic Cœnobio Fontinellæ perpetualiter tradidit possidendum. Sed de hoc Monasteriolo qualiter in potestatem ipsius glorioſissimi Ducis Pipini redactum fuerit, declarabo.

* Hildeberti.

* Velocassino.

2. Hic namque locus possessio fuerat antea cuiusdam illustris viri, cui nomen erat *Fraericus*, qui ipsum Floriacum li-

Digitized by Google

cet modico opere in ſuo proprio à fundamentis conſtruxit in honorem S. Annæ *, S. Petri, & S. Aniani, & Xenodochium decem pauperum ibi conſtituit, vbi largitus eſt duas partes de ipſo Floriaco ; Similiter de villa alia quæ dicitur Salcidus, & Garnapium * qui dicitur Fuſcinocurte ; Et de Fontanido tertiam partem, necnon & alia prædia. Quod actum eſſe conſtat ſub anno quinto regnante *Theoderico* Rege. Sequenti quoque tempore dum Pipinus Princeps ſingularem Francorum Principatum obtinuiſſet, ſuperato Theoderico Rege, & Berthario Maiore domus, ſæpedictus Fraericus prædictum Floriacum eidem contradidit, ea videlicet ratione, vt in maiori elegantia ipſum locum ſublimaret, ac Monachorum Congregationem ibidem conſtitueret : quod ita & factum eſt. Denique euocatum ipſum venerabilem Patrem idem Princeps hoc Cœnobium ædificare iuſſit, Rectoremque conſtituit, ſicut in largitione quam de ipſo locello huic monaſterio edidit, ſcriptum fore conſtat. Sic enim inter cætera inſertum illic reperitur : *Vbi conſtituimus virum ſtrenuum & Dei cultorem Dominum Bainum ipſum Rectorem Monaſterij Fontinellenſis, ea videlicet conditione, vt ex præfato Monaſterio Fontinella poſt receſſum eiuſdem Baini, ipſi Monachi in ipſo Floriaco Cœnobio conſiſtentes omni tempore Rectores & Gubernatores habeant, & ſub eorum ditione noſtris & futuris temporibus permaneant, & ſub noſtra ac hæredum noſtrorum defenſione ipſa loca perenniter tuenda conſiſtant. Actum eſt anno duodecimo, regnante Hildeberto * Rege.* In quo Conuentu interfuit idem glorioſiſſimus Princeps, & nobilis coniunx eius *Plectrudis*, filiíque eorum *Drogo*, & *Grimoldus*, Grippo, & alij plurimi nobiles viri. Largitus eſt autem anno Hildeberti Regis nono ibidem villam, cuius eſt vocabulum Taricinus, quæ ſita eſt in pago Belloacenſi, ipſo die tertio Nonarum Martij, Indictione ſecunda.

* Matiæ

* Gamapiũ

* Hilderico

Anno verò vndecimo præfati Regis, Vvalmonem villam, quæ ſita eſt in pago Belloacenſi, & Luciniacum in territorio Vilcaſinenſi, eidem delegauit Cœnobio ſub die decimo Kalendarum Nouembrium.

Anno decimo tertio præfati Regis contulit ipſi Cœnobio idem inclytus Dux villam cuius eſt vocabulum Mala, ſitam in pago Madriacenſi, die xv. Kalend. Auguſti, feriâ quintâ, Indictione ſexta.

Digitized by Google

Eodem ānno præfatus glorioſiſſimus Dux Gamāpium villam, quæ ſita eſt in pago Vilcaſino, contradidit ipſo die Idus Aprilis, feriâ quintâ, Indictione ſexta.

Anno vndecimo iam ſupra ſcripto præfatus Exarchus dedit eidem Monaſterio villam, cuius vocabulum eſt Eccleſiola, ſitam in pago Ebroicino, Kalend. Martiarum die, Indictione IV. feriâ quartâ. Bannagam inſulam anno decimo regni ſui idem Hildebertus Rex præfato Præſuli Baino, & eidem Cœnobio contradidit.

Anno duodecimo eiuſdem Regis præfatus Princeps Pipinus Fontanidum villam ipſi Cœnobio largitus eſt. Huic admirabili Præſuli largitus eſt præfatus Hildebertus Rex villam quæ vocatur Adpiecum *, quæ ſita eſt in pago Pinciacenſi ſuper alueum Sequanam, vnà cum adiacentijs ſuis, Nouitianus, Curbania, Albachahan, Nido, Terrælido *, cum illis præſtarijs * quinque, anno decimo regni ſui, qui erat Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus & quartus, Indictione ſecunda, decimo tertio Kal. Nouembris, feriâ ſecundâ.

* Alpiecū.

* Terrenlido.

* foreſtarijs

Anno ſexto eiuſdem Regis quidam homo Leutbrandus portionem aliquam de villa, quæ vocatur Panſas, largitus eſt in pago Ebroicino.

Anno ſeptimo Erchenulphus ſimiliter de villa quæ dicitur Vlmoſus.

Anno duodecimo præfati Regis Greſſus villam in pago Tellau Iordanis contulit.

Anno vndecimo Sicbaldus Taunacum villam in Tellau.

Obijt idem Epiſcopus *Bainus* duodecimo Kalend. Iulij.

Hic namque *Bainus* Epiſcopus inter innumera bonitatis ſuæ opera quæ geſſit, etiam corpora Sanctorum *Vvandregiſili*, *Anſberti*, atque *Vvlfranni* in Eccleſiam Beati Principis Apoſtolorum Petri de Baſilica S. Pauli Apoſtoli tranſtulit. Et poſuit quidem Beati patris Vvandregiſili in medium, magni verò Præſulis Ansberti ad lævam, & glorioſi Pontificis Vvlfranni ad dexteram partem in abſida eiuſdem Baſilicæ ad Orientalem plagam. Facta eſt autem hæc ſancta tranſlatio anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo quarto, Indictione ſecunda, pridie Kalend. Aprilis, feriâ ſecundâ. Nam ſolennitas ſancti Paſchæ tertio Kalend. Aprilis tunc

Tranſlatio, corporū Ss. Vvandregeſili, Anſberti, & Vvlfranni 704.

extitit, qui erat annus decimus glorioſi Regis Hildeberti: porrò Ioannis Papæ, qui octogeſimus à Beato Petro Romanam rexit Eccleſiam, annus primus; *Baini* denique Patris prædicti annus quintus, ex quo regiminis aſſumpſerat curam iſtius Cœnobij. Eodem verò in loco, quo B. Vvandregiſilus in prædicta S. Pauli Apoſtoli requieuerat Baſilica, B. Erenbertum Epiſcopum poſuit, qui antea in inferiori loco eiuſdem Eccleſiæ ſubter arcubus tumulatus, annis plus minúſue triginta tribus requieuerat, die trigeſimo primo poſt tranſlationem prædictam, condidítque ſuper eum repam argento decoratam. Requieuit igitur B. Vvandregiſilus in eadem S. Pauli Baſilica annis circiter quadraginta: inclytus autem Præſul Ansbertus annis nouem; Sanctus verò Archiepiſcopus Vvlfrannus annis vndecim. Qui ita inuenti ſunt cum veſtibus ſuis à corruptione illæſi, quaſi eadem die fuiſſent ſepulturæ traditi. Nam ſicuti miniſtrare ſanctis altaribus conſueuerant, ita etiam tumulati fuerant.

Geſta BENIGNI *Diaconi, Abbatis Fontanellenſis & Flauicenſis.*

CAPVT III.

BENIGNVS Diaconus & Monachus à patre nomine Maurino editus, matréque Inga, ordinatione diuina aſſumit Cœnobij curam ab anno decimo ſexto Hildeberti Regis, qui erat annus tertius Ioannis Papæ ſuprà iam taxati, Dominicæ verò Incarnationis ſeptingenteſimus ſeptimus; Indictione quinta. Tenuit huius Monaſterij curam paſtoralem per quatuordecim curricula annorum. Anno autem ab Incarnatione Domini noſtri IESV Chriſti ſeptingenteſimo & decimo ſexto iuſſu Ragenfredi Maioris-domus, ſiue potiùs, quod verius eſt, Tyranni, de regimine Monaſterij proijcitur, & *Vvando* Monachus filius Baldrici eius in loco ſubrogatur per annos tres.

Eodem denique anno venit Radbodus Dux Friſonum nauali ordine vſque Coloniam vrbem. Contra quem Carolus

Digitized by Google

sagacissimus Exarchus bellum instaurauit. Sequenti quoque anno, id est, Dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo septimo, Indictione decima quinta, actum est bellum plus quàm ciuile inter Carolum Exarchum & Ragenfridum in Tartam * in die Dominico in loco nuncupante * Vinciaco, duodecimo Kal. Aprilis, dies xv. ante solennitatem sancti Paschæ, qui erat primus annus Gregorij secundi Papæ, qui nonagesimus primus à B. Petro Apostolatum eiusdem tenuit vrbis. Nam in præfato prælio *Vvando* cum Ragenfrido & Hilperico Rege interfuit. Benignus verò Diaconus partibus Caroli fauebat. Cúmque post actam cædem Ragenfridus cum Hilperico fugam arripuisset, tandem post multiplicem fugæ lapsum ad Nouiomum huius nostræ Ecclesiæ villam perueniens, Vvandonis equum, quem ibi in pasto constitutum reperit, extemplo assumpsit, atque cursu rapido ad portum, qui vocatur Deuenna, penetrauit. Illic námque transmisso Sequana ad Andegauis vrbem aufugit: insequebatur enim à Caroli Satellitibus. Cùm verò comperisset Carolus à sibi dicentibus, quòd scilicet Raganfridus per equum Vvandonis aufugisset, iussit eum illicò de Cœnobij huius regimine proijci, & in Traicto * castro exilio trudi quod antiquo gentium illarum vocabulo Viltaburg *, id est oppidum Vviltorum vocabatur, nunc verò linguâ Gallicâ Traiectum nuncupatur. BENIGNVS denique rursum regiminis huius Cœnobij sortitur gradum per annos quatuor, id est, vsque ad annum Theodorici iunioris Regis tertium, qui erat Dominicæ Incarnationis septingentesimus vigesimus tertius. Huius BENIGNI Abbatis propinquus S. Gennardus Vicedominus Ecclesiæ Rothomagensis, & Abbas Cœnobij Flauiacensis extitit. Qui post recessum ipsius Gennardi Flauiacensis Cœnobij factus est Rector.

* Tartas nũcupato

* Traiecto

* verbo Vviltenburg.

De MILONE *Recluso.*

CAPVT IV.

SVB huius denique administratione quidam paterfamilias nomine Rothmundus * ob gratiam vitæ contemplatiuæ mundani fugiens culmen honoris ad conuersionem venit cum filio suo nomine Milonis * : ambóque comam capitis sibi deponentes, effecti sunt milites Christi. Sed postcà Milo licentiam expetijt à prædicto Patre Benigno, vt licitum sibi foret Anachoritarum more solitariam vitam ducere. Deindè verò ad locum accedens, qui hodiéque Milonis cripta per metonymiam dicitur, in rupe altissima super ripam aluei Sequanæ, rupem eandem excidens, mansiunculam sui voti condignam sibi constituit, quæ viginti homines ferè capere videretur : ibíque aëreas dæmonum turmas fortissimo Christi vmbone repellens, infatigabilitérque agonizans, feliciter Domino militauit. Mater verò eius nomine Vvisla, Mater Longensis * Cœnobij in sancto proposito effecta, quæ præcipua fuerant in eodem Monasterio ornamenta ipsa tribuit, necnon & prædia plurima acquisiuit. Præfatus verò ROTHMUNDUS, ac religiosus famulus Christi Milo tempore conuersionis suæ largiti sunt huic Cœnobio patrimonia duo, id est Offiniacas & Bettonis-curtem, sita in pago Tellau, anno videlicet tertio Dagoberti iunioris Regis, qui erat Pipini senioris Ducis vigesimus sextus, Incarnationis autem Domini Saluatoris nostri IESV Christi septingentesimus tertius decimus. Erat autem præfatus miles Domini Milo Presbyteratus ordine, quem bonis claríque actibus adornabat, decoratus. Habebat námque sub rupe Ecclesiolam constructam, in qua hostiam victimæ salutaris Domino immolabat. Vsque hodie verò cernuntur vestigia eiusdem ædificij, in quo Basilica illa constructa fuit. Monstrantur nunc vsque arbusta in latere montis eiusdem rupis, ac vitiferæ arbores, quas ipse propria manu terræ inseruit, necnon & plantæ seu vites vineæ, quam ipse etiam plantauit, ac dum ibi philosopharet excoluit. Secundum

* Brotmũdus.

* ac filius suùs nomine Milo.

* Logensis.

cundum dictum námque Psalmistæ, laboribus mánuum suarum viuere satagebat, vt ei benè esset, ac finito mundi cursu videret bona in Hierusalem. Idcircò autem de eo ista tentaui memoriæ mandare, quoniam de eo multiplex opinio bonæ vitæ per plurimos ad me perlata est. Audiui * nempe narrantem quendam venerabilem Senem, qui ab eo didicit, qui ipsum Milonem multo tempore vidit, quòd fuisset staturâ procerus, vultúque Angelicus, caluitiem habens capitis venerandam. In ipsa námque crypta bonis operibus insistens, ac retruso ordine vitam irreprehensibilem ducens, mentem ad cælestia desideria semper intendens, pauperie valde gaudens, ibidémque præsentis vitæ debitum complens, spiritum Deo reddidit felicitati perenni coniungendum. Cuius corpus in Ecclesia B. Apostoli Pauli aduectum, sicque sepulturæ est traditum. Ferunt námque nonnulli, quòd ante portam Logensis Cœnobij se iussisset tumulari, atque ibidem humatus teneatur: sed vt ego à veracibus senioribus didici, commodius fore arbitror, vt vbi Monachus extitit, illic etiam sepultus teneatur. Credo tamen, quòd vbicumque ossa teneantur sepulta, anima fruatur gaudijs sempiternis. Hæc quidem veluti auditu didici, ac in scrinijs Priuilegiorum nostri Cœnobij reperi: de Milone Reclauso seu Anachorita dicta sufficiant.

* Ætas Auctoris innuitur.

De BAGGA *Monacho ac Presbytero.*

CAPVT V.

OPportunum præterea videtur, vt hoc in loco quæ à pluribus venerabilibus viris de bonæ recordationis BAGGA huius Cœnobij Monacho ac Presbytero didici, quoniam sub huius Patris * regimine ad Dominum migrauit, inferere non omittam. Hic etenim sanctæ conuersationis vir ex Brittannia Oceani insula Saxonico ex genere ortus, hoc aduenit Cœnobium, ad plurimum temporis regulari ordine vitam irreprehensibilem gessit. Ita námque in omnibus mandatis diuinis se exercere sategit, vt cunctis Christi famulis

* nempe Benigni

hoc in Cœnobio consistentibus imitandus appareret. Hic itaque explicitis dierum suorum curriculis, quo iam in aula cœlesti dignus reciperetur hæres, parua correptus ægritudine decubuit; nec multò pòst corpore solutâ animâ perenni particeps factus est felicitati. Contigerat denique, vt in ea horâ, quâ ipse Christi famulus rebus excessit humanis, prædictum egregium Patrem Benignũ in Ecclesia minister repererit: cúmque diutiùs in precibus persisteret, isdem minister propiùs accessit, extemplóque prædictus Pater indicare sibi aliquid velle persensit. Surgénsque ab oratione scisscitatur quid quæreret: At ille: frater, inquit, Bagga consortijs subtrahitur humanis. At venerabilis Pater longa ex imo pectoris trahens suspiria, talia infit: O signifer fortissime Christi militiæ Bagga, nunc mercedem laborum lætus accipis tuorum: deprecare ipsum benignum Dominum, vt vnà tecum mereamur gaudere consortijs iustorum per æuum. Vnde haud dubium est eidem Patri diuinitus cùm in oratione consisteret reuelatum fuisse, vt & spiritum illius cœlos penetrantem aliqua ex parte mereretur aspicere, qui ita auxilium ipsius flagitabat in prece. Denique more mortuorum compositus digno in loco sepulturæ mancipatus est, magna enim copia in huius Patris administratione nobilium virorum hoc in Cœnobio extitit.

---

* Arlauno

*De Hortò Launo * Sylua.*

CAPVT VI.

HVic Benigno Abbati largitus est Dagobertus Rex iunior quartam partem de Arlauno foreste, anno quinto regni sui, suggerente Theobaldo Maiori domus Regiæ, per loca designata, id est per Quincionem montem, deinde per Petrosam vallem, & exinde per profundam vallem, necnon etiam per Mortuam-vaccam. Aliæ verò terminationis fines sunt, à termino Iccinse de Valle Tabellis per illum locum qui vadit ad locum, qui nuncupatur Caput-caballinum, indè ad illam Salsosam cisternam quæ dicitur Sarconos, indéque ad Tenebricam valliculam ad dexteram manum per verticem

Digitized by Google

montis vſque ad profundam vallem, quæ dicitur Mortuavacca. Deinde per Caſalis vſque ad fines Bouaricenſes in dextera per ſummum illius pigatum exſartum vſque ad fines Glaccolinſes. Deinde per illum manſionilem qui vocatur Pomaritus infra ipſam foreſtem Arlaunum, & eſt per loca deſignata, hoc eſt de vno latere Bracus, ſiue vallis quæ dicitur Dirginis, vſque ad eum locum qui dicitur Petrafiſta *, & ipſum manſionilem ad pratum faciendum. Deinde ad Petramfictam ſecus primam viam publicam quæ dicitur ad Voſpontes, & ad Bracum, quæ dicitur Bricilone. Deinde etiam ſecus illum Bracum qui dicitur Ad Caſtellum Luporum, qui eſt ſuper illum bracum anteriorem Dirginis. Hæc quidem largitio licet ab iſto Rege ſit firmior edita, ab anteceſſore tamen ſuo glorioſo Rege Hildeberto maxima pars conceſſa iam fuerat deceſſori iſtius Benigni Abbatis almæ recordationis Baino Epiſcopo. Edita eſt autem hæc Donatio ſiue Confirmatio à præfato Rege Dagoberto anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo quinto decimo, Indictione decima tertia, quinto Iduum Iuniarum die Dominica. Eodem anno ipſe Dagobertus Rex mortuus eſt. Quo tempore terra Hatuariorum à Saxonibus depopulata eſt: Sed ipſi non multò poſt dignas ſuæ perfidiæ pœnas à Francorum populis perpeſſi ſunt, eorúmque terra vſque Vviſeram fluuium incendijs, rapinis, interfectionibus attrita eſt.

* Petraficca

De muneribus ac rebus BENIGNI *Abbatis.*

CAPVT VII.

HIc dimiſit in Eccleſia B. Petri calicem aureum, qui penſauit libras quinque, & patenam eius penſantem libram vnam. De rebus verò Cœnobij nil minuit, immò augmentare ſtuduit. Denique ex propria hereditate contradidit huic Cœnobio Sennan, & Maronis ciſternam, poſſeſſiones ſitas in pago Calentinſe *. Similiter Biſagum, qui eſt in pago Rothomagenſi. Siuagum etiam & Limitium, quæ ſunt in pago Velocaſino maris, & Vvaldeberti vvillare: patrimonia

* terra Caletenſi.

quæ sunt sita in pago Aurelianensi, Onadonem & Caraciagum prædia posita in territorio Andegauo. Condatum etiam patrimonium, quod est in pago Oximo. Crisciacum, Salaciagum, Sauiniacum, Captialonnum, & Magalonnum, quæ sunt in pago Sanctonico. Agannagum, Bonelum, Andiagum, Vodertam, Aguintum, Ambariago *, Riueram, prædia quæ sunt sita in pago Engolismensi. Sunt possessiones viginti duæ, pagi septem. De quibus tertiam partem largitus est, id est de vnaquaque. Edita est hæc Largitio à prædicto Benigno, quarto anno regnante Hildeberto Rege, die decima tertia Kalend. Februar.

* Amboriagum.

Hic Benignus Abbas euindicauit contra Bertharium Comitem villam quæ vocatur Montecellus, quæ est sita in pago Oximensi, coram Carolo Maiore domus, mediante Aduocato suo nomine Roberto. In quo Conuentu interfuerunt hi Episcopi; Ebbo, Baldoinus, & Milo, seu alij illustres viri & Comites, Teudericus, Rotgarius, Anginulfus, & Haregarius. Celebrata est hæc euindicatio anno tertio, regnante Theoderico iuniore Rege, XIV. Kal. Augusti, Tulpiaco castro.

Anno quinto regnante Dagoberto iuniore Rege, quidam Presbyter, nomine Leutbertus, vir valde diues, contradidit eidem venerabili Patri prædium, quod vocatur Bodardi villa, situm in pago Vvimnau, in quo ipse Leutbertus Ecclesias ædificauit, necnon & locella alia, id est, Taunaco, Luneraco, Frolinas, seu Gressus etiam & Duno *, & Arecharium villam in pago Velocassino. Vnde statim Priuilegium confirmationis à prædicto Rege editum accipere curauit, quod adhuc in Scrinijs nostri Cœnobij reconditum retinetur.

* Seduno, & Aredcarium.

Eodem anno quidam homines nominibus hijs, Gunthardus, Almedius, Aiga femina, largiti sunt possessiones has in pago Ebroicino, Agmaro, & Horma, & Maceriolas, & Spanga, & Haretone, cum omnibus adjacentijs suis, sitas super fluuium Ittonem: huic Benigno Abbati largitus est Benignus item Monachus Senior frater Gennardi mansum in Magaciaco villa, quæ est in pago Veliocassino, cum vineis & mancipijs, quem ei dederat Ragenfridus Maior domus quondam. Item quidam homo nomine Gislehardus Montecellus

Digitized by Google

villam cum adiacentijs ſuis Meriliaco, Nertimaco, Ciriliaco, ſitam in pago Oximenſi in centena Nouiacenſe, anno ſecundo Dagoberti Regis.

Anno decimo ſexto Hildeberti Regis quidam paterfamilias Litor nomine Primiaco decimo die menſis Iulij in pago Madriacenſi largitus eſt. Eodem anno Ermingus Clericus partem contulit de Brinniaco octauo Kal. Iulij. In quo Conuentu interfuit vir Deo dilectus Bagga Presbyter Saxonici generis.

Anno decimo ſeptimo eiuſdem Regis Ebrinus partem de Gentiaco ac Fontanas contradidit. Nam & fratrem * ſuum nomine Eodonem inſtinc Clericum habebat. * filium

Anno primo Dagoberti iuuenculi Regis Ermoaldus Summacianna *, decimo Kal. Martij. Anno ſecundo Erinnulfus Roccolinilutum, ſiue Betlinicurtem, & Mancicum. Anno tertio Gaugia femina Saciacum ſiue Dignum ſuper fluuio Audura: item Landas. Anno quarto partem de Tertiaco * & Arbrandovillari Erinfridus. Item Monticellus in centena Nantſanninſe Erchemfridus. Anno quinto Aganulfus partem in Franſarijs vicinijs Greſſus, & quidam Vvaddo in Colnicio. Deceſſit decimo tertio Kalend. Aprilis. * Summa Cramna. * Tritiaco

---

Geſta HVGONIS *Archiepiſcopi, & Rectoris Cœnobiorum Fontanellenſis, & Gemeticenſis.*

CAPVT VIII.

HVGO filius Drogonis vir venerabilis à matre nomine Adaltrude primogenitus *, nepos Karoli ſagaciſſimi Principis, Archiepiſcopus Rothomagenſis Eccleſiæ, poſt præfatum BENIGNVM regimen huius Cœnobij ſuſcepit ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, Indictione VI. qui erat annus Principatus Karoli nonus, Gregorij verò ſecundi Papæ, qui loco nonageſimo à S. Petro Romanæ præfuit Eccleſiæ, annus ſeptimus inſtabat. Rexítque iſtud Cœnobium per annos nouem, menſes duos, & dies tredecim, id eſt vſque ad annum decimum ſextum Princípa- * progenitus.

Digitized by Google

tus antefati Caroli, Gregorij verò præfati Papæ decimum septimum, Dominicæ quoque Incarnationis septingentesimo & trigesimo, Indictione decima tertia. Hic etiam Præsulatum Ecclesiæ Parisiacæ, simúlque Bajocassinæ, cum Rothomagensi tenuit, factione scilicet patrui sui Caroli Principis, extra Decreta tamen Canonum. Cœnobia verò nobiliora, Fontinellam, & Gemmeticum: Prædia verò Regia, quæ eius insederunt animo: non enim causa peruersæ cupiditatis, aut aliquo seculari fastu à patruo suo Carolo Principe, siue à Regibus Francorum, qui eius tempore Sceptra Regni huius tenuerunt, id est Hildeberto, Dagoberto, Hilperico, Clotario, necnon & Theoderico ea impetrabat, sed vt statim Ecclesijs Christi contraderet. Sciens scriptum, quòd ea hereditas bene reconditur, quæ Deo custode seruatur. Mater denique eius Adeltrudis, vt prædiximus, nomine, filia fuerat Vvarattonis nobilissimi Maioris domus Regiæ, atque Ansledis, coniugis eius, qui plurima huic Monasterio largiti sunt prædia. Denique prædicta religiosa & strenua matrona Ansledis auia sua derelicta Vvarattonis ad nutriendum susceperat ipsum Hugonem, Patrem demum glorioſissimum.

Hæc igitur prudentiæ & prouidæ industriæ spiritu plena, animum pueri fertur quotidianis admonitionibus corroborasse, vt sese cum omnibus quæ habebat Dei seruitio mancipáret. Vnde factum est vt sacrarum literarum studio imbutus, coæuos suos sapientiâ & religione anteiret: secundùmque sanctam suggestionem præclaræ nutricis ac auiæ suæ Ansledis cœpit terrena cuncta despicere, & ad regna cœlestia viriliter anhelare, simúlque patrimonia plurima Ecclesijs Christi contradere. Quæ cuncta si qui plenius scire cupiunt, scrinia ciuitatum Rothumagensis, Parisiacæ, & Bajocassinæ, & huius Cœnobij Fontinellensis, simúlque Gemmeticensis reuoluant; illícque inuenient quantam sollicitudinem ac peruigilem curam de constructione, propagatione, & administratione, ac exaltatione Ecclesiarum habuerit. Huius pater Drogo filius prædicti Pipini Ducis Francorum, frater Grimoaldi & Caroli nobilissimorum Principum, defunctus est anno ab Incarnatione Domini septingentesimo septimo, Indictione quinta, tempore Veris. Succedit ei isdem vir ve-

nerabilis Hugo in sede Rathumagensi vigesimus à Mellone primo Pontifice eiusdem vrbis: Rector quoque siue Procurator vrbis Parisiacæ trigesimus quintus à B. Dionysio constituitur; porrò in regimine huius Cœnobij Fontinellensis à B. Vvandregisilo septimo in loco: similiter à S. Philiberto in regimine Cœnobij Gemmeticensis. Hic námque vir venerandus Hugo dum adhuc laïcus foret, largitus est Benigno Abbati Vierlaicum Villam, quæ sita est in pago Tellau, super fluuio Eora, quæ ipsi de iure prædictorum parentum suorum legitimè obuenerat. Facta est hæc largitio ab anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo tertio, Indictione duodecima, qui fuerat annus Dagoberti iunioris Regis III. Pipini autem Ducis XXVI. vndecimo Kalendarum Iuliarum die, feria IV. Inter reliqua autem prædia ab eo contradita, etiam Vvitflanam villam largitus est Vvandoni Abbati anno primo Clotharij Regis, quem Carolus post fugam Hilperici ac Ragenfridi Regem sibi statuerat, & possessa est ab hoc Cœnobio vsque ad regimen Vvitlaici Abbatis per annos quadraginta tres. Huic glorioso Præsuli largitus est quidam illustris nomine Bertus portionem aliquam de villa Digmaniaco, quæ sita est in pago Osismensi, in centena Alancionensi, & illam rem quæ vocatur Vanda in centena Saginse. Similiter in territorio Cenomannico rem illam quæ dicitur Veringo, seu Metiago, quæ appellatur Auancurte. Edita est hæc largitio anno vndecimo Theoderici Regis patris Hilderici demum Regis nouissimi ex genere Merouingorum. De patrimonijs enim à prædicto glorioso Præsule huic loco largitis, siue à fidelibus Christianis impetratis ac susceptis, qui nosse cupit, Testamenta ab ipso edita reuoluat, & tunc probabit nihil me de eo sinistrum aut dixisse, aut scripsisse. Mensatas ad vnumquemque mensem sufficientes * præberent alimoniam, idcirco memoria illius in benedictione manet. Expletis namque laudabilis cursus sui annis migrauit ad Dominum sexto Idus Aprilis, qui erat annus Dominicæ Incarnationis septingentesimus trigesimus, Indictione decima tertia. Corpus eius Gemmetico Cœnobio, quo etiam vitæ decessit, in Ecclesia Sanctæ matris ac perpetuæ Virginis Mariæ venerabiliter sepulturæ est traditum. Conditáque est à Fratribus

* sufficientem

Obijt an. 730.

illinc habitantibus supra tumbam illius repa diuersis metallis decorata; ob amorem videlicet, sanctitatem, ac reuerentiam illius. Nullus enim ante eum eiusdem Cœnobij Rector, nec post eum, tot prædia ac possessiones in iure ipsius venerabilis loci contulit ac impetrauit, sicut ipse facere curauit, veluti Testamenta ipsius Cœnobij cunctis legentibus liquidò patet. Hic dimisit in hoc Cœnobio Fontinellensi calicem aureum & patenam auream pensantes libras quatuor, vncias duas. Turriculam auream pensantem libras sex. Capsam auro & gemmis decoratam continentem pignora diuersorum Sanctorum. Plurima enim bonitatis gessit opera, quæ dinumerare laboriosissimum est. Nobilis enim extitit genere, sed non inferior Religione. Hæc quidem de venerando Patre ac Domino Hugone dicta sufficiant.

Gesta LANDONIS *Archiepiscopi Remensis, & Rectoris Cœnobij Fontanellensis.*

CAPVT IX.

LANDO Episcopus de vrbe Remensi successit Hugoni Præsuli in regimine Cœnobij huius ab anno duodecimo Regis Theoderici nouissimi, qui erat Exarchatus Caroli annus septimus decimus, Incarnationis autem Dominicæ septingentesimus trigesimus primus, Indictione decima quarta. Qui etiam Cellam S. Sidonij, quæ est in Vvaxinna, simul cum ista iure beneficij aliquandiu tenuit. Anno namque regiminis istius primo Gregorius iunior Papa migrauit ad Dominum. Cui successit alius Gregorius miræ sanctitatis vir, qui claues ex confessione S. Petri Apostolorum Principis accipiens, Carolo Principi direxit, vt Romanam Rempublicam ab oppressione Longobardorum liberaret. Eodem anno Carolus perrexit Vuasconiam contra Eudonem Principem qui tyrannidem assumpserat: & Ragenfridus in Tarta post annos tyrannidis quatuordecim mortuus est. Venerabilis Presbyter Beda Historiam Ecclesiasticam, quam de gente sua, id est Anglorum, composuerat, vsque in hunc annum mirabili

opere

opere perduxit, & non multò pòſt ad cœleſtia regna perrexit, VII. Kal. Iunij

Hic Lando impetrauit à præfato Carolo Principe Priuilegium immunitatis perennis, in quo continetur, quòd Cœnobium iſtud ſub ſua defenſione ac tuitione idem Princeps ſpecialiùs receptum haberet, & hoc ipſum Francorum populo, ſiue Epiſcopis, ſeu Cœnobiorum Patribus, necnon Comitibus, omnibúſque exactoribus Reipublicæ gentis Francorum notum eſſe voluit, quatenus res iſtius Cœnobij, vniuerſáque ſua ſalua eſſe valerent, nec à quoquam diripi, aut contaminari, vel in aliquo lædi quocunque poſſent ingenio. Editum eſt hoc Priuilegium in iſto Cœnobio, ſuggerente eodem Epiſcopo, ac fratribus omnibus intercedentibus.

Huius anno ſecundo, id eſt Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo, Eudo Dux Aquitanorum cernens ſe ſuperatum, & ad defendendam patriam ſuam contra Carolum ſe viribus eſſe deſtitutum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxiliandum ſibi inuitat: qui cum Rege ſuo Abdirama nomine Garomnam fluuium tranſeunt, Burdegalim vrbem peruenerunt, ibíque Eccleſijs Dei igne concrematis, pluribúſque Chriſtianis interfectis, vſque ad Pictauem vrbem, Baſilicámque S. Hilarij igne concremarunt, & ad beatiſſimi Materni * Eccleſiam ſubuertendam ſummo conamine proficiſci contendunt. Contra quos Carolus Princeps iuxta vrbem Pictauem aciem conſtruxit, & ſuper eos inuocato Chriſti auxilio intrepidus irruit, & eos cum Rege eorum vſque ad internecionem deleuit. Acceptíſque ſpolijs eorum, nomen Domini glorificans, totâ iam Aquitaniâ ſubactâ, cum triumpho ad propria reuertitur. Rexit autem Cœnobium iſtud idem Epiſcopus Lando per annos tres, lapſíſque curſus ſui annis, ingreſſus eſt viam patrum: ſicque ſepulturæ traditus in Eccleſia B. Petri Apoſtolorum Principis, in Eccleſia Cœnobij Fontinellenſis. Obijt XVII. Calend. Februarias.

* Martini.

Digitized by Google

Gesta TEVTSINDI *Abbatis Cœnobij S. Martini Turonensis, & Fontanellensis.*

CAPVT IX.

TEVTSINDVS Pater Cœnobij S. Martini Turonensis Ecclesiæ sortitur locum regiminis anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo & trigesimo quarto, Indictione secunda : qui erat annus præfati Regis Theoderici decimus quintus. Hic quidem Teutsindus quàm fuerit amator Dei ac Sanctorum, Ecclesiarúmque eius fautor ac defensor, opera quæ gessit hoc in Cœnobio, vel qualiter in diebus eius res istius monasterij augmentum vel detrimentum sumpserint, testimonium perhibent. In diebus namque tyrannidis, non regiminis eius, hoc nobilissimum Cœnobium ignobile est redditum. Ab isto enim tempore, quo lugendus iste regiminis susceptit locum, status vitæ innocentis, quem in eodem Cœnobio secundum eximij Patris BENEDICTI normam excolendum fore Beatus Pater Vvandregisilus instituerat, ob inopias plurimas fluctuare cœpit, nec vsque ad hanc diem in pristinum statum reuocari valuit. Denique tempore B. Lantberti Archiepiscopi, Sancti etiam Ansberti summi Pontificis, Hiltberti quoque venerabilis Presbyteri, Baini denique glorioſi Præsulis, Benigni precioſi Patris, Hugonis námque magni Præsulis, felicia atque lætissima isti Cœnobio fuêre tempora. Quippe dum prædijs plurimisque possessionibus à Regibus magnis ac sinceris Christianæ Religionis cultoribus istinc largitis, omni egestate excluſa, multitudinis Domino militantium erat cor vnum & anima vna, erántque eis omnia communia, nihílque proprium aut suum quisque dicebat; sed iuxta exemplum primitiuæ Ecclesiæ feliciter ac securè Domino militabant : Omnia námque necessaria à Patre Monasterij accipienda fore nouerant. In diebus prædictorum Patrum trecenti semper fuêre numero istinc habitantes serui Dei. Adepto namque isto loco regiminis, & non regiminis, sed potiùs tyrannidis, mox rebus ablatis in maximam

paupertatem hoc quondam glorioſum Cœnobium redegit. Nam penè tertiam facultatum partem abſtulit, ſuiſque propinquis, ac Regijs hominibus ad poſſidendum contradidit, quæ vſque nunc de iſto Cœnobio permanent ablatæ, ſicuti omnibus Priuilegia ac largitiones, quæ in ſcrinijs noſtri Cœnobij retinentur, reuoluentibus in promptu eſt : quæ nimis longum eſt narrare per ſingula. Sed vnum è plurimis ad medium deducam precarium, quod cuidam Comiti nomine Rothario edidit : ob memoriam æternam qualiter ipſæ res de hoc Cœnobio ſint ablatæ, per ordinem deſcribere ratum duxi. Eidem námque Rathario Comiti contradidit Vlmirum & Vvarinnam cum adiacentijs eorum, id eſt, Criſiaco, Seda, Magneroto, & item Magneroto, necnon & Toſcarias, ſimúlque terram ſuper littus maris, & areas ſalinarum piſcationúmque quæ ibidem inſtitutæ erant. Vineas etiam in Vvarnaco ſuper fluuio Sequanæ ſitas in pago Veliocaſſino, quæ impetrauerat ſanctiſſimæ recordationis Lantbertus Abbas à Rege glorioſo Hilderico, ſuadente Regina ſua Bilhilde, necnon & alijs illuſtribus viris, quorum hæc ſunt nomina : Leodegarij Epiſcopi demúmque Martyris egregij, Vinonis, & Ernomij, Fulcoaldi, Amalrici, Vulfoaldi Maioris Domus Regiæ, Banonis, Vuaningi, Adalberti, Geurini, ſicut in geſtis præfati Patris Lantberti eximij fore ſcriptum conſtat. Similiter alia patrimonia in eiſdem pagis ſita, id eſt, Somardum pontem, Malcham, Hoſdinium, Balliolum in pago Vimnau, cum adiacentijs eorum, ad ſe pertinentes; Necnon & medietatem de Edreman, qui fuit Geſonis, Moriacum, ac Braciacum, quæ ſunt ſuper fluuio Sedanna; Balciduum in pago Vimnau, quæ fuerat Ambremari & Bertoaldi, & Bociliacas, Ruboridum, Rosbacium, Gammapium villam pulcherrimam item ſuper fluuio Sedanna; Victriacum ſuper fluuio Duno ſita in monte Aionecorte, Gammapiolum, Rumguarias, Muriacum qui dicitur vallis Cuniculi al.... in pago Vimnau Bettonecorte ſuper fluuio Eura : ſunt villæ viginti nouem *, exceptis adiacentijs aliquarum, quæ ponuntur in duobus pagis, Tellau ſcilicet & Vimnau. Hæc námque patrimonia idem Comes Ratharius à prædicto Teutſindo iure precarij accepit; vnde cenſum leuauit omni anno ad feſtiuitatem ſancti Patris noſtri Vvandre-

Lant berti Abbatis geſta deſunt.

* octo

gisili in luminaribus Ecclesiæ solidorum sexaginta persoluendum. Factum est hoc precarium in isto Cœnobio hoc anno, qui est ab Incarnatione Domini nostri IESV CHRISTI septingentesimus trigesimus quartus, Indictione II. sub die tertio Nonarum Maiarum, quod euenit feriâ quartâ, qui erat annus Caroli Principis * vigesimus. Censum autem quemidem Comes professus est transsoluere, vsque ad Vitlaici Abbatis tempora omni anno Patribus istius Cœnobij absque vlla retractatione persoluebatur; de Vlmiro videlicet ac Vvarinna, quo S. Ricbertus corpore quiescit.

* Principatus.

Hinc perpendant Rectores ac Prælati Cœnobiorum quàm nequiter ac infeliciter contra salutem animæ suæ agant, qui prædia ac res à bonis ac Deum timentibus hominibus Cœnobijs suis collata iure Ecclesiarum ac Cœnobiorum ablato contradunt dominationi potentium ac dominicorum hominum, qui de proprio nil quidem tribuunt, sed hæc ipsa quæ largita à iustis fuerant, gratum sibi ac temporalem acquirentes honorem, gregem sibi commissum in præcipitium mittunt: pro quorum casibus districtam in die nouissimo exoluent pœnam: nempe melius esset ea die, quando præfatæ res de isto Cœnobio fuerunt sublatæ, vt ignis ibi accenderetur, qui vniuersa ædificia funditus consumpsisset, quoniam decies anteà quiuisset reædificari, quàm tales res acquirere. Nam vnde milites Christi alimoniam consequebantur, inde nunc pastus exhibetur canibus; & vnde lumen ante aram Christi in Ecclesia lucere solebat, inde armillæ, balthei, & calbares fabricantur, necnon sellæ equinæ auro argentóque decorantur. In die enim vna iste infelix operatus est malum hoc; sed in tot annorum curricula emendationem non recepit. Qualiter enim de suo eleemosynam videtur * facere, qui alienas res tollit, cùm Zachæus ille staturâ pusillus dicat ad Dominum: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquid iniustè alicui abstuli, reddo quadruplum.* Et si de hominibus qui res aliorum tollunt, aut pecuniam hominum inuadunt, vt in quadruplum reddant iuxta exemplum ipsius Zachæi, Euangelium pronunciat, & tunc eleemosynam proximis impendant: quid dicendum est de his qui res Ecclesiarum & ipsius Dei æterni auferunt, & iterum sæculo contradunt? Veniet enim illis quod

* valet.

Dominus per Prophetam impijs comminatur, dicens: *Viſitabo ſuper vos mala, & quieſcere faciam ſuperbiam impiorum, & arrogantiam fortium humiliabo.* Nec enim poterit eos aurum aut argentum liberare, neque diuitiæ, quas nunc in angulis abſcondunt, & ex quibus arrogantes effecti ſalutem ſuam obliuiſcuntur. Tales quippe Rectores nequiores ſunt paganis, quoniam ſi pagani locum igne cremauerint, terram tamen ſecum non tollunt.

Huius anno quarto, qui eſt Incarnationis DCCXXXVII. nunciatum eſt inuicto CAROLO Principi, quòd ſæua gens Sarracenorum, obtenta Septimania & Gocia, in partes iam Prouinciæ irruiſſent, caſtrúmque munitiſſimum Auinionem per fraudem quorumdam Prouincialium comitatum primum* obtinuiſſent. Quapropter exercitum congregans illuc iter dirigebat, præmiſſiſque quibuſdam exercitus ſui Principibus, qui caſtrum obſiderent, ipſe profecutus eſt, prædictámque vrbem obſidione circundat, machiníſque compoſitis vrbem munitiſſimam diruit, ipsámque cum habitatoribus ſuis igne & gladio conſumit. Rodanum dehinc fluuium tranſijt, Gottorum fines penetrauit, Narbonam vrbem celeberrimam caſtris circumcinxit, Regem Sarracenorum nomine Acluma* cum Satellitibus ſuis ibidem recluſit. Hæc audientes Maiores natu Sarracenorum, qui morabantur in regione Hiſpaniæ, collecto exercitu cum alio Rege nomine Amormacha aduerſus Carolum arma corripiunt. Contra quos inuictus Princeps Carolus ciuitate Narbona ſub cuſtodia derelicta, in loco qui vocatur Birra, ſeptimo ab vrbe milliario occurrit intrepidus, vbi diuina miſericordia ſuccurrente pugna acerrima commiſſa eſt. Carolus Princeps victor extitit, Regem præfatum Sarracenorum interemit, exercitúmque eius penitus vſque ad internecionem deleuit: ſpolijs innumerabilibus ditatus, cuncta depopulatâ Gothiâ, diruptíſque ciuitatibus, & deuictis vniuerſis hoſtibus, præter eos quos in Narbona incluſerat, vrbe eadem ſub cuſtodia derelicta, cum magno triumpho remeauit in Franciam.

* illum

* Aduma

Sub huius denique tempore Erinhardus Præpoſitus eius ædificauit Baſilicam Beatiſſimi Archangeli Michaëlis, licet modico, pulcherrimo tamen opere, allatis videlicet petris po-

litis de Iuliobona castro quondam nobilissimo ac firmissimo, ad construendos arcus seu frontispicium eiusdem Templi. Hæc námque ciuitas fertur ædificata fuisse à Gaio Iulio Imperatore Romanorum ante aduentum Domini, dum Gallias vastando circumiret. Ipsum námque castrum, Caletus* antea vocabatur, quod destructum, & in maiori elegantia reparatum ex suo nomine Iuliobona vocare placuit. Denique constructâ idem Præpositus hac Basilicâ campanam in turricula eiusdem collocandam, vt moris est Ecclesiarum, opifici in hac arte erudito facere præcepit: qui dum iniunctum sibi opus perficere contenderet, suadente inimico humani generis, deficienti metallo, vnde patrandum erat signum, copiâ eiusdem imminuta, partim abstulit, partim in cacabo liquefiendum composuit. Proiectáque eadem copiâ metalli in forma qua futurum sperabatur signum, ex parte aliqua deforme deficiente copiâ metalli, quæ antequam liquefacta foret sublata fuerat, minúsque est redditum, sic tamen turriculæ impositum. Denique quacunque hora diei pulsatum sonitum dabat, prædictus artifex, qui illud metallum furto sustulerat, in amentiam vertebatur, verbáque inepta ac latratus canum more dabat. Erat namque idem Erinharius, secundum carnis originem de Apuliaco villa, fautor tamen & amator Regulæ, castæque Religionis. Dicere verò solitus erat præfatus Teutsindus Fratribus Turonicæ Ecclesiæ: Nisi vestram correxeritis vitam ac mores, Erinharium meum Præpositum ex Fontinella huc adducam, qui aratra vestra rectum doceat sulcare. Expletis autem idem Erinharius circulis dierum suorum, defunctus, ac in Basilica S. Petri Apostolorum Principis in introitu eiusdem Basilicæ ante ostium Aquilonare terræ conditus est, sub nobili videlicet eiusdem Ecclesiæ pauimento; scriptúmque est in coopertorio sepulcri sui ita: *Hic requiescit Erinharius Præpositus.*

* Caletum

Geſta VVIDONIS *Abbatis Cœnobiorum S. Vedaſti, & Fontinellenſis.*

CAPVT X.

VVIDO ſortitur locum regiminis ab anno Dominicæ Incarnationis DCCXXXVIII. qui erat annus primus Hilderici nouiſſimi Regis, CAROLI autem Principis vigeſimus ſextus, per annum vnum. Hic námque propinquus Caroli Principis fuit; qui etiam Monaſterium S. Vedaſti, quod eſt in Atrebatenſi ciuitate, iure regiminis tenuit anno vno, ſicut & iſtud. Erat autem de ſecularibus Clericis, gladióque quem ſemiſpiacium vocant ſemper accinctus, ſagáque pro cappa vtebatur, parúmque Eccleſiaſticæ diſciplinæ imperijs parebat. Nam copiam canum multiplicem ſemper habebat, cum qua venationi quotidie inſiſtebat, ſagittatórque præcipuus in arcubus ligneis ad aues feriendas, híſque operibus magis quàm Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudijs ſe exercebat. Accuſatus verò apud Principem Carolum, quòd conſpirationem aduerſus ipſum cum alijs meditatus eſſet, iuſſu eiuſdem Exarchi ad Regiam domum compellitur migrare. Qui dum pergeret cum Satellitibus regijs, venientes in territorium Viromandiæ, capitis præciſione damnatur, ibidémque digno in loco ſepulturæ eſt traditus. Hæc ex relatione cuiuſdam Patris, qui ipſum videre potuerat, didici, quòd ita vitâ deceſſerit. Qui etiam Vvido Cœnobium S. Vedaſti, quod eſt ſitum in Atrebatenſi territorio, vt ſupra declaratum eſt, vnà cum iſto annum ferè vnum poſt Gogiſlenum iure Rectoris dicitur tenuiſſe. Cui ſucceſſit Romanus in ipſo Cœnobio per annos tres. Huic Vvidoni largitus eſt quidam paterfamilias nomine Raginfridus portionem aliquam de villa quæ dicitur Laxtra, anno primo eiuſdem Regis Hilderici, quæ ſita eſt in pago Conſtantini.

Gesta RAGINFRIDI *Archiepiscopi Rothomagensis, & Rectoris Cœnobij Fontanellensis.*

CAPVT XI.

RAGINFRIDVS Præsul Ecclesiæ Rothomagensis accepit regendi locum sub anno Dominicæ Incarnationis DCC. XXXIX. qui erat annus Exarchatus Caroli XXVII. Hildetici verò Regis Merouingi annus II. Gregorij Apostolici annus IX. Eodem anno Carolus commoto exercitu vniuersali partibus Prouinciæ iter dirigit, Auinionémque iterum cepit; totáque Prouinciâ vsque ad litus maris peragratâ, ad Massiliam peruenit; fugatóque Duce Moronto, qui quondam Sarracenos in suæ perfidiæ præsidium asciuerat, nullo iam relicto aduersario totam illam regionem Francorum imperio subiugauit, & cunctis strenuè dispositis ad proprias sedes reuersus est. Hic Ragemfridus de nobili Francorum prosapiâ oriundus extitit, licet opera nefanda generositatem fœdarent illius. Compater etiam spiritualis regenerationis Pipini Magni Regis, qui de seculari quidem habitu commutatus Grimoni Archiepiscopo succedens, Præsul efficitur Ecclesiæ Rothomagensis, Rectórque huius Cœnobij Fontinellensis, parúmque dignè hoc administrauit: Erat namque ignarus literarum, sicuti prædecessores sui Grimo & Vvido, ideóque minùs dignum se exhibebat tantæ rei negocio. Qui cùm regiminis huius Cœnobij post præfatum Vvidonem suscepisset curam, nihil ad consulta Fratrum agere volebat, immò alimenta corporis ac tegumenta eis subtrahens, proprijs vsibus retorquebat. Vndè commota omnis caterua Monachorum ne status almæ Regulæ vacillando fluctuaret, quæ agenda sint deliberant, IESVM benignum adeunt, clementiam illius implorant, vt ipse virtutum Dominus conuersus respiceret de cœlo vineam suam, ne periret quod plantauerat fortissimâ dexterâ sua. Post celebratam denique obsecrationem, ijdem milites Christi sanæ mentis consilio inito tres ex semetipsis Fratres eligunt, qui Pipino Principi suggererent, vt memor propinqui

propinqui ſui B. Vvandregeſili, ac genitoris ſui inuicti Caroli, qui locum hunc Priuilegijs ſuæ auctoritatis decoraverat, ac defenſione fortiſſima roborauerat, à dominatu tanti prædonis ac tyranni miſericorditer eos liberaret. Nec mora, quæ petierant adipiſcuntur. Extemplò namque auctoritate Regia idem Raginfridus de ordine regiminis huius Cœnobij depoſitus eſt, reſeruato ſibi Epiſcopatu Eccleſiæ Rothomagenſis. Nomina autem Fratrum illorum, qui Regem pro eadem re adierunt, hæc ſunt: Vvldebertus de Meldico pago ortus, Laurentius ex Beneuento Campaniæ carnis originem trahens, Auſtrulphus quondam Præpoſitus, demúmque huius Monaſterij Pater. Cúmque à præfato Rege, quem ſibi Rectorem præficere vellent, percontati fuiſſent, VVANDONEM ſibi præeſſe velle reſponderunt. Erat autem in exilio adhuc idem Vvando in Traiecto caſtro, in Monaſterio videlicet B. Seruatij Confeſſoris Chriſti. Quem accerſitum Dominus Pipinus curam illi Cœnobij iſtius commiſit. Sícque ijdem Fratres vnà cum Regijs Satellitibus ad iſtud Cœnobium Fontinellenſe cum lætitia & exultatione cordis perducunt. Facta eſt verò illi obuia omnis turba Monachorum cum crucibus & vexillis, laudes Deo reſonans, vocéſque ad ſydera dans clariſſimas. Quorum alij flebant præ gaudio, alij harmoniæ dulces ſonos promebant in excelſo. Introducentes denique eum in Eccleſiam Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, immenſam Chriſti clementiam conſona voce collaudarunt, qui talem eis præſtiterat opem contra crudeliſſimum tyrannum; ita vt cum Pſalmiſta poſſent dicere: *Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ, confitebimur tibi in ſæcula.* Depoſito autem prædicto Ragenfrido de regimine, & ſubſtituto eodem Vvandone, in ſúmma pace ac tranquillitate hoc Monaſterium extitit.

Huius Raginfridi anno tertio regiminis necdum expleto, Carolus legationem B. Papæ Gregorij bis eodem anno ſuſcepit, viróſque religioſos, Grimonem videlicet Corbienſis Monaſterij Patrem, & Sigebertum Reclauſum Baſilicæ S. Dionyſij Martyris, ad limina Beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri cum magnis muneribus direxit. Eodem anno dum ægrotare ſe cerneret, filijs ſuis Principatum ſuum æqua lance diuiſit: primogenito ſuo Carolomanno Auſtraſiam, Ale-

maniam, Turingiámque subiecit : Filio verò iuniori Pipino Neustriam, Burgundiam, Prouinciámque concessit. Correptus autem febre in Carisiaca villa, quæ est super fluuio Isera, in pace obijt. Rexit autem populum Francorum annis XXVI. & mensibus VI. Transijt autem XI. Kal. Nouembris, sepultúsque est haud longè à Parisiaca ciuitate in Basilica S. Dionysij Martyris. Prænominatus autem Raginfridus pro insolentia morum ac prauitatibus suis, etiam à Clericis Rothomagensibus apud Pipinum Regem accusatur, anno videlicet XIII. postquam regimen istius Cœnobij Fontanellensis amiserat. Quo electo de Episcopatu eiusdem Ecclesiæ, datus est Remigio fratri eiusdem glorioſi Regis Pipini hoc anno, qui est ab Incarnatione Domini nostri IESV CHRISTI septingentesimus quinquagesimus quintus. Cui tamen Ragenfrido causâ misericordiæ aliquæ villæ de eodem Rothomagensi Episcopio attributæ fuerunt. De quibus vna erat Clouialus super alueo Sequanæ constituta, in qua etiam post aliquod tempus electionis suæ morbo correptus vitam finiuit. Cuius corpus Rothomagum delatum est, sepulturæque traditum. Tenuit autem nomen Præsulis eiusdem ciuitatis annis XV. huius verò Cœnobij regimen annis duobus & dimidio.

Gesta VVANDONIS *Abbatis Cœnobij Fontanellensis.*

CAPVT XII.

VVANDO Presbyter à patre Baldrico nomine progenitus, territorio Tellau ortus, regimen assumpsit Cœnobij ab anno Dominicæ Incarnationis DCCXLII. qui est annus primus Principatus Carolomanni & Pipini, præsidente Romanæ Ecclesiæ anno primo Zacharia Apostolico. Igitur idem vir religiosus Vvando, dum de Traiecto castro, vbi ad exilium ductus fuerat, cum permissu ac iussione glorioſissimi Principis Pipini reuerteretur, pignora reliquiarum B. Seruatij Confessoris assumens secum detulit : veniénsque in hunc locum ædificauit Basilicam in honore ipsius Confessoris Christi iuxta Ecclesiam B. Principis Apostolorum Petri ad meridianam

Quadrat Tractatus.

Wann nun die Stralen der Sonnen durch die Fenstergleser gehen/ so werden sie gebrochen/ und kommen zu einem Punct/ welcher ist in der Mitten der Linien AB/ und ist C/ und wann die Stral

Tellau super fluuio Visrona, huic venerabili Patri dedit Rage-
* Vvtlana fridus in Tarta fiscum qui vocatur Vvintlana * anno secundo Hilperici Regis, qui erat Dominicæ Incarnationis DCCXVII. Indictione XV. sub die quinto Kalend. Octobrium feriâ secundâ. Plurimæ nanque res Ecclesiæ nostræ in huius administratione accreuerunt. Dimisit autem in Ecclesia S. Petri Offertorium argenteum cum patena, capsam auro decoratam, & alia ornamenta diuersa: Codicum etiam copiam non minimam, quod dinumerare oneri esse videtur. Sed aliquos ob memoriam illius inferere placuit; id est, Codicem vnum Romanâ literâ scriptum, in quo continetur expositio breuis trium Euangelistarum, idest, Ioannis, Matthæi & Lucæ: Arnobij
* Arnolini * Episcopi & Rhetoris sermo de Adam qui perierat. Ruffini ex Historia Ecclesiastica, de Spiridione Episcopo: eiusdem de muliere captiua, ex eadem Chronica ab eodem translatum, quæ Hiberorum gentem ad Christi fidem conuertit. Fides Nicæni Concilij. Exhortatio S. Macharij ad Monachos. Item Rufini sermo de Ieiunio & Oratione. Vita & Passio S. Felicis Nolanæ vrbis Episcopi. Epistola S. Leonis Episcopi Nolensis ad Marcellum Presbyterum eiusdem Ecclesiæ. Regula sanctorum Patrum Serapionis & Macharij, & alterius Macharij, & Pafnutij. Regula S. Augustini Episcopi. Epistola B. Augustini ad Felicem & Hilarium. Epistola S. Hieronymi de Castitate. Item Epistola B. Hieronymi ad Nepotianum. Item Epistola eiusdem ad Euangelium Presbyterum, de Melchisedech. Item idem ad Rusticum. Epistola S. Clementis Papæ ad B. Iacobum Apostolum. Item codicem B. Augustini, in quo continetur de Pœnitentia. Item Historiam Apollonij Regis Tyri in codice vno. Historiam Iordani Episcopi Rauennatis Ecclesiæ, de origine Gottharum *. Item Codicem,
* Getarum in quo continetur Regula S. Benedicti & S. Columbani, & Martyrologium. Item codicem, in quo continentur Capitula nonaginta nouem de Euangelijs Matthæi & Lucæ exposita ab Aurelio Augustino. Item sermo eiusdem de Incarnatione Domini. Item in eodem Libro differentiarum spiritualium & carnalium Isidori iunioris Hispalensis Episcopi, in quo sunt Capitula quadraginta duo. Item in eodem definitio Dogmatum Ecclesiasticorum Gennadij Presbyteri Massilienſis. Item

Digitized by Google

in eodem expoſitio fidei Catholicæ S. Hieronymi Preſbyteri. Item S. Athanaſij Alexandrinæ vrbis Epiſcopi de eadem re. Item in eodem libri quatuor Euangeliorum expoſitionem cõtinentes editam à Sedulio viro Scholaſticiſſimo ad Macedonium Preſbyterum. Item in eodem Capitula tredecim ex libro ſententiarum Iſidori. Item in ipſo Homiliæ tres B. Papæ Gregorij ſuper Ezechielem Prophetam. Item in eodem Epiſtola S. Leonis Papæ ad Flauianum Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum aduerſus hæreſim Eutychetis Presbyteri.

Laborabat autem idem egregius Pater frequenter podagrico dolore : in infirmitate tamen poſitus, ſicut & ſemper facere conſueuerat, Dominum attentiſſimè collaudabat, ſciens ſcriptum eſſe : *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit.* Et illud : *Quem amat Dominus caſtigat.* Tranſactis autem ſeptem circiter poſt ſuſcepti regiminis curam annis, luminibus oculorum præ nimio ætatis ſenio priuatur. Tunc vnà cum conſenſu ac generali Fratrum voluntate eligit pro ſe venerabilem virum nomine *Auſtrulphum;* qui erat Præpoſitus huius Cœnobij, regiminis loco ſubrogandum. Quo facto, miſſa petitione ad Pipinum Principem, obſecrat vti ſuam & Fratrum electionem comprobans, ſua ex auctoritate idem Auſtrulphus Cœnobio huic præficeretur. Quod ita & factum eſt. Ipſe verò venerabilis Pater Vvando bonis operibus inſiſtens, in Eccleſia B. Petri ſedulò reſidens, agonem ſuum triumphatori Chriſto, ieiunando, orando, vigilando commendabat. Quantùm verò feruens in præceptis Domini adimplendis extiterit, quótque virtutum ſpeciebus adornatus fuerit, imbecillitati meæ proſequi ponderoſum foret. Teſtantur plurimi qui illum viderunt, ideò non neceſſe æſtimo vniuerſa de eo inſerere, ne legentibus nauſeam feciſſe videar. Victimam quoque hoſtiæ ſalutaris, quandiu capitis habuit lumina, immolabat quotidie.

Anno denique Hildeberti Regis ſecundo, vt ſuprà taxauimus, ad conuerſionis gratiam venit, fecítque in Monachico voto annos fermè ſexaginta ; quibus expletis, decrepitæ iam ætatis ſenio confectus, præſentis vitæ debitum complens ad æternam migrauit requiem anno ab Incarnatione Dominica circiter DCCLVI. qui erat Pipini Regis annus quintus, Vvidonis laïci verò Abbatis annus primus. Sepultúſque eſt in Eccle-

sia B. Petri iuxta Beatos Christi Confessores, in absida eiusdem Basilicæ ad meridianam plagam. Nam Bertgaudus Monachus, qui eum sepulturæ tradidit, referre erat solitus, quoniam dum eum posuisset in sarcophago more mortuorum, subitò conuersum fuisse, séque dextero in latere collocauisse, sicuti moris est viuorum in stratu agere, viuentísque effinxisse speciem. Rexit istud Cœnobium primò annis quinque; secundò, id est post reditum suum de exilio, annis fermè septem: Transijt xv. Kalend. Maij.

Gesta AVSTRVLPHI *Abbatis Cœnobij Fontanellensis.*

CAPVT XIII.

AVSTRVLPHVS vir venerabilis à Patre Sindulpho matréque Vvilberta vocabulo, ortus territorio Cartriacensi, Abbas constituitur, sicut supra annotatum est, vnà cum consensu ac electione Fratrum, annuente ordinationi eorum pio Principe Pipino. Quod factum esse constat sub anno Dominicæ Incarnationis DCCXLVII. Hic egregius Pater amator huius Cœnobij ac fortissimus Rector extitit, curámque maximam de statu Regulæ, & obseruatione legis Dei habuit. Denique tempore prædicti Patris Vvandonis Præposituræ ordinem cum magna gessit moderatione ac cautela, Fratribúsque suis sufficientem alimoniam semper implere studuit, verbíque diuini pabulum sedulè ministrauit, fuísque in actibus imitandus omnibus apparuit: Vndè factum est vt pro huiusmodi meritis sinceræque conuersationis exemplis Abbatis promeritus sit honorem: quo in culmine constitutus ita se omnibus exhibuit irreprehensibilem, vt castos huius actus omnes imitari vellent: nam quicunque illum docentem videbat, aliter operantem non redarguebat.

Sub huius ergo tempore, vt videri potest, magnum miraculum Conditor mundi omnipotens Deus ac precioſum thesaurum populis illis in pago Coriouallensi residentibus ostendere dignatus est. Nam Comitatum eiusdem pagi tenente Rihvvino * Comite, vas quoddam ad instar parui fari in me-

* Riugino

dio maris iuxta locum qui vocatur Portus Ballij, ſuper aquam ferri viſum eſt, ſicque paulatim appropinquando in ipſo emporio conſtitit. Quod cernentes vicini, more vulgi mirari cœperunt, quidnam hoc fore vellet. Deinde ad Comitem accedunt, rem nouam pandunt; ſicque vnà cum Comite Religioſos quoſque viros, ac Sacerdotij dignitate fulgentes, ad hoc inauditum ſpectaculum inuitãt. Qui propiùs accedentes cum grandi pauore, fide tamen maiori inſpiciunt in latere eiuſdem turriculæ oſtiolum cerâ firmatum. Quod reſeratum introſpicientes, repererunt Codicem pulcherrimum quatuor Euangelia continentem Romanâ literâ optimè ſcriptum, membranis mundiſſimis honeſtâque formâ confectum. Iuxta quem inueniunt & capſam, quam aperientes repererunt partem ex precioſiſſima maxilla B. Georgij Martyris, cum alijs plurimis pignoribus diuerſorum Sanctorum, inſuper & ſalutiferi ligni Crucis Dominicæ, quod in eadem capſa literis ſigillatim declaratum erat. Deinde indicto ieiunio quid agendum ſit deliberant. Expleto nanque ipſo ieiunio plauſtrum præparant, cui prædictum farum imponerent, vt quò Domini decreuiſſet voluntas perferretur. Duabus quoque vaccis eidem plauſtro applicitis, ſummi arbitri præſtolabantur nutum. Nec mora; eædem vaccæ concito gradu cum ipſo plauſtro populis expectantibus atque proſequentibus, ſine ductore, ac vllius bubulci adminiſtratione, ad eum locum qui vſque nunc Brucius vocatur, peruenerunt. Erat autem poſſeſſio cuiuſdam illuſtris viri. Ibi nanque, vt Eccleſia conſtrueretur in honore B. Georgij Martyris, omnibus placuit: Comes tamen prædictus primus in hoc negotio erat, qui vnà cum populis ſibi ſubditis, condidit in eodem loco Baſilicam in honore B. Georgij Martyris: duæque aliæ Eccleſiæ, ideſt, vna in honore Beatiſſimæ matris ac perpetuæ virginis Mariæ, altera in Sanctæ Crucis eſt fabricata honore; vbi diuina præſtante clementiâ, obtentu Sanctorum, quorum pignora ſacratiſſima cum particula precioſi capitis S. Georgij Martyris Chriſti ſeruantur, tanta fiunt vſque ad præſens miracula, vt niſi à fidelibus qui nouerunt Dominum plurimas in Sanctis ſuis operari virtutes, fidem excedant. Eſt autem idem vicus in ardui montis planicie ſitus, cui ab Auſtrali plaga fluuius adiacet, qui vocatur Vndua, diſtans

ab eo loco plus minus millia duo. Turriculæ autem illius formam, in qua eædem reliquiæ conditæ erant, quia vidi, etiam descripsi. Est autem formæ quadratæ, ex quatuor videlicet angulis ab imo assurgens, & ita opus omne paulatim minuēdo in latitudine, in summo angustum redditur, vt pyramidem in altitudine reddat, vniusque mali parui conclusione solidetur. Habet quoque in medio sui solariolum, in quo Codex ille Euangelicus cum capsa illa seruabatur, cui desuper aptum est laquear. Eminet in altitudine pedum circiter octo, in latitudine plus minúsque trium. De qua verò parte aut loco, aut qualiter in ipsum pagum peruenerit, ab vniuersis incolis eiusdem loci vsque ad præsens habetur incertum.

Inuenitur autem in gestis B. Zachariæ Papæ, qui nonagesimus tertius à B. Petro Apostolo Romanam rexit Ecclesiā ita per ordinem scriptum: Huius temporibus magnum thesaurum Dominus Deus noster in hac Romana vrbe per eundem almificum Pontificem propalare dignatus est. In venerabili itaque Patriarchio Sacratissimum B. Georgij Martyris isdem sanctissimus papa reconditum in capsa reperit caput. In qua & petacium pariter inuenit literis exaratum Græcis, ipsum esse significātibus. Qui sanctissimus papa omninò satisfactus, illicò aggregato huius Romanæ vrbis populo, cum hymnis & canticis spiritualibus in venerabili Diaconia eius nomine sita in hac Romana ciuitate, regione secunda ad Velum aureum, illic deduci fecit. Vbi immensa miracula & beneficia omnipotens Deus ad laudem nominis sui per eundem sacratissimum martyrem operari dignatur. Vnde remur aliquos venerabiles viros, aut de Brittannia, id est gente Anglorum, qui maximè familiares Apostolicæ Sedi semper existunt, aut de Germania, vel de quacunque prouincia, ad quam intrandam mare transeundum est, tunc temporis in Romana affuisse vrbe, præfatásque reliquias ab ipso Pontifice acceptas, dum domum redire vellent, in mari correptos naufragio, aut qualicúnque discrimine, sicque ipsa pignora amisisse; nutúque Dei in ipsum territorium aduecta fore: vbi vsque nunc à fidelibus populis summa excoluntur veneratione. Consequenti quoque tempore quidam paterfamilias nomine Bernehardus, quia possessio eius erat, in qua ipsa Basilica

prædicti

prædicti Martyris ſita videtur, huic Cœnobio eam contradidit, ſicque in ditionem huius loci peruenit. Hæc de aduectione reliquiarum B. Georgij Martyris, prout auditu didici, vel in ſcriptis eiuſdem Pontificis inueni, aut etiam ipſe vidi; quia tempora conuenientia inueni, memoriæ mandare curaui. Nam eodem quo aduectæ ſunt tempore, & Zacharias Apoſtolicus, & Pipinus Princeps, & Richvvinus Comes extiterat, ideò nulla de hoc eſt dubitatio. Nam & Codicem illum Euangelicum, vt ſcriptura eiuſdem inſinuat, in Romulea vrbe ſcriptum conſtat.

Huic egregio Patri Auſtrulpho edidit glorioſus Rex Pipinus Priuilegium quoddam ſacræ ſuæ auctoritatis, in quo præcepit vt nullus Iudex neque exactor Reipublicæ gentis Francorum ad cauſas audiendas, ac freda exigenda, nec fideiuſſores accipiendos, nec ad vllam exacturam gerendam, poteſtatem huius Cœnobij ingredi audeat, ſed ſub perenni ſua defenſione aç protectione ſecura in æternum ab omni querimonia valeret permanere. Quod Priuilegium in ſcrinijs huius noſtri Cœnobij pro munere ſacro adhuc conſeruatur. Editum eſt anno Dominicæ Incarnationis DCCL. die VIII. Iduum Iuniarum, Vermeria Palatio Regio. Quo anno idem glorioſus Princeps Pipinus ex conſultu B. Zachariæ Papæ vrbis Romæ à Bonifacio Archiepiſcopo vnctus, Rex conſtituitur Francorum, ablato principis nomine. Vnde rumor potentiæ eius & timor virtutis in vniuerſas tranſijt terras. Et Hildericus Rex Merouingorum ex genere ortus depoſitus, tonſúſque, ac in Monaſterio S. Audomari, quod dicitur Sithiu truſus eſt. Cuius filius nomine Theodericus in hoc Monaſterio anno ſequenti Clericus effectus collocatus eſt. Hic nanque venerabilis Pater poſt ſuſcepti regiminis annum ſextum, accenſus igne diuini amoris, partibus Romuleæ vrbis ad limina Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli iter diſpoſuit. Conuocatíſque Fratribus, deuotionem quam animo conceperat liquidò promiit. Tunc omnes vnius vocis clamore hæc contradicunt, dicentes ſe nunquam eum deſerturos. E contra ille causâ ſuæ ſalutis & illorũ, corpore humi proſtratus, profecturum ſe velle proclamabat. Quid multa? videns vniuerſa caterua Fratrum flebilibus eius precibus ſe obuiare non poſſe, conticuit, pij-

que patris petitionibus cessit. Demum benedictione percepta, omnibus Fratribus pacis osculum dedit, sicque iter suum direxit, deducentibus eum plurimis lacrymarum imbre perfusis. Perueniens autem Romanæ vrbis ad arces tempore Stephani papæ, vota sua omnipotenti Deo ac Beatis Apostolis eius reddidit: ac sic à mœnijs eiusdem vrbis iter conuertens, patriam ac locum suæ natiuitatis repetere satagebat. Perueniens autem ad Monasterium S. Mauricij Martyris & sociorum eius in Agaunum, ibidem à febre quam diu protraxerat ingrauatus, consortijs humanis subtractus obijt in Christo XVIII. Kalend. Octobrium; ibíque digno in loco honorabiliter sepulturæ traditus est. Hæc de eo narrare erat solitus bonæ recordationis Hardoinus Cellæ Sancti Martyris Saturnini Presbyter, qui sub eius tempore hoc in Cœnobio Clericatus susceptit habitum. Tenuit autem huius Cœnobij regimen annis ferè sex.

Gesta VVIDONIS *Abbatis Fontanellensis Cœnobij.*

CAPVT XIV.

VVIDOLAICVS ex pago Oximensi, patre Irmino nomine, matre Vvitbolda, Camerarius Teutsindi quondam Abbatis, eiúsque sub cura educatus est. Hic matriculam B. Martini Turonensis in beneficij iure, Teutsindo hæc eadem largiente, aliquandiu post obitum illius tenuit. Defuncto verò Austrulpho patre Monasterij Fontinellensis, statim iste ad Palatium ire deliberauit, plurima donaria auri argentíque secum deferens, quæ Pipino Regi ac suis Satellitibus collata, vt optauerat, Abbas constituitur; anno secundo postquam idem Pipinus Regale adeptus fuerat fastigium, qui est annus Domini DCCLIII. Indictione VI. Hoc anno Papa Stephanus venit ab vrbe Roma in Franciam, & Carlomannus Frater Pipini post illum, & filij prædicti Carlomanni attonsi sunt, & Grippo Frater Pipini occisus est. Sub huius tempore, id est anno quarto regiminis sui, & Pipini Regis quinto, Ecclesia B. Petri igne succensa est, quam ipse cum adiutorio Regali in

Digitized by Google

maiori elegantia reparauit, ſublimioríque fab ica decorauit.

Sub huius etiam temporibus plurimæ res Eccleſiæ perierunt, quas ipſe Regijs hominibus ad poſſidendum contradidit miſerabile ſibi faciẽs memoriale : quæ vſque hodie de eiuſdem Cœnobij ditionibus permanent ablatæ. Pro qua etiam occaſione ſtatus ſanctæ Regulæ periclitari cœpit, ob inopiam videlicet compeſcendarum indigentiarum , quas Beatus Pater Benedictus in eadem lege Monachis porrigendas præcepit. Hic etiam ditionibus Eccleſiæ dimiſit capſam Euangeliorum paratam, quam ipſe fabricari iuſſerat, cum auro, argento, ac gemmis, id eſt, calicem argenteum deauratum vnum : Vrceos Alexandrinos cum aquamanilibus duos : Cornu fabricatum vnum : Puluillos ſericos ſub Euangelium ponendos tres: Pallas corporalium quinque : Thuribula argentea duo : Hanapos argenteos deauratos duos : Dalmaticam vnam : Caſulas ſericas quinque : Tabulas fabricatas ante altaria octo: Pallia tria : Antiphonarium Turonenſe vnum : Libellum de miraculis B. Andreæ Apoſtoli vnum. Erat quippe ferè gnarus litterarum : Qui depoſitus eſt Petreo-ponte villa publica ſub anno Domini DCC. LXXXVII. Indictione X. decimo octauo Kalend. Octobr. qui eſt annus viceſimus glorioſiſſimi Caroli Regis Francorum, & decimus quintus Adriani Apoſtolici. Sepultus eſt autem in Eccleſia Beati Apoſtoli Petri ſubter arcum introitus abſidæ. Rexit ipſum Monaſterium * annis triginta quinque , & menſibus octo , diebus tredecim.

* ipſam Eccleſiam

Hæc verò eſt ſumma de rebus eiuſdem Cœnobij, quæ præcepto inuictiſſimi Caroli Regis annumerata eſt à Landrico Abbate Gemmetiro, ac à Richardo Comite, anno vigeſimo regni ſui, qui eſt obitus prædicti patris. Primitus etenim de his, quæ ad vſus proprios Fratrúmque ſtipendia pertinere videntur, ſunt manſi integri reperti numero MCCCXXVI. medij CCXXXVIII. manoperarij. XVIII. qui fiunt ſimul MDLXIX: Abſi CLVIII. molendina XXXIX. In beneficijs verò relaxati ſunt manſi integri numero MMCXX. medij XL. manoperarij CCXXXV. qui ſimul iuncti fiunt MMCCCXCV. Abſi CLVI. habent ipſi molendina XXIV. Summa nanque vniuerſitatis præſentium rerum inter integros, medios, atque manoperarios, re-

perti sunt mansi MMMM. CC. LXIV. Exceptis villis quas Vvidolaïcus aut Regijs hominibus contradidit, aut etiam sub vsufructuario alijs concessit, quod omnimodè facere non debuerat. Duos etiam annos accepit regimen Cœnobij Vvidolaïcus, antequam Remigius Cathedram Episcopalem Rathumagensis vrbis subiret. Erant nanque ipse Præsul atque præfatus Pater amicitiæ iure coniuncti. Huius denique administratione Cœnobij, dum glorioſissimus Pipinus Rex ad sepulcrum almifici Patris nostri Vvandregisili accessisset orationis gratiâ, illam inanem postulationem Fratres nostri eidem suggesserunt, quæ omnibus est notissima. Quanquam ipse prædium quoddam eis largiri dispositum haberet.

Gesta GERVOLDI *Abbatis Cœnobij Fontanellensis.*

CAPVT XV.

* Vvada

GERVOLDVS ex patre Vvalgario, matre verò nomine Vvalda *, rexit ipsum Cœnobium annis ferè XVIII. Hic ex nobilibus parentibus ortus, dein Clericus effectus, atque ad Palatium perductus, Bertradæ Reginæ Capellanus efficitur. Cuius obtentu Ebroicinæ ciuitatis sedes, defuncto eiusdem vrbis Præsule, à Domno Rege Carolo eidem attributa est. Sed & rebus humanis exempto prefato Vvidone laïco, idē Geruoldus suggestione sua à Domno ac inuictissimo Rege Carolo præfatum Cœnobium Episcopatu deserto impetrauit, anno videlicet iam tertio postquam Bertrada Regina obierat. Sæpefato nanque Vvidoni laïco erat nepos, id est, sororis suæ filius nomine Vvitboldus glorioſissimi Regis Caroli tunc Capellanus, cui præfatum Monasterium post auunculi sui decessum ad regēdum promissum fuerat: Sed dū is ad Cōstantinum Imperatorem Græcorum ac Hyrenem à Domno Rege Carolo cum alio Legatario nomine Ioanne causâ legationis directus fuisset, ac per annum & sex mensium spacia in redeundo moram faceret, prædicto Geruoldo sæpefatum Cœnobium collatum est. Causa autem Legationis erat super Ruatrude filia Magni Caroli, quam isdem Imperator Con-

Digitized by Google

ſtantinus ad coniugium petebat : Sed illo hac legatione pro qua directus fuerat ſtrenuè functo ac reuerſo, Monaſterium S. Sergij, quod in territorio Andegauæ vrbis ſitum eſt, à domno ac inuictiſſimo Rege eidem noſcitur attributum, quod poſtea per plurimos feliciter rexit annos. Geruoldus verò, vt præfati ſumus, huius Fontanellenſis Cœnobij conſtituitur Rector, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVII. qui erat annus vigeſimus primus Caroli Regis.

Eodem anno inuictiſſimus Rex Carolus Conuentu celebrato in Ingelhaim, partibus Baioariæ properare cum immẽſo exercitu diſponit. Ipſóque tempore ſine bello ac vlla exercitus ſui moleſtia tradidit fortis præliator Deus regnum Baioariæ in manus inuictiſſimi Regis Caroli : & TASSILO Dux gentis eiuſdem tonſus eſt, atque in Gemmetico Cœnobio truſus. Hic nempe Geruoldus ſuper regni negocia Procurator conſtituitur per multos annos, per diuerſos portus ac ciuitates exigens tributa atque vectigalia, maximè in Quintavvich. Vnde OFFÆ Regi Anglorum ſiue Merciorum potentiſſimo in amicitijs valde cognoſcitur adiunctus. Extant adhuc Epiſtolæ ab eo ad illum, id eſt Geruoldum, directæ, quibus ſe amicum ac familiarem illius cariſſimum fore pronunciat. Nam multis vicibus ipſe per ſe iuſſione inuictiſſimi Regis Caroli ad præfatum Regem Offam Legationibus functus eſt. Nouiſſimè verò propter filiam eiuſdem Regis, quam in coniugium expoſtulabat Carolus iunior : ſed illo hoc non acquieſcente, niſi BERTA filia CAROLI MAGNI eius filio nuptui traderetur, aliquantulùm Rex potentiſſimus commotus præcepit vt nemo de Brittannia Inſula ac gente Anglorum mercimonij causâ littus Oceani maris attingeret in Gallia. Sed hoc ne fieret, admonitione ac ſupplicatione venerandi prædicti Patris Geruoldi inhibitum eſt. Hic nempe de rebus Eccleſiæ noſtræ iniuſtè ablatis, aut etiam ſpontanea Patrum Cœnobij voluntate Regijs hominibus contraditis, ſuggeſtionem ſuam magno Imperatori Carolo patefecit, eiúſque ex ſacra auctoritate Priuilegium accepit : vt quicquid iniuſtè ablatum erat, in iure ac poteſtate eiuſdem Eccleſiæ reciperet : Hic dedit in Eccleſia B. Petri cruciculam auream vnam, inaures ſex, fibulam vnam, annulum aureum vnum, biſmonem vnum, cruciculam cum

auro & argento vnam, Calices argenteos tres cum patenis eorum: Offertoria duo cum patenis eorum: Thuribulum argenteum vnum: Buticulam argenteam vnam: Fialas argenteas duas, Cochlearia argentea duo: Situlam de aurichalco vnam: Planetas casulas quatuordecim: Dalmaticas maiores duas, Minorem vnam: Pallia diuersa duodecim: Sagiam vnam: Fanones duos: Albas viginti octo, amictus viginti: Lintea quadraginta: Villosa duodecim: De libris verò Pentatheucum Moysi codicem vnum: Minorum Prophetarum Codicem vnum: Expositio B. Augustini in Euangelium Ioannis Codices duos: Librum Enchiridion S. Augustini Codicem vnum: Homiliare diuersorum Auctorum volumen vnũ. De ædificijs verò, Basilicam S. Apostoli Petri plumbo cooperuit: Similiter S. Michaelis Archangeli: Caminatam fratrum à fundamentis ædificauit: Domum etiam infirmantium Fratrum emendare studuit: Coquinam Fratrum iam penè dirutam in maiori elegantia reparauit: Sacrarium Ecclesiæ à fundamentis ædificauit. Scholam in eodem Cœnobio esse instituit, quoniam omnes penè ignaros literarum inuenit: ac de diuersis locis plurimum Christi gregem aggregauit, optimisque cantilenæ sonis, quantum temporis ordo sinebat, edocuit. Erat enim præfatus Geruoldus quanquam aliarum literarum non nimium gnarus, cantilenæ tamen artis peritus, vocísque suauitate ac excellentiâ non egenus.

Sub huius tempore bonæ recordationis Presbyter egregius nomine HARDVINVS florebat, qui in Cella clari Martyris Saturnini, quam B. Vvandregisilus ædificauerat, ob gratiam vitæ contemplatiuæ remotior degens, quæ sita in latere montis plagæ Aquilonaris præfatum Cœnobium spectat, plurimos Arithmeticæ artis disciplinâ alumnos imbuit, ac arte scriptoria erudiuit: erat enim in hac arte non mediocriter doctus. Vnde plurima Ecclesiæ nostræ proprio sudore conscripta reliquit Volumina: id est, Volumen quatuor Euangeliorum Romanâ literâ scriptum: Epistolarum B. Pauli Apostoli Volumen vnum. Sacramentaria Volumina tria: Lectionarium Volumen vnum: Item lectionum Euangelij volumen vnum: Homiliarum quadraginta Gregorij Papæ Volumen vnum: Librum de Arithmetica cum Epistolis de ratione Paschali Vo-

lumen vnum : Librum B. Auguſtini de Ciuitate Dei ab vndecimo vſque ad decimum octauum, Volumen vnum. Librum venerabilis Bedæ de naturis rerum ac temporibus Volumen vnum : Pſalterium cum Canticis ac Hymnis Ambroſianis, & terminis Paſchalibus, Volumen vnum : Librum vitarum Sanctorum Vvandregiſili, Ansberti, & Vvlfranni Confeſſorum Chriſti, Volumen vnum : Quæſtionum S. Ansberti ad Sivvinum Reclauſum Volumen vnum : Antiphonarium Romanæ Eccleſiæ Volumen vnum. Dedit etiam calicem argenteum cum patena, Thuribulum argenteum vnum in miniſterio Eccleſiæ, quæ ipſe ad ſacrificium Deo offerendum ſecum habuit, quamdiu remotiorem vitam duxit. Hic etiam religioſus vir Romam, præſidente in ſede eiuſdem Eccleſiæ ADRIANO Apoſtolico, ad limina Apoſtolorum orationis ac viſitationis gratiâ, locorum etiam Sanctorum, profectus eſt : proſperéque Domino comitante reuerſus. Qui depoſitus eſt ſenex & plenus dierum ſub anno Imperij Magni Imperatoris Caroli vndecimo, Regni autem eius, quod per quadraginta ſeptem annos tenuit, quadrageſimo quarto, qui erat Dominicæ Incarnationis octingenteſimus vndecimus, Indictione quarta, tenente regiminis locum in Fontinella Cœnobio anno quinto Traſaro Abbate.

Hic GERVOLDVS Abbas in ægritudine poſitus, de qua & vitam finiuit, contulit huic Cœnobio res proprietatis ſuæ quas acquiſierat in pago Ebroicino : hoc eſt illam Eccleſiam S. Paterni cum omnibus adiacentijs ſuis ſuper fluuio Ittone : ſimiliter in Villarcello & Maigoldiualle, atq; in curte Anelauna, & in Framſarias, & in RUMBAUDECURTE. Edita eſt hæc largitio Petreoponte villa huius noſtri Cœnobij VII. Idus Ianuarij. Et poſt ſeptem dies idem Geruoldus vitæ terminum dedit XVIII. Kalend. Iulij anno Incarnationis Domini IESV CHRISTI DCCCVI. qui erat annus Regni Magni caroli XXXVIII. Imperij verò ſextus. Rexit iſtud Cœnobium annis octodecim, menſes quinque, dies tredecim.

Gesta ANSIGISI *Abbatis Fontanellensis Cœnobij.*

CAPVT XVI.

ANSIGISVS vir glorioſus ac tranquillus, omníque ſcientiâ diuinæ ſcilicet atque humanæ Philoſophiæ ſufficienter inſtructus, à patre Anaſtaſio nomine, matréque vocabulo Himilrada procreatus, diuina ordinante clementiâ, Regimen accepit loci huius anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXIII, qui erat annus LVDOVICI glorioſiſſimi Auguſti decimus, porrò PASCHALIS Apoſtolici circiter ſeptimus, ſub die quarto Nonarum Aprilium, Indictione I. De cuius clara origine, vitâ, conuerſatione, moribus, & actibus, placet præſenti operi ea tantùm inſerere quæ Lectoris animum non offendant. Nam iuxta ſeculi huius dignitatem ex nobili Francorum proſapiâ claram duxit originem, quam nobiliorem operum ſplendidiorum reddidit exemplis. Duæ verò clariſſimæ virtutes in eo maximè refulgebant: quarum prima illi fuit, benè viuere; ſecunda, rectè docere. Denique tenente locum regiminis huius cœnobij Girovvaldo Abbate propinquo ſuo, hoc acceſſit Monaſterium, tonſurámque capitis ab eo ſuſcepit. Deinde non multò poſt ad Palacium eum perducens, in manus glorioſiſſimi Regis Caroli commendare ſtuduit. Defuncto verò Geroaldo, TRASARIVS hoc adeptus eſt cœnobium, ac non poſt multum temporis præfatus domnus ANSIGISVS Flauiacum Monaſterium quod Sanctus Geremarus fundauit, ac corpore requieſcit, quod eſt ſitum in pago Bellouacenſi, à domno Rege Carolo in precarium accepit, anno videlicet Incarnationis Domini IESV CHRISTI DCCCVII. qui erat annus Magni Caroli, ex quo Rex Francorum cõſtitutus eſt, XXXVIIII. ex quo verò Imperator & Auguſtus appellatus eſt, annus VII. Quod ferè ædificijs deſtitutum, ac in egeſtate redactum atque relictum inuenit: Sed intra pauci temporis ſpacium nobili ſua induſtria recuperare ſtuduit. Omnia nanque ædificia & publica & priuata ipſe ibidem, eliminatis atque proiectis ijs quæ vetuſtate conſumpta fuerant, à fundamentis conſtrui, atque in maiori

maiori elegantia reſtaurari fecit, veluti cunctis illò aduenientibus palam eſt. Nam in præceptis rei ruſticæ ſagaciſſimus erat: vnde factum eſt vt diuerſarum frugum maxima illi copia nunquam deeſſet, quam ſemper larga manu cunctis indigentibus erogare nouerat. Erat nanque eleemoſynarius valde pauperúmque refector, profluus ditator ac defenſor Eccleſiarum, clericorum nutritor, monachorum veriſſimus Pater, peregrinorum lætiſſimus ſuſceptor, viduarum ac pupillorum maximus adiutor. Denique ante Flauiacenſe cœnobium duo alia ad regendum abinuictiſſimo Rege Carolo ei commiſſa fuerant cœnobia; vnum quod eſt ſitum prope muros vrbis Remenſis, & in honore S. Sixti primi eiuſdem vrbis Præſulis conſtructum, & eſt in ditione eiuſdem ciuitatis: alterum in territorio Catalaunici caſtri, quo ſanctus Epiſcopus Memmius corpore quieſcit humatus. Quibus deſertis Flauiacenſis Rector conſtituitur anno ſupra ſcripto. Præterea dum prædictum Flauiacenſe cœnobium iure precarij ac beneficij teneret, etiam Exactor operum Regalium in Aquiſgrani Palatio Regio ſub Heinhardo Abbate viro vndecunque doctiſſimo à Domino Rege conſtitutus eſt. Quod nobiliſſimè adminiſtrauit, atque in cunctis operibus ſuis prudenter ſe agebat. Plurimis verò eiuſdem Regis iuſſu legationibus ſtrenuiſſimè functus eſt.

Interea defuncto Magno Carolo Imperatore Auguſto diuæ memoriæ, Lvdovicvs eius filius in Imperium eleuatur. A quo idem Domnus Anſigiſus magnificè honorari meruit. Anno denique imperij ſui IV. Luxouium famoſum Gallijs Cœnobium ad regendum beneficij iure eidem contulit. Quo anno Stephanus Papa tertio menſe, poſtquàm Romam remeauerat reuerſus de Francis, VIII. Calendas Febr. vita deceſſit: in cuius ſede Paſchalis ſucceſſor efficitur. Luna eclipſim paſſa eſt Non. Febr. die horâ noctis ſecundâ. Abdiraman Rex Sarracenorum Legatos pro pace Compendium ad Imperatorem miſit, qui Compendio auditi, & Aquiſgrani iterum perrexerunt, tréſque menſes detenti, Regi ſuo remiſſi ſunt. Hoc etiã anno Bernardvs Rex Italiæ in deditionem apud Cauillonem Imperatori ſe tradidit. Sed his omiſſis ad cœpta reuertamur. Anno igitur Imperij Domni Ludouici Auguſti tertio

TRASARVS Rector huius Cœnobij cum licētiâ eiusdem Imperatoris ad locum suæ natiuitatis repedauit, ac Beneuentum in Campania regrediens à SIGONE Duce, quem ex lauacro sanctæ regenerationis susceperat, honorificè susceptus est. Post quē Einhardus hoc Cœnobium per septem fermè tenuit annos. Quod demum vltrò derelictum, diuina vt credi fas est iussione, ac glorioſissimi Imperatoris Ludouici largitione domnus Ansegisus ad gubernandum suscèpit anno iam suprà taxato. Quod tam solerti studio summáque industriâ nobilitauit, vt nouus Vvandregisilus credi posset, aut etiam magnus Præsul Ansbertus rediuiuam ad lucem regressus fore putaretur. Verùm sicut illi in exordio sui ædificijs nobilitauerunt, Clerum auxerunt, disciplinis Ecclesiasticis imbuerunt, ita iste diruta emendare studuit, ac vetustate consumpta in maiori elegantia reparauit: Clerum nobiliſſimè auxit, ac regulari ordine secundum egregij Patris Benedicti normam vt vitam degerent multipliciter decertauit. Nam ex desidia priorum Patrum, qui gregis sibi commissi curam minùs deuotè gesserunt, status almæ Regulæ prædicti Patris Benedicti iam quasi casurus videbatur, licet illi qui Domino militabant Canonico ordine irreprehensibiliter conuersarentur. Contigerat enim ob incuriam, vt iam dixi, Prælatorum, qui ea quæ Regulæ auctoritas sacræ dare mandabat, paruipendendo impertiri distulerant: sed prædictus reuerendiſſimus Pater Ansegisus hoc modis omnibus sategit vt in pristinum statum ac legem recuperaret, iuxta quod voluntatem Domni Imperatoris super hoc nouerat, & quæ Regulæ auctoritas dare mandabat, largiri modis omnibus non negligeret. Denique ex Luxouio Cœnobio, quo in Galliarum terris in Religione ac regulari disciplina non inferius vsque ad præsens videtur, Monachos Deum timentes, virósque Religioſos secum huc adduxit, qui & legem istinc Monachorum docerent, & exempla salubria ostenderent: licet olim à viro iusto Benedicto Fossacensis Cœnobij Abbate eruditi in hac Philoſophia fore viderentur: qui plurimis diebus in hoc Monasterio conuersantes, nonnulla exempla doctrinæ & bonitatis suæ istic reliquerunt. Nam, vt verè fatear, non inferius Franciæ seu Galliæ Monasterijs istud in omni Religione com-

Digitized by Google

parabatur cœnobium. Nec mirum, si tempore Ducis optimi milites Christi per viam Regiã incederent, licet nunc Christi caritas non sit refrigerata, cùm vtique signifer sanctissimæ disciplinæ idem existeret, qui omnibus imitandus apparebat. Quicunque enim illum audiebat præcipientem, non redarguebat aliter operantem. Testimonium veritati, non amicitiæ reddebat. Sermones eius vtiles magis quàm faceti esse nouerant: à verbis quoque turpibus omnimodis abstinebat, sciens quia licentia eorum impudentiam nutrit. Quatuor quoque virtutes, quibus omnis homo præcipuè inniti debet, in eo refulgebant: prudentia videlicet, fortitudo, temperantia, atque iustitia: sermo nempe eius nusquam inanis extitit, immò subditis sibi aliísque aut suasit bona agere, aut monuit docere recta, aut consolatus est dolentes, aut præcepit fidem Deo æterno & immortali, Regíque terreno inuiolatam seruare, quæ etiam in suis actibus primus adimplere curauit. Quæcunque verò ex rebus transitorijs possedit, nihil magni æstimauit, sed potiùs caducum esse credidit: ideo gazas suas monasterijs ac egenis distribuere satagebat, thesaurizans sibi thesauros in cœlo, quò fur non appropiaret, neque tinea deuoraret. Vitiorum per omnia fugax extitit: Aliorum verò neque acerbus reprehensor, neque curiosus scrutator. Cunctis denique benignus, in aduersis firmus, in prosperis cautus & humilis. Iustitiæ postremò virtutem quàm magnificè tenuerit, testantur legationes, quibus iussu Augustorum frequenter functus est: maximè ea quæ tempore Domni Ludouici magni Imperatoris, iussu eiusdem partibus Marcæ Hispanicæ celebrata est aduersus Gautselinum custodem limitis illius. Erat enim in sermone verissimus, in fide firmissimus, in bonis operibus promptus, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in bonitate conspicuus, in caritate præclarus, fide catholicus, eleemosynis diues, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio. Vtile nempe vas in domo Domini, Deo sedulè seruiens, errantes corrigens, correctos fouens, obstinatos spernens, humiles semper diligens, Regi terreno subiectus, Christo dominatori omnium deuotus.

Quantùm verò in Ecclesiasticis curis intentus fuerit, testantur innumera in cœnobijs eius curæ subditis ab ipso collata,

In Luxouiensi nanque cœnobio hæc dona obtulit : crucem auream mirificè factam, gemmis precioſiſſimis decoratam, habentem baculum argento coopertum, quem ſecum ſolitus erat in itinere baiulare : Offertorium aureum cum patena ſua aurea opere mirabili : calices argenteos tres deauratos anaglyfico opere patratos : Hanappum argenteum optimo opere factum, habentem limaces aureos quatuor in fundo exteriùs ſibi annexos : Aquamanile & Vrceum argenteum mirabili opere : Altare in honore perpetuæ Virginis MARIÆ decorauit tabulâ ligneâ, quam imaginibus argenteis diuerſis cooperuit. De veſtimentis verò, Rodinum * optimum vnum, Planetas caſulas quinque : cindados duodecim coloris diuerſi. Dalmaticas tres : Pallia fundata ſex : Tapeta optima octo. Eccleſiam S. Petri altiorem in fabrica ſua, muros exaltans, reddidit, ac cum clauis ferreis eam cooperuit. Porticum præterea, quæ vadit de Eccleſia B. Petri ad S. MARTINUM de nouo fecit, & eam cooperiens ſcindulas eius ferreis clauis affixit.

* dirodimũ

In hoc igitur Fontinellenſi cœnobio hæc munera contulit: Portionem magnam ligni ſalutiferæ crucis Dominicæ incluſam auro, quod rotundo ſcemate formatum erat, eiúſque in medio cryſtallum poſitum, ita vt figura ligni ſanctæ crucis intuentibus intus appareret. Quod poſteà præpedientibus peccatis, ſiue alio quolibet caſu de frontiſpicio lecti protectoris noſtri B. Vandregeſili fures ſuſtulerunt perforatâ maceriâ Baſilicæ S. Petri; quod factum eſt pridie Nonas Decembris, Dominicâ, expletis poſt obitum eiuſdem glorioſi Patris menſibus tribus, & diebus ſexdecim. Calicem aureum mirificè factum duas hinc inde habentem anſulas gemmis precioſiſſimis decoratum, qui penſat libram : Alterum argenteum anaglyfico opere factum operis mirandi cum patena ſua argentea : Offertorium argenteum eiuſdem Calicis habens effigiem mirifici operis : Alia Offertoria argentea cum patenis argenteis earumdem : Coronam maiorem argenteam cum lampada ſua argentea optimam vnam. Item lampadam argenteam vnam : Thuribulum argenteum optimum vnum : Candelabra argentea tria habentia ſolidos nonaginta ; id eſt, vnumquodque triginta : Sigilla aurea mirifica cum precioſis lapidibus numero duo : Vrceum argenteum cum aquamanili optimum

Digitized by Google

vnum : Cuppas vitreas auro ornatas duas, eburneam vnam mirificè factam. Pixidas eburneas duas: Hanapum vitreum optimum vnum: Quatuor Euangelia in membrano purpureo ex auro ſcribere iuſſit Romanâ literâ; ex quibus Matthæi, Ioannis, & Lucæ compleuit, ſed interueniente morte eiuſdem reliquum imperfectum remanſit : Lectionarium etiam in membrano purpureo ſimiliter ſcribere iuſſit, decoratum tabulis eburneis : Antiphonarium ſimiliter in membrano purpureo argenteis ſcriptum literis, ornatúmque tabulis eburneis. De veſtimentis verò Eccleſiaſticis largitus eſt pallia, quæ dicuntur fundata, tria: Stauracia duo; Stragulum Hiſpanicum vnum : Tapetia quatuor : Dalmaticas miniſtrorum miniſterio aptas ſex : Roccum ſubdiaconalem vnum: Coccum vnum: Tunicam Sacerdotalem Indici coloris cum veſtimento integro vnam : Planetas Caſulas quatuor: Caſulas item ex cindato Indici coloris tres, viridis coloris ex cindato item tres : Item rubei ſiue ſanguinei coloris ex cindato vnum : Blatteam item Caſulam vnam : Cappas Romanas duas, vnam videlicet ex rubeo cindato & fimbrijs viridibus in circuitu ornatam. Alteram ex cane pontico, quem vulgus Beuurum nuncupat, ſimiliter fimbrijs ſui coloris decoratam in orbe : Linteum optimum vnum : faciſtergium optimum vnum : Fanones optimos duos, vnum auro decoratum, alterum ſtauratio: item de cindato duos : puluinaria ſerica Euangelicis officijs apta; maiora, duo; minus, vnum: Cingula Romano opere facta auro decorata duo : Mappulas duas, ſtolas duas.

De libris autem hanc dedit copiam, Bibliothecam * optimam, continentem vetus & nouum Teſtamentum cum Præfationibus ac initijs Librorum aureis literis decoratis; Libros Expoſitionum Diui Auguſtini in Geneſim ad literam volumen vnum. Item Enchiridion eiuſdem, volumen vnùm: Eiuſdem Explanationum in omnes Pſalmos Volumina tria: Eiuſdem contra Iulianum hæreticum Volumen vnum : Item Librum Epiſtolarum eiuſdem ad diuerſos, Volumen vnum: Item eiuſdem Librum qui dicitur, Vnde malum, Volumen vnum. Item Librum eiuſdem qui prætitulatur, de Doctrina Chriſtiana, Volumen vnum : Librum decem Chordarum

* id eſt, Biblia

Digitized by Google

eiusdem : Eiusdem super Epistolam Ioannis : Item aduersus Epistolam Fundamenti Volumen vnum: Homiliare eiusdem, Volumen vnum : Expositionem B. Ambrosij in Lucæ Euangelium, Volumen vnum: Epistolarum eiusdem ad diuersos, Volumen vnum; Item eiusdem librum qui dicitur de bono mortis, Volumen vnum : Item eiusdem de Ioseph ac duodecim Patriarchis vol. 1. Epistolarum B Hieronymi Volumen vnum. Epistolarum S. Sixti Episcopi Volumen vnum. Historiarum Iosephi Volumen vnum. Tagij Sententiarum, Volumen vnum. Excerptionum Paterij de veteri ac nouo Testamento ex Opusculis B. Gregorij Papæ vol. 1. Euipi ex Opusculis B. Augustini similiter vol. 1. Gregorij in parte media Iob vol. 1. Librum Fulgentij Episcopi Carthaginensis vol. 1. Librum Ferandi Diaconi Ecclesiæ Carthaginensis vol. 1. Bedæ in Genesim expositio vol. 1. Eiusdem de computo ac ratione temporum, vol. 1. Collectaneos duos super anni circulo, Pauli Diaconi Volumina duo. Libros Glossarum duos. Librum Canonum diuersorum Conciliorum, Volumen vnum.

Ædificia autem publica ac priuata ab ipso cœpta & consummata hæc sunt: In primis Dormitorium Fratrum nobilissimum constrúi fecit, longitudinis pedum ducentorum octo, latitudinis verò viginti septem: porrò omnis eius fabrica porrigitur in altitudine pedum sexaginta quatuor; cuius muri de calce fortissima ac viscosa, arenáque rufa & fossili, lapidéque tofoso acprobato constructi sunt. Habet quoque solarium in medio sui pauimento optimo decoratum, cui desuper est laquear nobilissimis picturis ornatum. Continentur in ipsa domo desuper fenestræ vitreæ, cunctáque eius fabrica, exceptâ maceriâ, de materia quercuum durabilium condita est : tegulæque ipsius vniuersæ clauis ferreis desuper affixæ; habet sursum trabes & deorsum. Post quod ædificauit aliam domum quæ vocatur Refectorium, quam ita per medium maceriâ ad hoc constructâ diuidere fecit, vt vna pars Refectorij, altera foret Cellarij : de eadem videlicet materia simílique mensura sicut & Dormitorium, quam variis picturis decorari in maceria & in laqueari fecit à Madalulfo egregio Pictore Cameracensis Ecclesiæ. Tertiam nempe fe-

cit domum egregiam constrvi, quam maiorem vocant, quæ ad Orientem versa ab vna fronte contingit Dormitorium, ab altera adhæret Refectorio : vbi cameram & caminatam, necnon & alia plurima ædificari mandauit; sed aduenientе morte eiusdem, hoc opus ex parte imperfectum remansit. Hæc tria egregia tecta ita constituta sunt : Dormitorium videlicet ab vna fronte versum est plagæ Septentrionali, ab altera Australi, & adhæret ab ea Basilicæ S. Petri. Refectorium similiter versum est eisdem plagis : & est ferè contiguum à parte Meridiana absidæ Basilicæ S. Petri. Porrò illa maior domus, sicut suprà diximus, constituta est. Ecclesia autem S. Petri à parte Meridiana sita est, versa tamen ad Orientem. Ipsa etiam à parte Occidentali triginta pedum in longitudine, ac totidem in latitudine accreuit, constructo desuper Cœnaculo, quam in honore Domini Dei Saluatoris nostri Iesv Christi dedicandam fore præoptabat. Sed & ipsum opus propter mortem eius tam citam imperfectum remansit. In eadem autem Basilica S. Petri pyramidem quadrangulam altitudinis triginta quinque pedũ de ligno tornatili cõpositam, in culmine turris eiusdem Ecclesiæ collocari iussit; quam plumbo, stanno, ac cupro deaurato cooperiri iussit, triáque ibidem signa posuit : nam antea nimis humile hoc opus erat. Ipsam nanque turrim, simúlque absidam tegulis plumbeis à nouo cooperiri iussit. Iussit præterea aliam condere domum iuxta absidam Basilicæ S. Petri ad plagam Septentrionalem, quam Conuentus, siue Curiæ, quæ Græcè Beleuterion dicitur, appellari placuit; propter quod consilium in ea de qualibet re perquirentes conuenire Fratres soliti sint. Ibi nanque in pulpito lectio quotidie diuina recitatur, ibi quicquid regularis auctoritas agendum suadet deliberatur. In qua etiam monumentum nominis sui collocari iussit, vt dum vitæ præsentis terminum daret, illîc à suis deponeretur. Item ante Dormitorium, Refectorium, & domum illam quam maiorem nominauimus, porticus honestas cum diuersis pogijs ædificari iussit, quibus trabes imposuit, ac iuxta mensuram eorumdem tectorum in longum extendit. In medio autem porticus, quæ ante Dormitorium sita videtur, Domum Cartarum constituit. Domum verò, qua Librorum copia conseruaretur, quæ

Græcè Pyrgiscos dicitur, ante Refectorium collocauit, cuius tegulas clauis ferreis configi fecit.

In Flauiacensi quoque Cœnobio quæ obtuletit dona, hoc in loco declarandum censuimus. Ibi nanque gratuita benignitate largitus est Calices argenteos diuersos decem: Aquamanile argenteum cum vrceo suo argenteo: Candelabra argentea numero septem: Pallia diuersa plùs minúsue quadraginta: Casulas planetas, ac cindatos diuersos triginta, quarum colores oneri videtur describere: Fanones ac Lintea non occurrunt memoriæ quot fuerint numero. In honore verò Sanctæ Trinitatis Basilicam ædificauit, ante cuius aram Tabulam argenteis imaginibus decoratam collocauit, ipsique aræ crucem argenteam imposuit, vniuersámque Basilicam varijs picturis decorari iussit. Nomina autem Librorum, quos ipsi contulit loco, hæc sunt: Pandectem à B. Hieronymo ex Hebræo vel Græco eloquio translatum: Eiusdem expositionem in duodecim Prophetas, & sunt Tomi viginti in Volumine vno: Eiusdem in Isaia Propheta Libri octodecim, Volumẽ vnũ: Eiusdẽ Librũ Epistolarum, Volumina duo: In Prouerbijs Salomonis eiusdem Volumen vnũ: In Danielẽ Prophetam eiusdem: In Euangelio Matthæi eiusdẽ, continens in eodem decreta Gelasij Papæ de Libris recipiendis & non recipiendis: & excerptio aliqua de Libris Exameron S. Ambrosij Episcopi, codex vnus. Libros S. Augustini, qui prætitulantur, De Ciuitate Dei, numero triginta duo in codice vno: Eiusdem expositionem in Euangelio S. Ioannis, Volumen vnum: Homiliare eiusdem continens Sermones CXLVII. Volumen vnum: Libros eiusdem XV. de S. Trinitate, Volumen vnum: Concordiam Euangeliorum eiusdem, Codicem vnum: Eiusdem de Doctrina Christiana, Cod. vnum. Expositionem Symboli eiusdem Cod. vnum: Quæstiones eiusdem octoginta, Cod. vnum: De Baptismo paruuloru m eiusdem ad Marcellum Lib. tres: De sermone Domini in monte Lib. duos: De prouidentia Dei Serm. I. De Natali proprio Serm. I. Ad Flactianum Epistol. Vol. I. Eiusdem Academicorum Lib. tres: Soliloquiorum Lib. duos: De immortalitate Librum vnum: De quantitate animæ Lib. vnum: De Magistro Librum vnum: De ordine Lib. II. De videndo Deo

Librum

Librum 1. vol. 1. Libros Confeſ. eiuſdē cod. vnum : Librum qui dicitur Enchiridion, cod. vnum : In Pſalmis expoſitionem eiuſdem, codicem vnum. Expoſitionem S. Ambroſij in Epiſtolas Pauli, vol. vnum. Hiſychij Presbyteri in Leuiticum lib. 7. cod. 1. Expoſitionem S. Ioannis Conſtantinopolitani Epiſcopi in Matheum. Apocalypſim S. Ioannis, continentem etiam librum S. Iſidori Differentiarum, cod. vnum. S. Hilarij Epiſcopi contra hæreticos cod. 1. Homiliarum B. Gregorij Papæ in nouiſſima parte Ezechielis Prophetæ in cod. vno : Epiſtolarum eiuſdem cod. vnum. Expoſitionem Bedæ Presbyterj in actibus Apoſtolorum, cod. vnum. In ſeptem Epiſtolas Canonicas & Apocalyſim Ioannis cod. vnum : Eiuſdem in Marci Euangelium cod. vnum. Eiuſdem in Lucam Euangeliſtam cod. 1. Librum Teſtimoniorum Iſidori de Chriſto & Eccleſia cod. vnum : Eiuſdem Etymologiarum cod. vnum : Eiuſdem Rotarum ad Siſebutum Regem, cod. 1. Proſperi de vita actiua & contemplatiua in cod. 1. Prognoſticon futuri ſæculi cod. 1. Diſputationem fidei inter Arium hæreticum ac Athanaſiū Catholicum in cod. 1. Epiſtolarum S. Cypriani Martyris cod. 1. Alcuini de Trinitate Librum in cod. 1. Regulam B. Baſilij Epiſcopi. Regulam B. Benedicti in cod. 1. Hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebij Cæſarienſis Epiſcopi in cod. vno : Chronicam eiuſdem in cod. vno. Hiſtoriam item Eccleſiaſticam trium virorum, ideſt, Zozomeni, Theodoriti, & Socratis, in cod. vno. Canones diuerſorum Patrum in Codice vno. Sacramentoria volumina duo. Caſſiodori de Arithmetica, vol. vnum : Eiuſdem in Pſalmos expoſitionem vol. vnum. Homiliarum Origenis in veteri Teſtamento volumina duo : Eiuſdem in Pſalmos expoſitionem, volumina duo. Vitas Beatorum Confeſſorum Hieronymi, Auguſtini, Gregorij. Item paſſionem B. Columbæ Virginis in cod. vno. Inſtitutio ac collectio cuiuſdam de vita Canonica, vol. 1. Geſta Francorum in cod. vno. Et alios plurimos, quorum nunc nomina non occurrunt memoriæ.

In eleemoſynarum verò largitionibus quantùm ſollicitus extiterit, ipſa eius opera teſtimonium perhibent. Nam quodam tempore, ideſt, anno regiminis ſui decimo octauo, in paſſionem incidit illam, quam Medici Paralyſim vocant:

móxque vocatis domesticis ac fidelibus seu intimis suis, hanc rerum suarum distributionem gratuito animo facere curauit. Quæ elargitio seu distributio, ipsius iussu ac supplicatione edita est à venerabili viro Hildemanno Bellouacensis vrbis Episcopo, adjuncto Berteningo & Gerlone laïcis simulque Landone Monacho. Cuius textus talis est: In hoc Fontinellensi Cœnobio largitus est Fratribus libras nonaginta; nam omnibus annis triginta in censu dare consueuerat: famulis laïcis libras decem: senibus in illo Xenodochio, & ceteris mansionibus pauperum solidos decem. Vniuersæ familiæ huius Cœnobij libras quadraginta. Cæterorum Monasteriorum nomina, ad quæ eadem largitio eleemosynæ peruenerit, sigillatim exprimam. Ad Gemmeticum Cœnobium libras v. direxit: Ad Logium libram vnam: Ad Fiscannum Librã vnam: Ad Villare librã vnam: Ad Longogilum libram vnam: Ad sanctum Vvalericum libram vnam: Ad B. Richarium libras duas & semis: Ad sanctum Audomarum libras duas & semis: Ad S. Audoënum in Rothomago libras quinque: Ad sanctam Mariam in domo eiusdem Ecclesiæ libras duas. Ad S. Martinum in eadem vrbe, & cæteris Cellis, solidos viginti quinque: Ragnoardo eiusdem vrbis Archiepiscopo libras decem; videlicet vt quinque Presbyteris, & alias quinque pauperibus erogaret. Ad Penthale Monasterium solidos quindecim: Ad Penante solidos quindecim: Ad Pratellos similiter: Ad Ebroïcas ciuitatem libram vnam: Ad illam Crucem S. Audoënj libras duas: Ad Lixouium vrbem libram vnam: Ad Fontanas Cœnobium solidos duodecim: Ad Bajocas ciuitatem libras duas. Ad duorum Gemellorum Monasterium libras duas: Ad S. Martinum Turonensem libras quinque, illis Canonicis in domo libram vnam: Ad S. Anianum Aurelianensem libram vnam, illis Canonicis in domo libram vnam. Ad S. Benedictum in Floriaco libram vnam: Ad Ferrarias libras duas: Ad S. Carilefum libram vnam & semis: Ad Curbionem Monasterium libram vnam: Ad sanctam Columbam in Senonis, illis Monachis libras duas; illis Canonicis in eadem ciuitate libras duas. Item ad S. Petrum illis Monachis in eadem vrbe libram vnam: In Autisiodoro vrbe illis Canonicis libram vnam: Ad S. Remi-

Digitized by Google

gium illis Monachis ſimiliter: Ad S. Heracleum in eadem vrbe ſimiliter: Item in Autiſiodoro ad S. Germanum illis Monachis libram vnam. In Trecas illis Monachis ad S. Petrum libram vnam: Ad ſanctam Crucem Meldis illis Monachis ſimiliter: Ad Foſſatos Monaſterium illis Monachis libras duas: Ad S. Genouefam Pariſius libras duas: Ad S. Germanum Pariſius libras tres: In eadem vrbe illis Canonicis libram vnam: Ad S. Dionyſium libras quinque: Ad Calam Monaſterium libras duas: Ad S. Lucianum illis Monachis libras duas: Belloaci illis Canonicis libram vnam: Ad Flauiacum illis Canonicis libras quindecim: Ad opus famulorum eorum libras decem: Hildemanno Epiſcopo ad Preſbyteros & pauperes libras decem. Ad Oratorium Monaſterium ſolidos quindecim: Ad Fontanidum Monaſterium ſolidos decem: Ad Inſulam Monaſterium ſolidos decem: Ad Andelagum Monaſterium ſolidos duodecim: Ad Malardum-vallem ſolidos decem: Ad Reſbace Monaſterium libram vnam & ſemis: Ad S. Saluium in Brago ſolidos decem: Ad Malam Monaſterium libram vnam: Ad S. Vedaſtum in Atrebato libras duas: Ad Cameracum libras duas: Ad S. Gaugericum libram vnam: Ad Corbeïam libras quinque: Ad ſanctum Eligium in Nouiomo ciuitate libram vnam; item ad eandem vrbem Canonicis libram vnam: Item ad Sueſſionis ciuitatem Canonicis libram vnum: Ad S. Criſpinum ſolidos quindecim: Ad S. Medardum Monachis libram vnam: Illis Sanctimonialibus libras tres: ad Remis illis Canonicis libram vnam: Ad S. Remigium in eadem vrbe Monachis libram vnam: Ad S. Memmium in Catalauno libram vnam: Ad eandem vrbẽ ſolidos 15. Ad Altum montẽ Monaſteriũ quo S. Anſbertus quondam exilio fuit intruſus atque conſortijs inde ereptus humanis, ſolidos quindecim: Ad Malbodium Cœnobium libram vnam: Ad Caſtrilocum * Monaſterium ſimiliter: Ad Laubias Monaſterium libram vnam: Ad Indam Cœnobium libras duas. Ad Lingonas illis Canonicis libram vnam: Ad Luxouium libras vigintiquinque, ideſt, in ipſo Monaſterio libras decem: Ad Fontanas Cellam eiuſdem Cœnobij libram vnam & ſemis: Ad Cuſantiam ſimiliter: ad Anagrates lib. 11. Ad Romarici montem libram vnam: Ad

* Caſtrologum.

Balmam similiter libram vnam & semis. Ad Morbach Cœnobium libram vnam: Ad S. Gregorium libram vnam: ad Monasterium Maurj libram vnam: Ad Melundas * libram vnam: Ad S. Reginbertum, vbi primò elementa didicerat literarum, per manus quoque matris suæ in vsus egenorum viginti libras expendit: Simili modo per manus Berteningi libras viginti; sibi verò in domo sua famulantibus libras quadraginta largiri fecit. Tribus vicibus omnes opes suas egenis ac pauperibus erogari fecit, nil sibi reseruans; quæ qualiter gesta sint, ne nauseam aut fastidium ingessisse videar, transcendendo omittam. Eleemosynis enim sibi viam præparauit, quoniam nouerat externum omnem hominem esse siue ad pœnam siue ad gloriam: ideò eleemosynis ac orationibus seruorum Dei se roborabat, vt & cursum huius vitæ pacificè transigeret, atque feliciter in perpetuum viueret. Rexit autem hoc Cœnobium idem gloriosus vir per annos decem, menses quinque, dies XVIII. Ipso tempore recessit Domnus Ansigisus Dominica illucescente, die XIII. Kal. Augusti; eodem die cum fletu maximo tumulatus extra Basilicam S. Petri ad aquilonalem plagam, in porticu in qua Fratres conuentum celebrare soliti sunt, ac consultis Deo dignis aures accommodare: & cessauit regiminis locus triginta & octo diebus.

* Meldunas

Constitutio ANSEGISI *Abbatis.*

CONSTITVTIONEM verò, quam seruis Dei isto in Cœnobio degentibus de victu ac vestitu instituit, commodum arbitratus sum huic Operi inserere. Cuius talis est textus.

Memoratorium qualiter domnus ac venerabilis ANSEGISVS *Abba disposuit vestimenta & calciamenta, atque alimoniam Fratribus in Monasterio Fontanella morantibus, vnà cum consensu eorum ordinabiliter: vt absque vllius occasionis querela, omni egestate exclusa, vota sua Deo reddere, atque sponsionis suæ negocium ad effectum omni tempore perducere possent.*

De pago nanque Bononensi & Taruanensi vestitus integros

Digitized by Google

lx. cenſuit porrigendos. Drappos albos xx. de quibus camiſiæ xx. fieri poſſent. Coria boum ad ſoleas v. compoſita. Fabarum modios xx. Caſeor penſas xxi. per libras lxxv. Oua mille. Ceræ ad illam Eccleſiam libras cc. Ad opus fratrum c. Seuo lib. cc. De Corialinſe calcibus xxiiii. Bragal. lx. Ad faccos autẽ faciendos drappos albos ii. de quibus fieri poſſint Stamineæ x. Toaculas ii. (oria bouina cõpoſita v. fabar. modios x. Piſor. modios xx. Caſeor. penſas xv. per libras lxxii. Salis modios xxv. In menſe Septembrio oua mille. De illa gregaria pagenſ. lx. De Irtio & Idtio mapp. iii. longitudinis vlnarum x. latitudinis ii. De Apuliaco mappa vna eiuſdem menſuræ. Lintea ad manus tergendas velloſa iii. vnumquodque de vlnis quinque in longitudine, in latitudine iii. De Gera camſiles iii. ad mappulas faciendas longitudinis vlnarum xiii. latitudinis trium. De Clariaco mappam vnam habentem in longitudine vlnas x. in latitudine iii. Item de Hirtio camſilem de vlnis xii. iii. latitudinis ad pedes tergendum. De Campomis toaculam i. De Roſontio ſimiliter. De Floriaco ſimiliter. De prædicta gregaria caſeor. penſas xxx. per libras lxxii. Filtra ad ſoccos faciendum xii. Ad lecta quantum neceſſitas popoſcit. Porcos ſaginatos ad adipem & lardum cum vnctis lx. & inſuper quantum neceſſe fuerit. De miniſterio Roſontione fabar. modios tres, Piſor. modios v. Ad Natiuitatem Domini aucipaſtas tres, pullipaſtas xx. pullos lx. Oua ccl. Et in Paſcha ſimiliter. Ceræ lib. iii. mellis ſextarios tres. Et in menſe Nouembrio oua d. ligna carra lx. Inter illam Crucẽ Paldriaco & Bladriciagas fabar. iii. piſor. mod. v. Ad Natiuitatem Domini aucipaſtas iv. pullipaſtas xii. pullos lx. Oua ccl. Et in Paſcha ſimiliter ceræ lib. 3. mellis ſextarios iiii. In menſe Decembrio oua d. ligna carra lx. De Campanis fabar. mod. iii. piſor. modios viii. Ad Natiuitatẽ Domini aucipaſtas iv. pullipaſtas vii. pullos lxx. oua ccl. Et in Paſcha ſimiliter, mellis ſextarium vnum, ceræ lib. i. In menſe Ianuario oua d. ligna carra lx. De Sadanma & Bubulo captiua fabar. mod. ii. piſor. modios. iv. Ad Natiuitatẽ Domini aucipaſtas ii. pullipaſtas x. pullos xxx. oua c. Et in Paſcha ſimiliter, mellis ſextarios ii. Ceræ lib. 2. In menſe Februario oua d. ligna carra xii. De Gariçiagas, Duno, & Gera, fabar.

mod. III. piſorum mod. IV. Ad Natiuitatem Domini aucipaſtas tres, pullipaſtas XII. pullos XI. oua CCL. Et in Paſcha ſimiliter mellis ſextarium I. Ceræ libram I. Et in menſe Martio oua L. ligna carra XII. De Petreoponte & Vvirtlaico toaculas II. fabar. mod. V. ſalis mod. XV. Ad Natiuitatem Domini aucipaſtas II. pullipaſtas XXVI. pullos CV. oua D. Et in Paſcha ſimiliter mellis ſextarios II. Et in menſe Aprili oua D. De Idcio fabar. mod. I. piſor. mod. I. Ad Natiuitatẽ Domini aucipaſtam vnam, pullipaſtas IV. pullos XXV. oua L. Et in Paſcha ſimiliter mellis ſextarium I. ceræ lib. I. Et in menſe Majo oua L. ligna carra XV. De Irtio fabar. mod. I. piſor. mod II. Ad Natiuitatem Domini aucipaſtam vnam, pullipaſtas IV. pullos XXV. oua L. Et in Paſcha ſimiliter mellis ſextarium I. ceræ lib. I. Et in menſe Iunio oua D. Item de Roſontione in menſe Auguſto oua CLXVI. De illa Cruce & Campanis oua CLXVIII. De Reuereis curte vini modios XLVIII. oua CCL. vinum de Alpiaco mod. CCCL. De Riparenſi curte mod. CL. De Abriaco mod. L. De Burgundia mod. L. ſunt modij DC. Adumaticum mod. XXXII. Sicera Humolone quantum neceſſitas expoſcit. Ceræ ad illam Eccleſiam libras CC. olei libras CXXX. Adipem mod. VIII. Ad opus Fratrum ceræ lib. C. olei lib. C. Ad pelles hircinas ſexaginta compoſitas lib. 3. Ad cordebiſos XL. comparandum lib. 3. Ad coria bouina XX. lib. I. Capellos nigros VIII. de ſolid. XXXII. Alios quatuor, vnumquemque de ſolidis III. qui fiunt ſolidi II. Tres qui remanent de ſolidis ſeptem, qui fiunt ſimul lib. 2. & ſemis. Ad Stamineas XXX. optimas comparándum lib. 3. ad femoralia paria XXX. lib. I. Ad infirmorum curam mel & pigmenta lib. I. Ad ſaccos quindecim comparandum griſeos ficciſcos, vndè cappæ fiant, lib. X. ideſt talis ordo, vnumquodque de ſolidis X. Et duos optimos capellos de ſolidis XXX. quinque qui ſuperſunt de ſolidis XXXVI. nouem verò de ſolidis LIIII. ideſt vnumquodque de ſolidis ſex. Ad roccos faciendum, qui ſunt rocci XVIII. colligunt ſuper totum libras X. Ad ſagos 15. in lecta mittendum lib. 2 & ſemis. Ad pelles berbicinas, vnde pellicea fiant, ſolid. X. Ad vbantos lib. I. ad faſciolas lib. I. Sunt in ſumma lib. 31. Ad infirmorum curam manſionilem qui dicitur Bothmeregus, & quantumcunque decet ſauram, id eſt, de por-

cis, mutones, berbices, pullos, oua, omnem decimam noſtram ad ipſam domum infirmorum conceſſimus. De nutrimentis noſtris & de vaſallis noſtris ad portam Monaſterij dedimus villam Nouiomum, & illos manſioniles qui dicuntur Giſimacas, Strotella, ſanctum Stephanum, Luuiccinas, Bantana, Ciſternas, Lenticuloſa ad illorum infirmitates & neceſſitates ex caritate, & caſeos, & butyrum, nec non ad illorum famulos nutriendum, &c. quæ neceſſaria ſunt conceſſimus.



APPENDIX. I.

Ad Chronicon Fontanellense.

FVLCO Venerabilis Presbyter succedit ab anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXXV. qui est annus bonæ memoriæ HLVDOVICI Imperatoris vicesimus primus: nam antea IOSEPH Episcopus in diuortio illud tenuerat menses VII. dies XII. idest, à sexto Kal. Septembris vsque ad quarto Idus Martij. Septimo decimo Kal. Aprilis fuit tunc datum Domno Fulconi prædictum Cœnobium, & tenuit annis vndecim & menses V. dies XXVII. id est à Septimo Kal. Aprilis vsque sexto Idus Octobris.

HERIMBERTVS Diaconus annis IV. & menses vndecim, idest, à quinto Idus Octobris, quando regimen sumpsit, vsque III. Idus Septembris quando ad Dominum migrauit.

APPENDIX ALTERA.

PROLOGVS

In miraculis S. Vvlfranni Pontificis, cuius corpus sacratissimum in magna gloria apud Deum & homines Fontinellæ requiescit.

QVia Deo omnipotenti placuit temporibus nostris gloriosa Sancti sui Vvlfranni quæ hactenus latuerant merita mundo declarare, ac multis ea recentium miraculorum insignijs declarare; Fratrum me piè ad ea scribendum adhortantium desiderijs humiliter deliberaui satisfacere; & quæ vidimus diuinæ virtutis opera ad futurorum notitiam literarum apicibus transmittere; quatinus expensâ fideliter tanti Patris interiori virtute per exhibita exterius miracula, erga ipsius venera-

venerationem propensioris queant & ipsi deuotionis incrementa concipere. Nemo autem in his pretiosorum requirat verborum supellectilem, quin potiùs Dei in Sancto suo gloriam miretur & honorem, suæque salutis captet ædificationem: neque enim steriles sententiolas floribus proposui rhetoricis, horum expers, adumbrare; sed rerum diuinitus gestarum veritatem simpliciter & oportuna breuitate aliquid prælibare; ne videlicet succedentium obliuione temporum penitus obliteretur, & pereat quod sub oculis nostris diatim diuina dignatur operari clementia: quia nimirum vehementer indignum & incompetens approbatur, si tot miraculorum gloria inerti silentio supprimatur: quo circa malui, fateor, imperitæ rusticitatis, quàm infructuosi silentij redargui, ac per hoc quorundam fastidio displicere, quàm plurium deuotioni seu vtilitati non inseruire. Verùm quia iam quæ proposuimus libet adoriri, paulò altiori principio, vt res gratior fiat, ratum videtur ea exordiri.

De Inuentione & miraculis eius.

CAPVT I.

EST itaque antiquissima in Gallijs ciuitas Senones nuncupata, cuius potentiam ipsa postmodum orbis terrarum caput Roma quondam in suo excidio grauiter est experta: adeò nanque inualuit vt eam obsidione cingeret, manu armísque fatigatam caperet, & nisi arcis, quam Capitolium auspicatò dici placuit, munimen obstitisset, penitus subrutam deleuisset. In hac igitur S. Vvlfrannus meritorum prærogatiuâ Præsulatus apicem fauente Deo promeruit; verbo, virtutibúsque satis dignè aliquantisper amministrauit, sed acceptâ postmodum diuinâ iussione ad prædicandum vitæ verbum Fresionum genti animum intendit: quapropter insignem ac magnificæ sanctitatis virum nomine Ansbertum, Abbatem videlicet Fontinellensis Cœnobij, qui meritorum gratiâ atque ordine sancto iam successerat Audoëno Præsuli in Pontificium vrbis Rotomagensis, festinus adijt, diuinum quod acceperat

S. Vvlfrannus Frisiam petit, ac Verbũ Dei disseminat clarétque miraculis.

Digitized by Google

oraculum atque suâ super hoc voluntatẽ illi patẽter innotuit, auxilium in quibus res ea flagitabat popoſcit, & ſufficienter accepit: ſicque demum Sequanam ingreſſus proſpero Freſiam nauigio petijt: illi populo in tenebris ignorantiæ eatenus ſedẽti lumen diuinæ cognitionis, ac myſterium Dominicæ Incarnationis inſtanter euangelizauit. Cúmque Apoſtolicis ſignis ſuam prædicationem efficaciter aſtrueret, morum tranquillitate coruſcaret & ſanctitate vitæ, quoſque rebelles & incredulos perdomuit, atque ad percipiendam baptiſmi gratiam conuolare fecit. Interea inminente beatæ remunerationis hora, quàm diuina reuelatione didicerat, poſt innumerabilium ad Chriſtum conuerſorum ſalutem, poſt multorum mirabilium exhibitionem, tandem Fontinellam vbi monachicum pridem fecerat votum, redijt, nec multò pòſt dignus præmijs cæleſtibus deceſſit. Sepultus verò ſecus Sancti Patris Vvandregeſili tumulum per nouem annorum curricula requieuit, vnde poſtmodum à S. Baino Taruennæ vrbis Præſule, eiuſdem Cœnobij Rectore, quinto videlicet ſui regiminis anno, tranſlatus eſt in Baſilicam S. Petri Apoſtolorum Principis cum pretioſis SS. Vvandregeſili atque Anſberti corporibus, quorum prior quidem quadraginta, alter verò annis vndecim in Eccleſia S. Pauli jacuerat.

Obijt Fontinellæ.

Corpus eius in Eccleſiã S. Petri transfertur vnâ cum SS. Vvandregeſili & Anſberti.

CAPVT II.

EVoluto autem non paruo tempore, ſub XXIV. videlicet eiuſdem Cœnobij Rectoribus, per annos fermè ducentos octoginta vnum ſibi ſuccedentibus, cùm permittente Deo, & flagitijs humanæ peruerſitatis exigentibus, Danica gens ſuis emota ſedibus per vniuerſum maris Oceani littus piratica crudelitate deſæuiret, ferro ac flammis cuncta vaſtaret, maximéque regiones & loca flumini magno Sequanæ vltra citráque adjacentia infeſtaret, miſera clade exterminaret, vrbem vndecunque fœcundiſſimam quæ à conditore Iſio Paſiſius dicitur, incendio & rapinis tandem occupauit: celeberrimam etiam Metropolim, quam antiquitas Rotomagum vocari inſtituit, perempto Præſule, proſtrato populo & mi-

Normanni Galliam inuant, vaſtántque.

Ier, Gottfried Bessler, nach Einsicht seiner, Herrn Bessler verliehenen 1717. Concession und Patents Brieffen, Consolation ertheilet,

Daß Er, Bessler, seine Machinen, welche er, auf vorgegangenen Befehl Ihro Königl. Majestät in Preussen, in Dero Residentz-Stadt Berlin, vor Dero Hohen Augen, und in Gegenwart Dero Ministrorum, Generalen und Officiers, auch anderer Standes-Personen, mit gutem Success, und zu Dero allergnädigsten Satisfaction, in vorhin allhier gedruckten Patents Brieffen, ausführlich beschrieben, und in Kupffer-Stichen vorgestellet worden, Ihro Königl. Majestät in Preussen, Unserm allergnädigsten Herrn, nunmehro wieder praesentiren möchte, und Er, Bessler, Uns, als Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgischen Landes-Fürsten, Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Residentz-Stadt Hannover, und Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Lande, hierdurch, als einen Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgischen Unterthanen, gebohren, und Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Residentz-Stadt Hannover, als seine Geburts-Stadt, ansehen, und Uns, als Churfürsten, Landes-Fürsten, und Landes-Herrn, Seine Machinen, gleichfalls, gnädigst vorstellen möchte, Wir Ihm, Bessler, solches, in Gnaden, nicht allein verstatten, sondern auch, Unsers Orts, Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Residentz-Stadt Hannover, und Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Lande, hierdurch, allergnädigst versichern wollen, daß Wir, Ihm, Bessler, Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Residentz-Stadt Hannover, und Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Lande, hierdurch, allergnädigst eröffnen, und Ihm, Bessler, Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Residentz-Stadt Hannover, und Unsere Churfürstl. Braunschweig-Lüneburgische Lande, hierdurch, allergnädigst anbieten, Wir

octo annos crebris inruptionibus ſub varijs tamen Ducibus nullatenus deſiſteret, Occidentalis Galliarum plaga largiori ſinu maris Britannici recepta, in deſertum eſt atque ſolitudinem tandem redacta.

CAPVT III.

Rollo Normanniæ Dux Chriſto nomen dedit.

INterea *Rollo* nouiſſimus quidem Nortmannorum Dux, ſed cæteris potentior militari manu, æquitate modeſtior, prudentior conſilijs, patrijs laribus pulſus littori Sequanæ appulit, ſingula loca & ciuitates quas ſolitudo tenebat inuaſit, paucíſque quos inuenerat inde fugatis, aut iugo potentiæ ſuæ ſubactis auſpicio ſortium inter comites & commilitones ſuos diſtribuit. Is primus marchas inter ſe & finitimas nationes certis pro arbitrio limitibus præſcripſit: optima denique jura, legéſque æquiſſimas domi militiæque prudenter inſtituit, quibus omnis generis diuerſarúmque artium homines breui tempore ſibi conciliauit, atque vnum ex diuerſis gentibus populum effecit; qui ita confeſtim coaluit, vt numeroſior fortiórque vicinis fieret nationibus & regnis. Cúmque ſuccedenti tempore lauacrum Chriſti ſalutare ſuſcepiſſet, regno optimè diſpoſito obijt; filiúmque ſucceſſorem *Vuillelmum* nomine, juuenili florentem indole dereliquit. Huius tempore fides Chriſtiana paſſim florere cœpit, Eccleſiæ ac Monaſteria olim deſtructa reædificari; inter quæ Gemmeticenſe Cœnobium, quod in honore S. Petri Apoſtolorum Principis, paruo quidem ſed miro opere conſtruxit, vbi & monachicum habitum ſpreto ſeculi naufragio aſſumere deliberabat, niſi mors cita eius obſtitiſſet votis. Sed hoc citius fraude cuiuſdam Herluini exempto *Richardus* puer & admodum tener in regno ſucceſſit, atque inter multa diſcriminum aduerſa adoleuit, inualuit, regnum paternum, quod auus eius armis & virtute ſibi parauerat, diuino per cuncta fretus præſidio potenter retinuit, probis inſtitutionibus decorauit, diuitijs & gloria Romano quondam Imperio pené exæquauit.

Guillelmus Gemmetic. Cœnobium inſtaurat.

Richardus feliciter gubernat.

Huius itaque cùm iam fama potentiæ longé latéque peruolaret, Nortmannorúmque tellus alta pace exultaret, Ganden-

ſis Cœnobij Abbas *Girardus* nomine ſumpto S. Vvandregeſili pretioſo corpore vſque in pagum Beluacenſem venire maturauit, atque in villam quæ Reueriſcors dicitur ad hoſpitandum diuertit, quod Theodorico nobili & valde potenti per eiuſdem prædij Majorem mandarè curauit; quia, licet iniuſtè, illius poſſeſſionis dominabatur tunc temporis, quæ pridem fuerat de ditione Fontinellenſis Cœnobij. Quod vbi ſuperbus ille & arrogans comperit, Legatum baculo quem fortè tenebat percuſſit & cum ingenti iniuria è conſpectu ſuo exire coëgit. Redijt ergo ille qui nuntiauerat, Abbati Girardo cum graui dolore intimauit quæ pertulerat: quibus auditis fit ingens omnium gemitus, confeſtímque coram lectica Sancti proſternuntur, atque inter fluentes lacrymas, & amara cordis ſuſpiria aduerſus Sanctum prædictus Abbas multa probrosè inculcando flebiliter conqueritur. Sed inter hæc decedente ſole noctis ſilentium aduenit, Theodoricus verò dormiturus ſe in lectulo compoſuit; cui derepente terribilis perſona ſub habitu monachili apparuit, eúmque pro contumelia quam ſibi heſterno intulerat vehementer redarguens, paſtorali baculo quem ferebat grauiter percuſſit; qui ſtatim ſomno interrupto experrectus grauiter ingemuit, ſéque à quodam cano Abbate cæſum altis & perturbatis vocibus inclamauit: deinde ſubita internorum correptus tortura receſſum naturæ petijt, vbi fœda egeſtione omnia profundens viſcera vitam miſerabiliter abrupit, vt viuentibus liquidò daretur animaduerti cuius meriti apud Deum Sanctus Pater Vvandregiſilus fuerit, qui ſic viuentem inimicum, & atrocis iniuriæ reum mortis ſupplicio condemnare potuerit. Res ergo hæc in regione illa omnibus ſtatim innotuit, Abbatem Girardum cum comitibus ſuis non mediocriter exhilarauit. Qui deinde participato cum ſuis conſilio omnem cum ſanctis pigneribus comitatum ad cuſtodiam dereliquit; ſicque aſcenſis equis Rotomagum ad vrbem cum paucis properauit, admiſſúſque Richardo Comiti cauſas aduentus ſui diligenter & oportunè intimauit, ſéque in promptu S. Vvandregiſili corpus habere retulit, quod ſuo reſtitueret loco ſi terræ ſibi rederentur, quas chartarum poſſet approbare Priuilegijs: at ille ſuorum vſus conſilio Principum, chartas exhiberi præcepit, &

Girardus Abbas Gandauenſis offert Richardo ſe redditurum corpus S. Vvandregeſili.

coram omnibus recitatas exponi. Quo facto murmur & contradictio fieri cœpit ab omnibus, qui se dicebant nequaquam posse carere proprijs honoribus, quos sibi armis & sanguine prædecessorum suorum pepererat bellicosa virtus, siue quos sibi ipsi diuturno adquisierant seruitio multísque sudoribus. Sic igitur facta difficultate rei quam prædictus Abbas quærebat Girardus, nulla deinceps potuit pollicitatione retineri, sed ad suos illicò per emensum iter remeauit, atque S. Vvandregisilum consumpto nequicquam tanto labore, ad locum vnde eum extulerat, festinus reuexit, vbi apud Deum & homines in magna gloria & honore nunc vsque requiescit.

Repulsam passus refert illud.

De Mainardo Abbate.

CAPVT IV.

VEruntamen cùm de his quæ acta fuerant postea crebriùs Gandenses Fratres vicissim loquerentur, eorum quidam nomine *Mainardus* alto parentum sanguine oriundus, diuina, vt credendum est, inspiratione in amore & desiderio Fontinellensis Cœnobij accensus, de cuius magnificentia ac dignitate literis, quas antiquorum industria procurauerat, erat edoctus, expetitâ licentiâ & obtentâ Richardum Marchionem celeriter adijt, præfatúmque locum sibi ad reædificandũ dari petijt & impetrauit, qui iam diuinis demonstratus erat indicijs: quod quia veterum relatione nobis est compertum, ad posterorum notitiam literis censuimus transmittendum. Quidam nanque vir nobilis & potens nomine *Torstingus*, qui ob magnificentiam amplissimi honoris dives dicebatur, in saltum Gemmeticensem processit de more venaturus, & motum subitò ceruum perniciter insequi cœpit cum rapidis canibus: at verò ceruus ille ocyùs fugiens, & crebris anfractibus mortem imminentem differens post multa diuerticula in vallem descendit Fontinellensem; sicque Angelico ductu ad locum in quo illud quondam nobile steterat templum accessit, intráque maceriarum ruinas quantocyùs se immersit; deinde ad sacrum altare quod tantùm cortice tegebatur, adproximauit,

Torstingus ceruum venando insequens diuinitus remoratur.

illic reflexo ad tergum capite quasi iam securus substitit; canes quoq; vestigia fugientis partim noto odore, partim visu subsecuti in easdem quidem parietinas subintrarunt, sed facta diuinitus difficultate vlteriùs progrediendi, in suis repente vestigijs hæserunt, bestiámque, quam cernebant nec valebant cõtingere, latratibus territabãt. Interea adestques Torstingus perstrepens altis vocibus, qui inde sine cunctatione cum equo quo vectabatur locum ingressus tum securitatem cerui, tum suorum immutabilitatem canum attentiùs mirabatur: erat nanque mirum videre spectaculum; volebant canes ad ceruum accedere, vt ex ipsis eorum nutibus prodebatur, nec poterant, quos inuisibilis virtus velut obice quodam retentabat. Quod vbi acer venator diuinitus actitari non inrationabiliter expendit, equo protinus desiluit, & ad terram in oratione humiliter se prostrauit; vt verò satis oratum est surrexit, canes foras secum celeriùs eduxit, sicque ceruo relicto plenus facti ammiratione, & satis expensa loci illius sanctitate recessit, qui nimirum cum Iacob exclamare potuit: Quàm terribilis est locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. Inuenta post hæc Torstingus opportunitate prædicto Principi & Proceribus eius hoc idem studuit intimare.

Qua de causa actum est quatinus eundem locum, vt diximus, supra memoratus Mainardus facilè impetraret. Ad quem cùm accessisset, ac dumis & vepribus occupari cuncta vidisset, adhibito diligenti studio, factóque repurgio ædificare eum cœpit. Sícque diuino fretus iuuamine templum vt quondam Zorobabel in monte Sion in paruo tempore nobiliter consummauit; sed & dormitorium & refectorium ex lapidibus & cæmento non paruo sumptu construxit. Quibus pro tempore satis strenuè expletis, illic Monachos provt res patiebatur in Dei seruitio constituit; libros quoque & cartas, & quædam ornamenta, sed & phylacteria cum pretiosis Sanctorum pigneribus ab Abbate suo & Fratribus sibi indulta illuc conuexit. Sícque exinde cœpit sacer locus ille paulatim diuersis rerum speciebus succrescere; terris ac vineis in diuersis regionibus & pagis augmentando proficere.

Ideò dirutum Fontanel. Cœnobriũ tribuit Mainardo, quod & ipso restaurat.

Digitized by Google

CAPVT V.

EA denique tempestate vir quidam ex transmarinis partibus frequenti commonitus visione in Gallias venit & ad locum qui super Autură fluuium Acineja dicitur intempestæ noctis silentio accessit, Sanctorúmque corpora *Maximi & Venerandi* Martyrum, quæ vt ex reuelatione didicerat, inuenit, secúmque secretiùs tulit, & ad portum Logiensem festinus descendit, vbi dato naulo cuidam viro nomine Amalberto nauiculam ingredi voluit; at diuina retentus virtute velut ebrius labare cœpit, iterque quod dispoſuerat explere nullatenus valebat: quod cùm nauta ille cerneret, & nouitate rei attonitus paulò diutiùs aspectaret, tandem hominem percunctatus quid sub inuolucro ferret, ad Fontinellæ Monasterium quod iuxta erat secum venire compulit, Abbatíque & Fratribus illum offerens quod actum fuerat expediuit: at ille deprehensum se intuens, spémque oneris deferendi penitus non habens, sancta ossa diligenter inuoluta retexit, nomina & visionem cunctis palam exposuit; sicque amisso quem per tot pericula quæsierat, cœlesti thesauro, tristis mœstúsque vehementer recessit. Quæ res cùm Principi Nortmannorum innotuisset, & Fratres humiliter illi suggererent, vt quid inde agere deberent decerneret; vigilanter hoc decreuit, vt quo diuino imperio & suâ Sancti peruenerant electione, ibidem deinceps permanerent sua quoque auctoritate: vnde hactenus apud nos ijdem Sancti Martyres cum debita habentur reuerentia.

Corpora SS. Maximi & Venerandi ex reuelatione inuenta, retinentur in Monasterio Fontinel.

CAPVT VI.

CVm verò præcipua, vt dictum est, Abbatis Mainardi industria in omnibus clarescceret, Nortmannorum Duci & Primatibus eius satis comperta placuisset, inde eum abstrahere, & majori decreuerunt honore sublimare: denique ad Montem S. Michaëlis Archangeli compulerunt migrare; quatinus Canonicis eliminatis Monachos quibus præesset in regulari

Mainardus Canonicis eliminatis apud S. Michaëlem Abbas Monachis præficitur.

regulari diſciplina deberet vndecunque aggregare. Verùm hic illius honor & amplitudinis incrementum lamentabilis fuit Fontinellæ dejectio, & inreparabile detrimentum: nam poſt eius receſſum ſub tribus Rectoribus, de quibus ſilere decreuimus, per aliquot annos nullo rerum genere creuit, quin potius in multis detrimenta ſua indoluit: ſed quia Dei omnipotentis iudicia nemo valet comprehendere, ſæpe dictus Fontinellæ locus, qui ex cineribus ſuis aliquo modo cœperat, vt de Ieruſalem in Propheta legitur, excutere, & in breui tempore velut ex infirmitate videbatur aliquantulum conualuiſſe, miſerâ poſtmodum deſidiâ ſuorum procuratorum velut æger recidiuo languore in deterius cœpit proruere, vſque ad illud videlicet tempus, quo proteſtas Secundi Richardi velut aurora diluculi in toto Latinitatis orbe ſerena reluxit. Qui cùm patri defuncto ſucceſſiſſet, póſtque nonnulla pericula in auram liberæ poteſtatis Deo iuuante emerſiſſet, Deum valde cœpit diligere, Sanctóſque eius donis & muneribus maximis honorare, atque religioſas vtriuſque ordinis perſonas benignè ſuſcipere, & honeſtè tractare: quamobrem factum eſt vt ad eum vndique cateruatim confluerent Pontifices & Clerici, Abbates & Monachi, quos mirâ ſemper liberalitate ſtudebat munerari. Huius rei teſtes idonei Græci ſunt atque Armeni, quos eo tempore fama tanti viri ſuis à ſedibus eduxit, quóſque ſola illius liberalitas relictis ſuis Græcis ad intuendum patriam Nortmannorum inuitauit: nam & à Monte Syna Legatos frequenter habuit, per quos Sanctis cæleſtem illic degentibus vitam plurima in auro & argento munera direxit.

Huius ſororem *Immam* nomine Anglorum Rex *Adhelret* in coniugio ſortitus, duos genuit filios, quos patriâ linguâ Eguuarth & Aluret placuit nuncupari: quorum Eguuardus, qui prior natu erat, tener admodum & in puerilibus adhuc annis conſtitutus Rex iubente patre & fauente populo terræ vnctus eſt & conſecratus: nec multò pòſt præfato genitore ſuo à præſentibus exempto *Canutus* Danorum Rex, filius videlicet *Sueni* Regis, Anglorum regnum nauali exercitu fretus violenter inuaſit, & quoad vixit potenti virtute pro arbitrio ſuo diſpoſuit. Vnde factum eſt vt præfati infantuli tran-

Imma Richardi filia Adelredo Regi Anglorum nupſit.

sito mare ad patruum confugerent Richardum; à quo gratissimè excepti, & liberaliter ac si filij educati sunt, & dum vixit in terra Nortmannorum cum maximo honore retenti. Interea Canutus Rex acer ingenio, & armis strenuus, in Regno quod arripuerat confortatus, Reginam Immam prædicti Regis Adelredi relictam fratre Richardo consulto fauente legaliter in vxorem accepit, ex qua filium *Hardecanutum*, filiam quoque *Grumith* nomine genuit, quæ posteaquàm ad nubiles annos peruenit Romanorum atque Saxonum Imperatori *Henrico* nobiliter, vt sobolem Regiam decuit, & in magna seculi gloria nupsit, cui filiam solummodò, quia in breui defuncta est, edidit, quæ vt adoleuit carnale commercium Sponsi cœlestis amore respuit, sumptoque sacro velamine virginitatem suam Regi omnium Deo dicauit.

Quo mortuo iterum Canuto, qui Regnū inuaserat.

Exacto verò non modico tempore sub tribus Regibus Canuto videlicet & Haroldo filio eius quem de concubina Alueuia, sed & Hardecanuto naturali eius filio, Eguuardus * glorioſi Principis Richardi nepos in regnum paternum adnitentibus sibi Nortmannis rediit, & in solio Regiæ dignitatis post multa, quæ inserere longum est, demum resedit. Vxorem quoque filiam hotuuini magni illius terræ Principis, qui fratrem suum Alureth iam pridem cum multis crudeliter atque dolo peremerat, accepit; eósque quos secum de Nortmannis duxerat vtriusque ordinis amplis honoribus extulit, auro & argento ditauit. Sed his omissis ad rem redeamus.

Sive Eduardus regnum paternum tandem est adeptus.

De Gerardo Abbate.

CAPVT VII.

Gerardus probatis moribus ex Monacho Latiniacēsi I. Abbas. Crespeien.

ERat tunc temporis, florente Nortmannorum patria & multis affluente diuitijs sub præfato Marchione Richardo, quidam Monachus de Cœnobio Latiniacensi; cui præerat vir industrius, & in omni diuina atque humana philosophia inter Francos nulli inferior, nomine *Herbertus*; cui prædictus Monachus nomine Gerardus in regulari se subdiderat disciplina deuotus: qui cùm processu temporis vitæmerito

Digitized by Google

diatim ſuccreſceret, poſteriora oblitus ad ea quæ ante ſunt ſe ingenti deſiderio extenderet, Monaſticæ vitæ tenorem neque ad dexteram neque ad læuam declinando enixiùs ſequens cæteris præſtaret, in caſtro Creſpeïo ſub Comite Vvalterio Abbatis meruit ordinatione ſublimari, primúſque eundem locum fundauit, & regulari inſtitutione excellenter excoluit. Hic itaque comperta tanti Principis bonitate ad eundem vt cæteri accedere curauit, qui eum ſatis honorificè ſuſcepit, neceſſaria dapſiliter indulſit, ac poſt multa, quæ enarrare perlongum eſt, ſuperiùs memoratum Fontinellæ Cœnobium tandem vt dignaretur ſuſcipere popoſcit, in cuius reædificatione multa ſe largiturum repromiſit. Quid multa? quia res à Deo præordinata erat, Gerardus Abbas petenti gratanter aſſenſit, & ad regendum ſanctum illum locum ſuſcipere tandem non diſtulit. Vnde admodum gauiſus Princeps inclytus, illico virum ſtrenuum ex officio Cubiculariorum nomine Roſcelinum deſtinauit, vt Fontinellæ Monaſterium illius dederet poteſtati. Quo ita ſuſcepto Gerardus Abbas non multò pòſt eum quem prius tenuerat locum quibuſdam ex cauſis ſibi diſplicentibus, ſed magis vt pòſt patuit, nutu & diſpenſatione Dei deſeruit: veruntamen ex Monachis & famulis quos educauerat probiores quoſque, quíque vltro ſecuti ſunt eum, ſecum adduxit, & in ſuſcepto nuper loco conſtituit. Sed ne prolixa oratio faſtidium legentibus ingerat, prætermiſſis multis quæ de tanti viri bonitate & prudentia, ſtudio & conſtantia, diſtrictione in regulari diſciplina, ſagacitate in rerum temporalium procuratione prouidentiſſima, caſtitate corporis & operis munditia, jeiuniorum, orationum, lacrymarum, & in pauperes eleemoſynarum, cæterarúmque virtutum quibus ſedulò vacabat, gratia dici poterant, ad ea quæ propoſuimus, quia res ita exigit, accedendum videtur narratione ſuccincta.

Deinde Fontanellenſis.

Cùm igitur idem Pater de elegantiori reparatione loci quem ſuſceperat cum Fratribus ſæpe tractaret, placuit tandem & res eis digna viſa eſt, vt infra ambitum templi S. Petri quod eatenus humile valde erat, ſtatutis columnis fornicibúſque per eas orditis, cryptæ deberent erigi. Sed cùm adhibitis operarijs molirentur opus diſpoſitum, & paulò altiùs quia

Effoſſis tribus ſepulchris, in vno corpus S. Vvlfranni reperitur, in alijs cineres SS Vvand. & Anſberti.

res ita poscebat effoderent humum, IX. Sepulchra seriatim disposita ex optimo lapide patrata repererunt: quibus singillatim apertis, in duobus quidem quæ in medio cæterorum altrinsecus positorum locata erant, & ex nominibus S. Vvandregisili atque Ansberti videbantur titulata, nihil præter pauculas puluerum reliquias, in quibus resoluta Sanctorum corporum caro defluxerat, inuenerunt. Cùm verò tertium quod ad dexteram S. Vvandregili situm erat, & S. Vvlfranni esse tam positione ipsa quæ in gestis eius describitur, quàm apertissima tituli designatione luce clariùs constabat, admotis manibus resignarent, integerrimum corpus repererunt: ex cuius etiã sacerdotali veste, cum quavt legitur sepultus fuerat, auri sescunciam collegerunt, quod postmodum in opificio argenteæ tabulæ in vsum sacri altaris paratæ probatur expensum. Vnde nimirum desipere, immò insanire credendi sunt quicunque se S. Vvlfranni corpus contendunt habere, vel alibi arbitrantur jacere; cùm nulla nisi auctoritate valeant quæ opinentur approbatum ire. Accedant ergo quicunque sunt illi, & inspiciant sepulchrum Sancti, audiántque scriptum quod ad dexteram S. Patris Vvandregisili positum fuerit, mirentur quoque & dicant cuiusnam ossa alterius in eo inuenta sint. Certè post delationem & fugam Sanctorum, si aliquis eum qui relictus erat quæsiturus latenter & cum diligenti cautela propter timorem paganorum, qui cuncta latè tenebant, ad locum sepulturæ eius accessit, & eum egesta humo & reserato bustosubripuit, quisnã, quæso, alium in loco eius deposuit? vel vbi quem ibi positurus erat quæsiuit? aut quare eosublato restituere alium tam sollicité curauit? nunquidnam verebatur, quod falsum est, si locus ille desertus erat, sepulchro vacuo reperto reus teneri? si verò inhabitatus, vt quid tantas quæ furibus contrariæ sunt moras alium effodiendo, & ibidem reponendo innexuit? Sed indulgendum planè est talium deuotioni, non tamen acquiescendum vndecunque exorto errori; quia reuera si non habent corporalem illius præsentiam, possunt tamen, si fides adsit, deuota mereri intercessionum suffragia: nos autem, quibus à Deo indultus atque reseruatus est talis tantúsque thesaurus, peruigiles excubias, & competens dignæ seruitutis obsequium dependamus, diui-

nis eum laudibus & ſincera cordium deuotione proſequamur, quatinus de cuius præſentia non immeritò gratulamur, præſidium eius opportuno tempore experiri mereamur: mutemus mores, vitam corrigamus, ſancti habitus reuerentiam teneamus; ſicque diuinum altare congruis votorum donarijs cumulemus, vt & ipſi ſanctuarium Dei, ara, odoratúmque ſacrificium ipſo Sancto opitulante & pro nobis orante mereamur inueniri. Iam verò quod ſublatis Sanctorum Vvandregiſili atque Anſberti corporibus Gentilium metu is relictus ſit, liquidò conſtat, neque vlla valet ratione refelli. Nam & in illa hiſtoria, antiquorum diligentiâ, literis procurata, in qua Sanctorum nomina & miracula, ſcilicet Vvandregiſili & Anſberti continentur ſcripta, huius Sancti nomen vel mentio nuſquam reperitur vel ſemel inſerta, quod proculdubio nullatenus poſſet fieri, niſi ſacratiſſima illius oſſa tranſlatores aliorum ſe ibidem meminiſſent reliquiſſe gratia certæ rationis. Sed quia quorundam temeritas eo vanitatis proceſſit, vt libellum de tranſlatione & miraculis Sanctorum infalſare præſumpſerint, non mirum videtur tale quid hos perpetraſſe, cùm diuinæ auctoritatis libros corrupiſſe quoſdam nouerimus; legant qui velint glorioſum illud miraculum, quod in libello de virtutibus Sanctæ Berthæ continetur, quomodò curatus ſit quidam longo tempore mutus per merita ſanctorum Vvandregiſili atque Anſberti cùm apud Blanziacum vbi eadem ſancta Berta requieſcit, exularent eadem tempeſtate, imponentibus videlicet ſingulis, ideſt, Sancto Vvandregiſilo, Ansberto, & ſancta Berta, manus ſingulas ſuper ſingula infirmitatis illius loca; vbi profectò de hoc Sancto & glorioſo Præſule Vvlfranno omnimodis reticetur, vt pote qui in illa tranſlatione paganorum metu perpetratâ illic non interfuit: neque enim à loco ſuo, quo ſepultus fuerat, cum cæteris tranſlatus erat alibi, ſed vt dictum eſt, & manifeſtis approbatur indiciis, Fontinellæ fouebat ſolum pretioſis cinerum ſuorum patrociniis.

Inuentum igitur, vt præmiſſum eſt, Sancti Præſulis Vvlfranni pretioſum corpus, & in ligneo locello pro tempore aptato, quia nimirum tanta erat adhuc loci pauperies, vt vnde decentiùs fieri deberet, pretioſi metalli ſpecies deeſſet, cum

reuerentia & honore reconditum, ſuper ſacrum altare repoſitum eſt, & deinceps digna veneratione celebratum, vbi vſque hodie, ſi fides petentium exigit, maxima pollet gloria virtutum, multáque præſtat petentibus ſe beneficia ſanitatum; ex quibus ea duntaxat, quæ noſtris inſpeximus oculis, hinc narrare aggrediemur, paucis tamen priùs explicitis quæ ſeries hiſtoriæ præterire nos dehortatur. Non multò pòſt namque ortâ, die quadam, repentina tempeſtate, collectoque in nubibus aëre ſubitus increpuit tonitrus, & inundantis pluuiæ imber erupit vehementiſſimus, coruſcationéſque reſplenduerunt crebris luminibus: & ecce fulmen per aëra deuolutum cum fragore terribili impegit Fontinellenſis Eccleſiæ inclangorium, * cuius tantùm crucem violenter, ac ſi gladio truncatam, ad terram dejecit, turriculámque, cui ſuperimminebat, vſque in inferiorem arcum ac ſi vetus indumentum ſcidit, quæ poſtmodum eo caſu contrita ex ea parte cecidit. Quapropter Gerardus Abbas tres quæ reſtiterant partes euerti fe c, & aliam ambitu latiori turrem cum ſuis abſidis in crucis modum dextrâ læuáque fundari præcepit; in cuius ædificio, quoad vixit, ingenti ſtudio inſudauit; & per viginti ferme annos (tamen in vita ſua) ad effectum perduxit.

f. * *Cãpanile, ſeu turris in qua ſunt campanæ.*

Interea erat quædam matrona nobilis opibus magnis & diuitijs pollens, nomine Herleuis, quæ difficultate partus aliquando cœpit vehementer periclitari. Cúmque diebus octo eo dolore ſatageret, atque ita, vt morti proxima videretur, deperiret, nullóque remediorum genere, neque votis ad multorum nomina Sanctorum promiſſis quicquam proficeret, tandem proſperiori vſa conſilio, Sancto Patri Vvlfranno, de cuius meritis pleniùs edocta fuerat, decem libras denariorum deferri præcepit; & majora, ſi ſe de præſenti liberaret internorum torturâ, munera repromiſit. Nec mora, eunte qui miſſus fuerat cum votis & munere, illa puellam enixa eſt, talíque extemplò exempta periculo, mortis imminentis euaſit diſcrimen: Vnde actum eſt vt ex illa die Sanctum Vvlfrannum vt ereptorem ſuum nimio cordis affectu coleret; locum hunc, quem antea vehementer auerſabatur, in multis honoraret: & circumpoſitorum ſaltuum largiorem nobis noſtriſque hominibus copiam tam in paſcuis pecorum, quàm in cæ-

Miraculum per merita S. Vvlfranni patratum.

teris lignorum vsibus indulgeret. Nam & dormitorium ad æternam sui memoriam proprijs expensis, quale nunc cernitur, ædificari fecit; vbi expleto vitæ præsentis cursu & sepulturam promeruit.

Eadem quoque tempestate alia quædam illustris fœmina nomine Imma, quæ mutato habitu ad hunc accesserat locum, & prædia sua, id est, Cruciolam & Tetgis villam; sed & Broilum ex intregro contulerat; post alia innumera beneficia, refectorium illi dormitorio à plaga orientali contiguum proprio sumptu constrúi fecit. Verum enim verò prædicta matrona vt suum amorem, quem erga Sanctum habebat Vvlfrannum operibus approbaret, reconditorium illi argenteum, quod antea ligneum erat, componi iussit; in opificio probati argenti medium talentum cum auri pondo expendit. Factúmque est tale opus, quale nusquam eo tempore in tota Nortmannorum patria poterat reperiri. Sed cùm constituta dies, quâ in illo debebat loculo reponi, aduenisset, Abbas Gerardus corpus Sancti ad Ecclesiolam Sanctæ Dei Genitricis *Mariæ* præcedentis vesperâ diei fecit deferri. Mane verò facto adhibitis secum duobus Fratribus illuc perrexit, cum quibus sacratissima eius ossa optimo vino lota primò in sindone noua, deinde pretiosissimo ex purpura inuoluta pallio, quod nobilissimus Rotomagensium Archiepiscopus *Rotbertus* ad hoc direxerat, honorificè contexit, sicq; in præparato iamdudũ scriniolo deposuit, quod accito Aurifice diligenter claudi clauisque fortiter, ne deinceps aperiri posset, configi coram se fecit. Sanctorũ nihilominus Confessorum *Heremberti* Tolosani Pontificis, & Eremitæ *Condedi* corpora in vno pariter loculo, Beatorum quoque Martyrum *Maximi* & *Venerandi* decenter reposuit in alio. Interea Gradulfus tunc Decanus, cæteríque Fratres eò euocati decentérque ornati, cum crucibus ac cereis vnà processerunt, quos prædicta matrona cum plurima suorũ cohorte ac populo ad hoc vndique congregato subsecuta est. Cúmque illuc ventum esset cum maxima omnium lætitia Sancti corpus in humeris leuatum, inde effertur. Sícque psallendo vsque ad Basilicam S. Vvandregisili delatum, super sacrum altare deponitur, & idcirco dies illa cum tripudio spiritualis gaudij & epularum apparatu largiori exacta, de

Imma fœmina mutato habitu Fontinellæ manſit.

Corpus S. Vvlfran. in capſa argẽtea reponitur.

cætero festiua per annos singulos ibidem recolitur. Facta est autem hæc translatio anno Dominicæ incarnationis millesimo vigesimo septimo, Cal. Iunij; Henrico Rege Francorum regnum præter matris suæ voluntatem inuasum tenente; Principatum verò Normanniæ tertio *Richardo* legali modestia disponente: namis defuncto patri Richardo secundo, de quo supra me minimus, in regno successerat.

Richardus 3. Dux Norman.

Huic autem tres tantummodò fratres erant, *Villelmus* videlicet qui postea Arcas castrum in pago Tellau primus statuit; atque *Malgerius* qui postmodum in vrbe Rotomagensi paucis annis Archiepiscopatum tenuit. Hos autem *Papia* matrimonio Richardi potita secundi edidit, cuius fratres *Ansfredus* & *Osbernus* istic Monachum professi sunt. Robertus verò ex alia matre scilicet *Iudita* oriundus, ei vt pote major natu in breui defuncto successit, nam neque annum in principatu immaturâ præuentus morte peregit. Hic autem Rotbertus acer animo & prudens priores suos virtute quidem & potentia exæquauit, sed prauorum consultui, vt pote in primævo iuuentutis flore constitutus, æquo ampliùs attendens, Regnum quod florens susceperat in multis debilitauit. Verùm non multò pòst cœlesti respectus gratia, & bonâ, quæ inerat illi, naturâ & consilio intus resipuit: & eos quorum prauitate à recto deuiauerat, à suo consilio atque familiaritate sequestrauit, suæque iugo potentiæ versa vice fortiter oppressit, ac sic in libertatem, quæ se decebat, vendicauit; atque ita propter præteritorum ignorantiam profectus Ierosolymam profundè pœnituit; sed in redeundo malignorum perpessus insidias, qui eius æquum, quod iam experti erant, verebantur imperium, veneficio, vt didicimus, apud vrbem Niceam occubuit, ibique intra sanctam ciuitatis illius Basilicam, quod nulli alij mortalium concessum est, honorificâ donari sepulturâ promeruit. Verùm vir tantus non prauorum tantùm malignitate, quàm diuino, vt credi fas est, iudicio deceßit, qui iam vnus eorum effectus erat, quibus, vt Apostolus conqueritur, dignus non erat mundus. Idcirco enim nobis est ablatus, quia iam placens Deo pœnitudine, factúsque dilectus virtutis amore, eo dignus noster non erat mundus, refertus dolo & iniquitate; sed ille mons Dei sanctus in quo habitabit quisquis

Fratres eius

quiſquis iuſtitiam operatur, ac per hoc hinc raptus, vbi iam refrigeſcente caritate abundat iniquitas, tranſlatus eſt quò iuſtitia ſuos mittit theſauros, vbi æterna eſt caritas. Sed de tanto Principe multa memoriæ digna poterant dici quæ præterire neceſſe eſt gratiâ ſuſcepti negotij.

Sub huius itaque tempore Gerardus Abbas ætate maturus, regularis ordinis obſeruantia præcipuus, anno videlicet ducaminis illius quarto, nocte ſubſequentis ſabbati in ſuo lecto peremptus, martyrio, vt credimus, coronatus eſt, quia pro veritate occubuit. Nam quidam non Monachus, ſed potiùs dæmoniacus, & antea in ſeculo homicida cruentus, quieſcentibus cæteris Fratribus atque graui ſopore ſepultis, latenter ſurrexit, & prædictum Patrem poſt laborem diei, quem in jeiunio & orationibus ex more ſuo expenderat, tandem quieſcentem inuadere præſumpſit, atque ſecurim, quam perendie propterea inuoluerat, in dextrũ illius tempus toto anniſu librauit, ſicque celeriùs fuga lapſus inter noctis tenebras, & ingẽtis pluuiæ vndas quæ ſolito denſiores influebant delituit, ſpiritúmque malignum quem in huiuſmodi ſcelere habuit ſuaſorem, in fugiendo ſecutus eſt deteſtandi itineris ductorem. Reuerâ enim qui in ipſo mundi recentis exordio truculentum Cain in necem iuſti fratris Abel armauit, Iudæque perfido in fine ſeculi traditionis audaciam aduerſus pium Magiſtrum inſpirauit, ille idem procul dubio huic etiam miſero paria nequitiæ arma miniſtrauit, & execrandæ præſumptionis temeritatem ſuggeſſit; quatenus innocentem virum, caritate fratrem, magiſtrum officio, crudelis fratricida, & funeſtus parricida addiceret ſupplicio mortis. Facta ſunt autem hæc anno incarnationis Dominicæ milleſimo trigeſimo primo, tertio Calendas Decembris. Extitit autem religioſus idem pater origine carnis ingenuus ex pago Medantiſſæ, & patrimonio Ielia oriundus, cuius pater Fulbertus, mater verò Ailendis dicti ſunt. Carnoti tempore Fulberti Præſulis vndecunque doctiſſimi literas adoleſcens didicit, vbi Herbertus ex Iudæis ortus, ſed à puero Chriſtianus in omni litterarum peritia tunc temporis, & cantandi arte vocíſque excellentia inter cæteros maximè florebat. Erat enim Regis Francorum Rotberti & prædicti Fulberti condiſcipulus, auditor verò

Gerardus Abbas occiditur.

Gerardus Abbas auditor fuit Fulberti Carnot.

Digitized by Google

Girberti Philosophi, qui postmodùm ex Monacho, vrbis Remensis tenuit Pontificatum, vnde per inuidiam quorumdam ejectus, ad apicem dignitatis Apostolicæ merito incomparabilis scientiæ demum in vrbe Romulea est prouectus. Huius, vt præmissum est, Herbertus doctrinis liberaliter institutus, non multò pòst S. Benedicti disciplinis in Monasterio Laniacensi se submisit regularibus: quem præfatus juuenis Girardus ad bonum æmulatus, animo & corpore illuc pariter est subsecutus, atque ad summum religionis Monasticæ cœlesti præuentus gratia tenorem peruenire promeruit. Cui cœlestis fauor in ipso etiam vultu & habitu non deerat: nam decoram illius faciem canities gratificabat honesta, statura procerus, ore suauis erat & facundus, nihil indecens in eo vel incompositum deprehendebatur.

Herbertus doctiss. ex Iudæo Monachus ord. S. Bened.

De Gradulfo Abbate.

CAPVT VIII.

HVic tam egregio Patri Gradulfus ab eodem in disciplina regulari pridem educatus, sub ipso autem tunc Decanus, sed in monte S. Trinitatis ad ædificandum eum constitutus, exigentibus bonæ vitæ meritis, quibus abundè pollebat, multisque benè innotuerat, in regimine successit iussu Rotberti Principis, cuius supra nos meminisse non excidit; atque per annos sexdecim, quibus superuixit, sagaciter susceptũ Officiũ modestè dispositi, locúmque sibi commissum in omnibus augmentare curauit. Hic etiam anno suæ ordinationis secundo Ecclesiam principalem, quam Pater Girardus ædificauerat, dedicari in magna gloria & honore ingenti fecit, in honore scilicet S. Petri, & omnium Apostolorum, Sanctíque Vvandregisili, & omnium sanctorum à magnifico viro Secundi Richardi fratre *Rotberto* nomine, Rothomagensis videlicet vrbis Pontifice, sed & *Herberto* Lisiacensis ciuitatis doctissimo Præsule, nec non & *Rotberto* nobilissimo Antistite Constantiæ vrbis. Interfuerunt quoque nobiles nonnulli sapientiáque pollentes Clerici, sed & Abbates vicinorum Cœ-

Majorem Ecclesiam solẽni ritu dedicat Robertus. Archiep. Rotom.

Digitized by Google

nobiorum cum pluribus Monachis, populorum etiam multitudo innumerabilis. In ipsa autem die inter sacra Missarum solemnia vir optimus, & in omni liberalium disciplinarum experientia probatissimus Isembertus Abbatis est benedictionem consecutus, cuius postmodum vrbs Rotomagensis scientia ac bonitate frui meruit, sed pauciori tempore quam expedierat sibi. Porro ea dies in diuinis laudibus reuerenter expensa, annuo recursu facta est de cætero celebris, & populo terræ pia deuotione II. Idus Septembris solemnis.

Per idem fere tempus quidam vir quantum ad sæculi gloriam genere spectabilis, opibus diues, & amplissimo pollens honore *Hunfredus* nomine Cœnobium in proprio fundo qui Pratellis nuncupatur ædificare disposuit, quem & antiquitatis auctoritas, & situs loci tali negotio oportunus commendabat. Qui accersito Gradulfo Abbate, nam ei valde familiaris erat, eius consilio qualiter Monasterium, vbi officinæ adificarentur Monachorum, præcepit metiri, & omnia vt prædictus Pater dictauerat, ordiri fecit, atque in paruo tempore (vt pote cui cuncta suppeditabant, quæ huiusmodi operis flagitabat expensa) ad effectum perduxit; sicque demum eundem locum ad regendum illi contradidit, vbi ille accepta potestate Monachos ex suis cõstituit; ac post multa quæ narrationis breuitas refugit, Abbatem *Ansfredum* nomine secundùm S. Benedicti regulam sibi professum ordinari fecit: sub quo prædictus vir non multò pòst sanctæ religionis habitum, abruptis mundi impedimentis, humiliter suscipiens, vitam honestam laudabili fine concluſit.

Hunfredus Monasteriũ Pratellense ædificat.

Abbas Ansfredus.

Hunfredus Monachum induit.

Sed cùm Fontinellæ locus diatim sub tanto Rectore proficeret, atque illius fama bonitatis multis spectabilis foret, Episcopalis autem honor sanctæ sedis Rotomagensis paululùm multis ex causis declinaret, visum est Pontifici Malgerio præfatæ Metropolis (quod & omni clero plebíque non mediocriter placuit) vt eumdem Gradulfum Abbatem sibi substitueret, & Vicarium sub se benedictione Episcopali insigniret, vt res quibus se minùs sufficere perpendebat, ille sua vice suppleret. Cùm autem dies desiderata instaret vt super hoc negotio Principi suggestio fieri deberet, ipse ad Monasterium (nam Rotomagi erat) de hoc apud se deliberaturus reuersus

Malgerius Episcopum proponit Gradulfum constituere vt Vicarij vices ageret.

est. Tertia verò die corporis subitò tactus infirmitate, ad extrema peruenit, acceptáque corporis Dominici & sanguinis communione decessit, Fratresque, quos sua destituebat præsentia desiderabili, nimio confectos dolore reliquit. Obiit autem anno ab incarnatione Domini Millesimo quadragesimo septimo II. nonas Martij.

Huic successit frater illius pro carnis origine nomine *Rotbertus* anno fermè XII. Principatus Vvillelmi Comitis, quem genuerat Rotbertus Comes inclytus, de quo superiùs satis pauca diximus. Hic autem à patre valde tener & paruulus in regno relictus, multa incommoda & aduersa pertulit, sed iuuante se gratiâ diuinâ cum ipsa pueritia omnia discrimina quibus opprimebatur exuit, suorúmque vltor acerrimus inimicorum, qui sibi fideliter obsecuti fuerant honoribus extulit, potentia sublimauit, finésque sui regni crebris munitionibus aduersùs finitimas gentes, ne earum paterent incursibus vehementer firmatas cinxit, atque nunc vsque sub cœlestis Regis imperio Monarchiam regni pro arbitrio potenter disponit, cunctis per circuitum regnis, & nationibus aut fœderatis sibi oportunus, aut infensis formidolosus.

Robertus Dux Norman.

CAPVT IX.

SVb huius statim initio regni grauissima fames in vniuersa terra facta est, qualem nemo mortalium se vidisse vel audisse meminit, quæ per septem annos continuos orbem oppressit, frequentes vrbes & castra multâ populorum constipatione pridem referta, siue villas & burgos ita depopulata est, vt ædificijs passim dirutis rarus incola inueniretur. Fuerunt etiam nonnulli quos victualium egestas ad vescendum humanas carnes, quod dictu quoque graue est, contra fas impulit, & homicidio miseram vitam crudeliter exigere instigauit. Præterea clades & pestilentiæ cœlitus super mortalium genus tot talésque extiterunt, quales nullus retro actorum temporum relator ante hac extitisse literarum indiculo dereliquit. Nam & ignis iræ cœlestis vltor, & humanorum vindex scelerum humana corpora ita depastus est, tótque erant greges

Causa reliquiarum S. Vvlfranni exponendarum.

Digitized by Google

ea peſte pereuntes, vt terrori eſſet & maximo horrori, viæque & compita fœtore complerentur ingenti, & maximè cimiteria ſacrorum locorum peribola, ad quæ miſerorum turbæ cauſâ conſequendæ medelæ per Sanctorum patrocinia inſtantiſſimè confluebant. Eo tempore periit cithara & lyra, & omne genus muſicorum interiit: ſublatum eſt enim gaudium, vox lætitiæ nuſquam audiebatur; nemo de ludis & voluptatibus, de ſecundorum ſucceſſu nullus diſputabat: vbique triſtitia, dolor, & metus malorum ingens erat, luctus & vaſtitas cuncta latè tenebat. Præterea diſcordia Principum inter ſe conflictantium propter prædicti Principis pueritiam, Normannorum patriam vehementèr atterebat; ferro, rapinis, & flammis vrentibus cuncta longè latéque incurſabat, & in vltimam vaſtitatem optima quæque & electa vberrimi & ſpecioſi quondam regni loca redigebat. At verò Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis vbi populum ſuum dignanter ab alto reſpexit, & parumper reſpirare à tot tantíſque indignationis ſuæ flagellis, pia miſeratione voluit; elementorum ſuorum temperiem ſerena dignatione, non noſtri merito, in meliùs ordinauit, influentes ampliùs quàm expediebat pluuias coercuit, imminentes ſupernè peſtes ſuſpendit, benignitatem ſuam propitius indulſit, & terra noſtra fructum ſuum ſolitò vberiùs protulit. Pacis aliquantulam requiem iam adulto Principe ſéque ſibi in libertatem vendicante miſeratus conceſſit; ſeditiones, incendia, & rapinas domeſticas inhibuit, non tamen manum vendicem vſquequaque ſuſtinuit, ſed reliquias ſcelerum populi ſui clementiùs paterno flagello corrigere non deſtitit. Procurato etiam cœleſti remedio, & in lucem conſpicuæ cognitionis prolato dignanter medicare ea diſpoſuit: nam glorioſa Sanctiſſimi Patris Vvlfranni merita tali dignatus eſt occaſione mortalibus declarare, & ad patrocinium fidelium cunctis reuelare, quæ paucis eatenus ad notitiam noſcuntur peruenisſe, adeò vt crebra miracula, quæ apud eius ſacratiſſima oſſa fieri videbantur, ne illi quidem imputarentur.

Anno ſiquidem Incarnationis Dominicæ Milleſimo quinquageſimo tertio, diuturna ſiccitate tellus exaruit; mortalitatis lues cis Sequanam grauiter deſæuiens, Caletenſem pa-

Ann. 1053. Roto magũ defertur corpus S. Vvlfranni.

Digitized by Google

gum occupauit, ita vt viri & mulieres diuersæ ætatis pariter occumberent, villæ siue domus, tota simul obeunte familia vacuæ remanerent. Quo terrore vniuersus populus, ad implorandum pietatem diuinam toto corde conuersus letanias & processiones cœpit frequenter agere, jeiunia certis diebus obseruare, atque de vicinis locis & villis ad sacratiora quæque loca vel vrbes ad impetrandum Sanctorum suffragia deuotè conuolare. Vnde factum est vt & ipsi nos idem agere statueremus, & ad vrbem Rotomagensem cum pretiosis sanctorum reliquiis populo vndecunque ad hoc conuocato vnà pergere deliberaremus; non tamen ea qua alij necessitate, quippe cum nullus apud nos siue in toto circa nos miliario (Deo nos suorum meritis Sanctorum protegente) mortalitati succumberet: sed potiùs vt nostro plebs incitata exemplo promptiùs incœpto supplicandi officio persisteret, & impendentem diuinæ animaduersionis gladium precibus auertere instaret. Constituta ergo die videlicet, octauo Kal. Iunij vndique coacto populo, pretiosum S. Vvlfranni corpus electi quindecim Fratres præcipiente Abbate suscipientes dispositum iter tandem arripuimus, & mansionem in villa quæ Escotot vocatur in Ecclesia S. Petri nocte illa fecimus. Cúmque die sequenti imminente aurora inde processissemus, & syluam quæ interjacet festinanter transissemus, támque pretiosum thesaurum comitante turba ingenti alacres gestaremus, præmissis Legatis nos aduentare ciuitatis Archidiacono, sanctóque Clero innotescere curauimus. At illi comperto tali nuntio confestim se præparauerunt, plebémque fidelem noto signo ad occurrendum nobis excitare studuerunt. Deinde sumpto sancti Romani Pontificis glorioso corpore, occurrentibúque sibi vndique ciuitatis Canonicis cum suorum quoque Sanctorum corporibus & Ecclesiastico apparatu, obuiam nobis in multa gloria processerunt, atque in ipso suburbij introitu cum ingenti nos lætitia & honore præcipuo exceperunt. Sícque elatis in altum vocibus, diuinásque laudes nobis atque illis alternatim concinentibus, ciues qui conuenerant Rotomagenses Sancti Patris Vvlfranni loculum suis reuerenter humeris susceperunt, & vsque in sanctam Dei genitricis *Mariæ* Ecclesiam nobis comitantibus ouantes detulerunt.

ABBATIÆ SENONIENSIS IN VOSAGO DIOECESIS TVLLENSIS, HISTORIA

AVCTORE RICHERIO EIVSDEM Monaſterij Monacho Benedictino.

PRÆFATIO.

CVM ea quæ de mundi huius creatione, humani generis propagatione per S. Moyſem, nec non & Ieſu Naue deſcribuntur; per virum famoſiſſimum Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum initium rudis Eccleſiæ, eiuſque incrementum, ſanguine Martyrum, doctrinâ Confeſſorum, aliorúmque Virorum illuſtrium operum exercitatione fundatæ, declarantur; & ſecundùm Paulum Oroſium bella Punica & ciuilia, diſſenſiones, fames, peſtilentiæ, ſigna, portenta, euentus rerum mundanarum deſcribuntur: quid aliud intelligendum, niſi ſecundum Apoſtolum: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*: Vt alia nos ad iudicij Dei timorem, alia verò ad ſpem vitæ æternæ informare & ſollicitare videantur. Quis enim legat Caïn fratrem ob inuidiam interfeciſſe, vniuerſam mundi creaturam pro commiſſis per diluuium omninò interijſſe, non formidet incidere in manus illius diſtricti Iudicis, ſcilicet Dei ſummi? Quis verò audiat tot millia Martyrum, non tantùm virorum, ſed etiam illius ſexus fragilis Virgines, matronas, ſenes, & iuuenes in agone certaminis viriliter deſudaſſe; etiamſi videatur habere cor

lapideum, statim ad mollitiem compassionis & deuotionis non conuertatur? Si quis verò consideret secundum prædicti Pauli Orosij scripta miserias hominum, tot cædes; tantam humani sanguinis effusionem, tanta parricidia, tot spoliorum innocentum direptiones, tantas clades occulto Dei iudicio mundo illatas; quis, inquam, non abhorret ipsum Dei iudicium proprio delicto posse incurrere, præsertim cùm tunc temporis mundus floruerit, & etiam aurea, (vt in Daniele legitur) tunc secula extitisse; nunc verò non tantùm plumbea vel ferrea, immò certè lutea esse comprobantur; in quibus homines potiùs ad malum quàm ad bonum videntur esse promptiores? Si verò illi per tot annorũ curricula posteris suis facta priorum, alia abhorrenda, alia verò admiranda conscripserunt; nos in quos fines seculorum deuenerunt, quia plùs solito abundat iniquitas, & nostris temporibus actus priorum, immò enormiora innouari videantur, ipsos rerum euentus ad posteros destinare debemus, vt & ipsâ, sicut & nos relationibus Majorum aut malis terreantur, aut certè bonis ad meliora prouocentur. Huius rei gratiâ ego Frater RICHERIVS Monachus Senonienſis, licet omnium abjectior, nolens succesſoribus nostrorum temporum euentus occultare, licet imperito stylo & inculto sermone ea quæ in quibusdam scriptis verſibus adnotatis de fundatione huius Senonienſis Abbatiæ vel Ecclesiæ, vel eius Fundatore, & succedentibus Abbatibus reperire potui, licet perpauca sint, relatu digna, & ea quæ proprijs oculis vidi, & auditu audiui, & circumadiacentium Ecclesiarum fundatione, & Constructorum nomina & dignitates, vel etiam ipsorum miracula, quibúsque Regibus vel Imperatoribus claruerint, more balbutientis infantis huic membranæ adnotare & inserere studui, tutius arbitrans ipsius narrationis seriem rusticando elucidare, quàm philosophando obnubilare: Lectores vel auditores per Dominum obtestans, vt si qua in præsenti Tractatu minus aptè conscripta repererint, non præsumptioni, vel audaciæ ascribant, sed deuotionis & bonæ intentionis gratiâ hoc feciſſe arbitrentur.

CAPVT I.

Digitized by Google

De aduentu S. Gundelberti ad Voſagum.

CAPVT I.

IGitur tempore illo, cùm ab Incarnato Dei Verbo DCCXX. ageretur annus, fuit vir quidam ex nobilibus Galliæ partibus oriundus *Gundelbertus* nomine, qui ſicuti poſteà ex ſui conuerſatione claruit, Deo dignus & hominibus habebatur. Fuit igitur tantæ bonitatis & excellentiæ, vt ciuitati in Burgundiæ confinijs ſitæ nomine Senonas, quæ vna de nobilibus illius prouinciæ nobilis habebatur, voto & voluntate omnium ſubrogaretur Epiſcopus: qui talentum ſibi à Domino creditum ita in adminiſtratione officij paſtoralis augmentauit, vt ſi iam fas fuiſſet ipſum ab hac vita diſcedere; ſtatim illud Euangelicum, *Euge ſerue bone*, audire mereretur. Sed quia Dominus dilectum ſuum iam non dicendum ſeruum, ſed amicum ampliore remuneratione dignum fieri decreuerat, vt talentum ſibi creditum cum fructu multiplicato ad gazophylacium Domini ſui reportaret, & ipſum Dominus tanquam aurum in fornace probatum in theſauris cæleſtis Ieruſalem collocaret: hunc, inquam, talem ac tantum virum ad cuiuſdam eremi partes, vt poſt pauca referemus, Domini deſtinare voluit benignitas.

Gundebertus An. 720 Floruit.

Deſcriptio & ſitus terræ & eremi Voſagi.

CAPVT II.

FVit igitur idem ſeruus Chriſti & eius cohæres temporibus Illuſtriſſimi Regis Francorum *Childerici* nomine, qui cum progenitoribus eo tempore vſque ad fluuij Rheni vada Franciæ regni terminos ampliauerat (ſicut Venerab. Beda Preſbyter in libro Regum * Francorum pleniùs inſinuat) quos Imperium Romanum vſque adhuc obtinere cõprobatur; licet Lotharingum Regnum, quod ab ipſo depen-

* Anglorum.

det Imperio, infra ſupradictas ſit metas conſtitutum. Hic itaque Deo & hominibus honorabilis Gundelbertus Archiepiſcopus Senonenſis, cùm videret ſibi ad culmen perfectionis, vt optauerat, conuerſationem ſecularium haud ſatis ſufficere, diſpoſuit ſe omnibus quæ poſſidebat abrenuntiaturum; & crucem Chriſti bajulans ſecutus eſt ſuum Redemptorem. Itaque dimiſſis Archiepiſcopatus diuitijs & honoribus, ſolo ſibi Epiſcopi officio reſeruato, quo in tanta & tam vaſta ſolitudine ad Eccleſias conſecrandas vel perſonas ad officia diuina idoneas promouendas vti potuiſſet, vale dicens Fratribus ac ciuibus ſuis, ſecreta deſerti, paucis ſecum accerſitis, petere decreuit. Tranſmeatis itaque terrarum ſpatijs peruenit ad quandam Voſagi vallem, quam idem Dei famulus ita incoluit, vti hactenus cernitur, & Deo adiutorium nobis commodante loco ſuo pleniùs exponemus. Sed quia pluribus terra illa incognita habetur, licet à multis ipſius nomen terræ frequentetur, ipſius tamen ſitum & metas lucidiùs exponere conabor.

Eſt autem terra iſta excelſis montibus occupata, rupibus immaniſſimis veluti quædam caſtra in ipſorum montium earum cuminibus naturaliter poſitis, ipſos montes faciunt ſuo aſpectu horribiliores. Inter ipſos arduos, vt diximus, montes quædam valles profundiſſimæ cernuntur, quæ nemoribus abietinis ita conſitæ ſunt, vt ſua nigredine etiam horrorem plurimum incutere videantur: prætenduntur enim dicti montes in longum per quatuor dietarum ſpatium, in latitudine verò vix ſex milliaribus vel ſeptem dirimuntur. Habent prædicti montes ab Oriente Alſatiam, quæ pars eſt Alemanniæ, cum ſuo fluuio Rethno nomine: ab Occaſu Lotharingiam & Burgundiam: extenduntur ſiquidem à Meridie in Septentrionem. Iſta, inquam, vaſta ſolitudo non tam hominum quàm ferarum ſæuarum habitatio habebatur, & quaſi labyrinthus ab hominibus tunc temporis vitabatur. Hanc, quam deſcripſimus, terram antiqui Voſagum, moderni Vogiam dixerunt. In huius igitur eremi vaſta ſolitudine noſter agoniſta *Gundelbertus* Archiepiſcopus primus ſubintrauit; qui Vallem, quam nos modò incolimus, ſine nomine reperit, eam dulcedine natalis patriæ, quæ cunctos.

Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui,

Immò ciuitatis, in qua Archiepiſcopatus functus erat officio, quæ Senonas vocatur, quaſi nomine copulatiuo *Senonias* vocauit: vnde vſque ad præſens tempus ipſe locus, vbi ipſe Domini ſeruus habitauit, Senonias, vallis quoque Senonienſis appellatur. In hac igitur valle, quam ſuper nominauimus, quam iſte Venerabilis Pater Gundelbertus ſubintrauit, quidam locus erat inhabitabilis, & à frequentatione hominum remotus: qui ſoli Deo vacare volens ad habitandum receptacula quam parua inchoauit; ſed ne alieni iuris peruaſor eſſe videretur, cùm comperiſſet quòd dicta Voſagus in regno ſupradicti Regis Childerici conſiſteret, ipſum ad impetrandam licentiam ibidem commanendi adire diſpoſuit. Igitur datâ opportunitate Regem, quem quondam familiarem [illegible] erat, adijt, interpellat. Rex poſtulata, vt erat animo placidus, concedit, regijs ſceptris data confirmat, metas terræ ſibi traditæ localiter aſſignat, & ita diſtinguit: à Rupe, quæ Alta petra dicitur, per cacumen montis vſque ad villam quæ Cella dicta eſt, per ripam fluuioli per eandem villam decurrentis vſque locum qui Mare dicitur: inde ad grandem Fontanam, inde per riuulum qui Vvaconos dicitur vſque ad fluium Bruſcam, & per ripam Bruſcæ vſque ad cacumen montis iuxta S. Stephanum, & inde ad fontem Donnous; inde per tranſuerſum monticulorum vſque ad riuulum, qui Petroſus riuulus nuncupatur, qui fluit per' clauſtrum Mediani monaſterij. Sed pars terræ adjacentis dicto Monaſterio poſtea fertur data eſſe viro Sanctiſſimo Hydulpho eiuſdem loci Fundatori, ſicut poſtmodum pleniùs loco ſuo deſcribemus. Ita noſter Patronus donis regijs locupletatus ad locum diu deſideratum cum gaudio remeauit. Igitur antequam noſter iſte Patronus ad hanc eremi ſolitudinem deueniſſet, quædam ad occidentalem plagam ſuper Mortam fluuium ædficata habebatur Eccleſia, Stiuagium nuncupata. Quis eius fuerit Fundator, vel quo tempore inceperit, non reperi: ferunt enim in dicta Eccleſia Ordinis S. Benedicti Monachos primò extitiſſe, deinde Sanctimoniales, poſtea verò iterum dictum locum Monachos inhabitaſſe, exin Canonicos ſeculares, ac deinde Ordinis Præmonſtratenſis Canonicos, ſicut

hactenus ibidem permanent, fuisse institutos. Sed hæc de ipsâ Ecclesiâ dicta sufficiant. Sed quia idem S. Gundelbertus nihil penitus nisi ad nutum Dei agere decreuerat, quippe qui sibi proprij animi voluntatem non retinuerat, quia necdum aliquam in loco alieno, modo suo, adhuc Ecclesiam vel Monasterium inchoauerat, credidit diuinam voluntatem super hoc vigilijs, jeiunijs, & orationibus fore requirendam. Dubitanti enim eo super dipositione officinarum Monasterij quomodo vel quibus Numinibus ipsa dedicare deberet: ei in ipsa postulatione persistenti Dei misericordia quid, vel quomodo, vel quibus Sanctis ipsa loca consecrari vellet, per visum innotuit. Qui denique reuelatione & auctoritate Regia, vt supra dictum est, animatus, in honore Sanctæ & perpetuæ Virginis *Mariæ* primam construxit Ecclesiam, quam solemniter dedicauit, & penes illam Monasterium cum officinis suis ædificauit, in quo B. Petrum Apostolorum Principem cum suis Coapostolis duxit venerandum. Omnibus itaque Dei nutu dispositis & ordinatis, aliquantísque ibidem Fratribus congregatis, sub B. Benedicti Regula ipsos militare decreuit, sicut hactenus immutabiliter vsque ad tempora nostra Deo regente videntur subsistere: quos ipse Episcopus & Abbas cum Ecclesia sibi credita strenuè rexit & religiosè.

De obitu S. Gundelberti Archiep. & I. Abbatis Senon.

CAPVT III.

POst immensos denique & innumerabiles in hac nostra Vosago pro Christo toleratos labores, cùm iam suum emeritum militem pro suæ militiæ meritis Deus remunerare decreuisset, ab hac ærumnosa peregrinatione, non tamen in hoc nostro loco Senonienſi nescio quo occulto suo iudicio, substrahere voluit. Sed quia de eius sepultura nihil fide dignum inuenire potui, meliùs tacere, quàm aliquod dubium de ipso scribere dignum duxi: licet aliqui apud Medium-vicum cum aliquibus Sanctis, Sancto scilicet Pientio & alijs

ſocijs ſuis, cum quieſcere contendant. Enimverò de Cellis circunquaque poſitis, quas Sancti Viri huius noſtri Fundatoris Gundelberti eo tempore conſtruxerant, mentionem me facturum memini promiſiſſe: ne indigneris, quæſo Lector, ſi à materia digredi aliquantulùm videar, quia non parum vtilitatis conſequêris, cùm tantorum virorum ad hanc Voſagum aduentum ipſorúmque ſanctam conuerſationem, & Eccleſiarum fundationes, & Fundatorum nomina perlegeris.

Vita & actus S. Deodati Neuernenſ. Epiſcopi.

CAPVT IV.

FVit igitur eodem tempore cùm noſter Fundator Gundelbertus ad has Voſagi deueniſſet partes, vt ſupra memorauimus, in Aluerniæ partibus in ciuitate Neuernenſi vir egregius nomine & operibus *Deodatus*, eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ſanctiſſimus. Hic cùm audiſſet quia hæc Voſagi eremus à tot & tantis Sanctis viris inhabitaretur, zelo quærentium Dominum ductus, Epiſcopatus ſui honoribus ſimul cum cathedra relictis, paucis cum laboratoribus ſibi junctis, viam quæ ducit ad vitam aggreditur tendendo ad ſolitudinem, vt in deuijs montium, in cauernis petrarum Deum diu quæſitum inueniat. Veniens igitur ad quoddam caſtellum, quod Romont vocatur, itinere laſſus cum ſuis ad pauſandum modicum reſedit. Quo in loco quemdam reperit infantulum ferramenta carpentariorum prandentium ſeruantem: ſciſcitatus eſt ab eo quæ ibi agerentur, euiúſue domus eſſet. Cognitóque ex ordine facto, puer ei de quadam trabe quæ præ ſui deformitate vel fortitudine ab ædificatoribus in faſtigio ipſius domus adaptari nequibat, innotuit: propter quod dominus domus eiſdem carpentarijs ſuis non modicum iraſcebatur, præſertim cùm ſiluam & ligna in promptu haberentur, quibus ipſam trabem longiorem vel groſſiorem, aut certè rectiorem commutare poterant ſi voluiſſent. Quo vir Sanctus compertо, vt erat pietatis gratia prædituſ, laborantium periculo condolens, conuocatis diſcipulis ſuis, inuocato Domini

Saluatoris nomine, ipſam magnæ molis trabem ipſius domus in excelſo nulla tortitudine obſtante, vbi poni debuerat, collocauit. Cúmque idem Sanctus perpetrato dictæ trabis miraculo iter cœptũ carpere vellet, ecce dominus domûs cum operarijs ſuis ad locum operis reuertitur, inuentúmque Sacerdotẽ Dei Deodatũ cum ſuis ſodalibus, in quiſiuit qui eſſent. Audito verò quâ causâ inſignes viri iter tam laborioſum & difficile aggreſſi eſſent, viſóque miraculo trabis, nobilis ille labori Sanctorum condolens, ſe & ſua eis liberaliter expoſuit, dicens ſe ibidem requiei Sancti locum præbiturum ſi vellet, & neceſſaria vitæ ſe donaturum promiſit. Sanctus quoque cum gratiarum actione humiliter promiſſa recuſans, quia ſui deſiderij curſum nondũ viderat expeditũ, licentiam abeundi quæſiuit. Videns denique Nobilis viri Dei conſtantiam, ne tanti patroni orationum fraudaretur iuuamine, domum eandem de Romont quam ædificabat, ſubtitulo quinque ſiclorum argenti eidem Sancto annuatim perſoluendorum in memoriam trabis fertur contuliſſe: quos ſolidos vſque ad tempora noſtra Eccleſiæ S. Deodati, quæ nunc eſt, à domino de Romont perſolutos eſſe cognouimus. Beatus igitur Deodatus ſuo datori vale dicens cum ſuis ſodalibus cœptum iter arripuit, per deuia quæque Chriſtum quærendo gradiens infatigabiliter laborabat. Sed antequam ad optatum ſibi locum perueniret, plurima diſcrimina viæ, importunas ruſticorum irritationes, tædioſæ famis inediam, improbam malorum expulſionem pluribus in locis miſerabiliter eſt perpeſſus.

De aduentu S. Deodati in Alſatiam.

CAPVT V.

HIS itaque tot & tantis, vt prædiximus, viæ & vitæ impedimentis B. Deodatus ad quemdam locum peruenit, qui Theutonico idiomate Helygeuorſt, Latinè Sancta Sylua vocitatur, iuxta oppidum quod Hagenovvia dicitur, in Alſatiæ finibus ſitum, vbi ſe ſui voti requiem reperiſſe credens, aliquanto tempore ibidem delituit; ſed inde inuidorum

Digitized by Google

iniurijs propulſus ad Clauſtrũ quod Abreſenniſten vocatur, in eiſdem Alſatiæ partibus ſitum veniens, ipſi loco & Fratribus ibidem Deo ſeruientibus non multo tempore fertur præfuiſſe: vbi cognitionem & familiaritatem memorandi viri *Arbogaſti*, qui de Scotia oriundus, non multò antè tempore veniens, Argentinæ de nouo Epiſcopus factus, miraculis fulgens erat, adeptus eſt: ac deinde *B. Florentij* eiuſdem Arbogaſti ſucceſſoris, qui à dicta Inſula Scotiæ, ſicut & prædeceſſor ipſius, venerat, qui & apud Haſcla in introitu Bruſcæ vallis, quam primus Eremita incoluerat, in corpore requieſcit, S. Deodato contemporaneus amoris vinculo aſtrictus fuit. Cernens itaque vir B. Deodatus tumultum populi, quem in Epiſcopatu reliquerat, ſe iterum incurriſſe, decreuit ad ſecretiora loca tranſmeare. Veniens igitur ad quandam villam, linguâ Alemannicâ Vvilra dictam iuxta villam quæ Amalrici villare dicitur, in parua quadam valle reſedit, & habitacula humano vſui apta ibidem erigere cœpit. Incolæ igitur dictæ villæ cùm viderent Sancto plura prædia à fidelibus, & aliquantas conferri poſſeſſiones, crediderunt Sanctum illum ſibi ſuas vſurpare velle, eum ab ipſo loco vbi habitare volebat inhumaniter expulerunt: quod factum diuina vltio ſtatim eſt ſubſecuta: nam quotquot in ſupra dicta villa nati ſunt infantes, omnes ſtrumoſo gutture nati apparuerunt; quod matronæ parituræ conſiderantes, tempore partus inſiſtente riuulum, qui eandem villam præterfluit, tranſeuntes, pueros enixæ illius ſtrumoſitatis vindictam declinabant.

De S. Deodato, & Hunone compatre eius.

CAPVT VI.

IGitur B. Deodatus inde progrediens ad quandam villam, quæ ſui poſſeſſoris nomine Hunoniſ-villa vocabatur, aduenit: poſſeſſor enim dictæ villæ *Huno* nomen habebat, cum æquiuoca vxore ſua *Huna*, ex nobilibus orti, Deum verbo & opere, quantum humana fragilitas permittebat, excolebant. Credidit igitur Nobilis ille Beatiſſimum ſibi Deodatum à Deo fore deſtinatum, Chriſtum in ipſo honorans, gra-

tanter ipsum cum sodalibus suis, vt erat pius hospitalitatis amator, benignissimè susceptit, & cum aliquandiu licet inuitum detinuit. In ipso itaque tempore quo vir Dei apud dictum Nobilem moraretur, contigit dictam Hunam vxorem ipsius Nobilis, quem de ipso conceperat filium peperisse: quem Beatus ille & baptisauit, & de sacro fonte leuauit. Reminiscens igitur Beatissimus Dei seruus Deodatus se non opum secularium gratiâ, sed solius Dei intuitu suæ cum Episcopatu & dulci patria reliquisse, decreuit ad eremi deserta, quod priùs desiderauerat, properare: qui hospitibus suis vale dicens, datis inter se mutuis amplexibus, cum magno eiulatu ab inuicem discesserunt. Aggrediens verò vir Dei cœptum iter per ardua montium, per concaua vallium, per defossa terrarũ incessanter laborans, tandem nutu Dei ad quandam peruenit vallem speciosam & spatiosam, nemoribus vndique consitã, aquis irriguis & piscosis copisam: quam cùm vir Dei diligenter conspiciendo perlustrasset, tandemẽ quodam loco iuxta montem qui Cumberch dicitur, resedit, & ibidem Oratorium in honore B. Martini, quod vsque hodie perdurat, erexit & consecrauit. Transiens igitur fluuium Mortam nomine ad Septentrionalem plagam, quia locus decentior ibi ad Ecclesias construendas habebatur, in cliuo monticuli Ecclesiam in nomine SS. Martyrum Mauricij & Sociorum eius exstruxit. Deinde iuxta illam in honore Matris Christi Ecclesiam ædificauit, & circa illam Claustrum cum officinis ad vsus Monachorum exstruens, Fratres sub Regula S. Benedicti ibidem militaturos collocauit: qui vsque ad tempora cuiusdam tyranni Ducis Lotharingiæ, sicut postea explicabimus, quieta pace permanserunt.

Dedonis S. Deodato collatis.

CAPVT VII.

CVm igitur circumadiacentium locorum viri fideles & deuoti cognouissent quòd Sanctus ille Episcopus vallem supradictam incoleret, ad ipsum confluxerunt, videntésque eius

eius admirabilem conuerſationem prædia ſua, poſſeſſiones, redditus, & alia bona ei largiſſimè contulerunt. Cùm igitur vir B. Deodatus in illa vaſta eremo laborans agonem ſuum Domino cõmendaret, & neceſſaria victui ei operanti non ſatis ſuppeterent; iam eo cum cohabitatoribus ſuis inediâ & fame deficiente, Omnipotens Deus, qui ſibi ſeruientibus ſemper præſto eſt, non permiſit Sanctum ſuum tantæ paupertatis mole diutiùs coartari: apparuit ſiquidem in viſu noctis illi nobili viro ſupradicto Hunoni Dominus, dicens: En inquit, famulus meus Adeodatus in illa eremi ſolitudine magnis detinetur languoribus, & inopiâ laborat; & tamen meis non deſinit quotidie inhærere ſeruitijs; tu verò hîc bonis tibi à me collatis, quibus abundas, ſine miſericordia delectaris. Cui ille vt erat vir prouidus & diſcretus: Domine, inquit, nec locum ſcio, neque viam noui; nec vbi vir Dei lateat ſcire valeo, & quomodò ſui poſſum miſereri? At ille, onera ſaumarios & alios portitores tuos, & mane facto ſine duce permittas abire, & quò ſors ipſos deduxerit à longè ſubſequi facias; & vbi eos exonerari contigerit, ibi ſcias dilectum meum eſſe Deodatum. Qui mane conſurgens, & viſionis ſuæ myſterium conſiderans fecit ſecundum quod ei præceptum fuerat: onerati quippe portitores diuerſorum alimentorum & aliarum rerum opulentiâ, eadem viâ, licet nondum eſſet à quoquam frequentata, quâ Sanctus Domini Deodatus eremum penetrauerat ſagaciter gradientes, ad locum vbi vir Dei commanebat recto itinere peruenerunt. Quos vt vidit Dei famulus, cognouit illum ſui curam gerere qui quinque millia hominum quinque panibus ſatiauit in deſerto. Iam vix famuli Sancti portitores exonerauerant, cùm viri ſubſequentes eos apparuerunt, qui de inuentione viri Deo gratias exhibentes, cum licentia Sancti Epiſcopi ad dominum ſuum cum lætitia reuerſi ſunt. Ex tunc quidem fama illius S. Eremitæ circunquaque ita innotuit, vt à multis ſua eidem largientibus honorabiliter frequentaretur. Et quia idem Sanctus pluribus declarabatur miraculis & virum ſanctũ eum credebant, & apud Deum multi plura eum poſſe confidebant, vallem illam, quam ille inhabitabat, incolere maturarunt: & quia vallis ſpatioſa erat & lata ad colendum, decem & octo Eccle-

ſias & manſiunculas in queis habitarent conſtruxerunt. Et ne actuum ipſius Sancti prolixitas Lectorem onerare videatur, ad finem ſui curſus ſtylum dare curauimus.

De obitu S. Deodati.
CAPVT VIII.

PEractis igitur, vt prædiximus, ipſius loci ædificijs, ordinatíſque ibidem ad ſeruiendum Deo Fratribus idoneis, diſpoſitíſque vtriuſque vitæ præſentis & æternæ ſubſidijs, leui febre correptus, Angelorum cœtibus ſociandus, lætus Deo ſpiritum reddidit. Sed quia Monaſterium illud (quod tunc pro conjunctione duorum riuulorum, ſcilicet Robach & Mortæ, ille Beatus Iuncturas appellauerat, qui modò S. Deodatus vocatur) ſine Rectore remanſerat, B. Deodatus viro ſanctiſſimo & Deo & ſibi amantiſſimo Hydulpho (de quo poſteà ſcribere curabimus) in ſomnijs apparuit, & ei vt curam loci ſui & Fratrum quos reliquerat, provt videret expedire excreſceret. Quam admonitionem B. Hydulphus gratanter ſuſcipiens viginti & octo annis, quibus poſt obitum B. Deodati ſuperfuit, ſuam & ipſius Deodati apud Iuncturas ſtrenuè & religiosè adiuuante Deo rexit Eccleſias.

De miraculo vini & muſcarum
CAPVT IX.

ENimverò, ne quis hunc Beatiſſimum Deodatum credat apud Deum magni non eſſe meriti, inuſitatum vnum de multis huic paginæ non pigebit inſerere. Erat igitur vir quidam ſatis locuples in Alſatiæ partibus, in villa quæ Theutonicè Sigolteſem vocitatur, qui fama Sancti Epiſcopi excitatus partem prædiorum ſuorum Beato contulit Deodato: in qua parte quidam ager vineæ donatus eſt, qui illi donatori quia peroptimum vinum gignebat incomparabiliter carus erat. Cúmque Monachi Monaſterij B. Deodati aliquanto tempore poſſediſſent eam, ipſius vineæ donator conſiderans

Digitized by Google

ſe in omnibus vineis ſibi relictis tam pretioſum vinum nuſquam habere, animi cupiditate cæcatus ipſam vineam quam priùs deuotus Deo donauerat, iam ſuæ largitatis inuaſor effectus, in proprios vſus iterum reſumere præſumpſit; quam coluit, vindemiauit, & vinum ſollicitè in quodam vaſe collocauit, & ſibi cautè conſeruari præcepit. Denique cùm quadam die ad manducandum cum quibuſdam amicis lætus recumberet, vocato ad ſe pincerna ſuo, de illo optimo vino ſuo ſibi iubet apportari: qui concito curſu ad cellarium, vbi vas cum vino habebatur, accepto vaſe vinario, quod cantrum vocatur, acceſſit. Cúmque paxillum de fundo ipſius vaſis ad emittendũ vinum retraxiſſet, & vinũ ſe crederet habiturũ, mira res! pro vino tanta multitudo muſcarũ per foramen ebulliuit, vt putares te, ſi vidiſſes, in Ægypto eſſe, vbi plaga muſcarum Ægyptios iuſſu diuino punijſſe narratur. Videns igitur is qui ad hauriendum vinum venerat hoc mirabile factum, obſtupuit, & paxillũ cum cantro quod manu tenebat in terram projecit; curſúque rapidiſſimo ad dominum ſuum narraturus quæ facta fuerant, aduenit: ſtatímque examen muſcarum cum illo veniens dominum aggreditur, & tanto niſu dominum morſibus & aculeis crudeliter adtrectauit, vt iſdem dominus compunctus & fundum reddere & de cõmiſſo veniam petere cogeretur. Reſtituto ſiquidem monachis fundo, & veniâ obtentâ, illa muſcarum multitudo à viri vexatione ceſſauit: & ita vinea illa vſque ad hoc tempus à Deodatenſibus poſſideri dignoſcitur. Et ne Lectorem faſtidire videamur, ad alia ſtylum reducamus.

Quòd Bodo Epiſcop. Tullenſis Bodonis-Monaſterium conſtruxit, quod & S. Saluatoris dicitur.

CAPVT X.

E Lapſo etenim modico tempore poſtquam vir Beatiſſimus ille Deodatus in hanc ſubintrauit Voſagum, erat vir æ-uè Sanctiſſimus, *Bodo* nomine, Tullenſis Epiſcopus qui Dei ductus zelo in quodam prædio ſuo, quod eius nomine Bodo-

nis-Monaſterium appellatur, adunato non modico conuentu Sanctimonialium clauſtrum ibidem ſtatuit, & eidem monaſterio pluribus collatis reditibus Ordo Sanctimonialium multo tempore ibidem perdurauit. Sed poſtmodum à quodam ſucceſſore ſuo Berthodo Tullenſi Epiſcopo idem Monaſterium deletum eſt, & in ſuperiori loco, qui modò S. Saluatoris dicitur, pro illo ipſe Epiſcopus à fundamentis ædificauit, & ibidem Monachos ſub norma B. Benedicti Abbatis inſtituit: qui poſteà inde expulſi, Ordinis S. Auguſtini Canonici, ſicut vſque nunc ibidem permanent, ſunt inthronizati. Enimverò, quia antequàm ad propoſitum redeam, cuiuſdam adhuc Sancti & admirandi viri mentionem, quia in hoc vicinio noſtro olim reſedit, huic Libello noſtro ſpecialiter adnotare deſidero: huius inſpectores Operis, ne ob hoc iraſcantur, poſtulo: quia & eius vita & actus tantò ſunt ad legendum delectabiliora, quantò ſunt & mirabiliora.

Vita S. Hydulphi Archiepiſcopi Treuirenſis.

CAPVT XI.

IN Bavvariorum igitur territorio, in ciuitate quæ Reneſporch dicitur, duo viri fratres extiterunt, ex nobilibus illius terræ genitoribus procreati; quorum vnus *Erardus*, alter verò *Hydulphus* vocabatur. Hi etenim fratres literis liberalibus traditi ſe ita Clericali miniſterio manciparunt, vt meritis proprijs exigentibus, vnus eorum, Domnus ſcilicet Erardus ſupradictæ ciuitatis Reneſporch ſublimaretur Epiſcopus: Hydulphus verò ad Archiepiſcopatum Treuirorum potiùs eſt tractus quàm electus. Et ita vtrique fratres adeò ſibi ſunt vinculo carnis & gregibus ſibi commiſſis caritate aſtricti, vt non mercenarios, ſed veros ſibi Catholica Eccleſia gauderet acquiſiuiſſe Paſtores. Enimverò cùm vir Deo dignus Hydulphus aliquandiu Archiepiſcopatui Treuirorum feliciter deſeruiſſet, audiens quòd tot & tanti viri de tam remotis partibus ad hanc noſtram Voſagum ad ſeruiendum Deo deueniſſent, non ſui tardus prouiſor effectus, ne ſuorum

Digitized by Google

Compreſbyterorum merito in ipſa commorantium fraudaretur, relictis omnibus voluit cum beatis pauperibus pro terrenis cæleſtia commutare. Inito itaque cuiuſdam viri Venerabilis, Iacob nomine, Suffraganei ſui Tullenſis Epiſcopi conſilio, quo in loco ad ſeruiendum Deo requiem reperire quiret, tandem ad has Voſagi noſtræ partes Beatus ille venire decreuit. Volens igitur inter hos ſanctos Patres, qui in hac eremo de nouo conuenerant, habitare, quia eorum familiaritatem diu deſiderauerat, ad locum, vbi poſteà Monaſterium quod Medianum-Monaſterium dicitur erexit, applicuit. Sed quia ibidem habitandi ſpatium non inuenit, quia confinia noſtræ huius Senonienſis Eccleſiæ, & Monaſterii Stiuagienſis ibidem iungebatur, impetratâ ab vtraque Eccleſia aliquantâ terræ portione ibidem habitare decreuit. Et quia de nomine loci, qui anteà nomen non habebat, anxius erat: conſiderata loci poſitione, quia ab Oriente Senonienſe Monaſterium, ab Occidente Stiuagium, à Meridie Iuncturas, quæ nunc S. Deodatus vocatur, à Septentrione autem Bodonis-Monaſterium habebat, illum ſuæ habitationis locum Medianum-Monaſterium appellauit, quod nomen vſque hodie perdurat. Videns igitur B. Hydulphus ob religionis gratiam multos ad ſe confluere, Monaſterium & officinas Monachis habiles in ipſo loco ædificare ſtuduit. Multitudine equidem magna tam Clericorum quam laïcorum ad ſe adunata, quia tot in tam arcto loco ſimul habitare nequibant, ſtatuit in circumadiacentibus locellis cellulas cõſtruere in quibus habitare deberent. Deſtinauit ſiquidẽ apud Septẽ-Abietes quoſdam, alios ad S. Ioannẽ, & alios apud Orbacum, alios autem apud S. Præjectum, alios apud Viſiuallem, quoſdam verò ad Altam petram, quæ Monaſterio præeminet; alios enim ad quemdam locum in ſummitate montis, qui Roberti-fons dicitur, degere decreuit.

De Begonis-Cella & 300. Monachis, & de obitu S. Spinuli.

CAPVT XII.

DEnique ad locum qui Begonis-Cella, nunc verò S. Blaſius dicitur, B. *Spinulum* adhibitis ſecum quibuſdam

Fratribus conuerſari præcepit. Locum verò illum cum nemoribus & montem, qui Fulconis-rupis appellatur, cum multo terræ ſpatio adjacente Beggo vir nobilis & locuples Beato viro Hydulpho ad Monaſterium ſuum ampliandum paulò antè contulerat. Fratres quoque qui in prædictis locis habitabant, tunc æſtimabantur numero quaſi trecenti ſub regimine S. Hydulphi Archiepiſcopi & Abbatis conſtituti. Deuoluto igitur non multo tempore B. Spinulus, cuius ſuperiùs meminimus, militiæ ſuæ donatiuum recepturus cœlo ſpiritum reddidit: quòd cùm ſeruus Dei Hydulphus Angelo annunciante comperiſſet, ad cellam vbi vir Dei jacebat, properauit. Compoſito igitur Sancti viri corpore in feretro, crucibus præuijs, & cereis ardentibus, cum hymnis & canticis ſpiritualibus glebam Sancti ad Monaſterium reportare parabant: aggredientibus verò illis iter, ſubitò tanta pluuiæ inundatio & ventorum immenſitas exorta eſt & tempeſtas, vt non ſolùm minutas arbores, ſed etiam grandes quercus, & excelſas abjetes radicitus euellendo terræ proſterneret; & cùm tantus ſæuiens eſſet turbo, & tribulatio abhorrenda: nec portitores Sancti ſunt læſi, nec luminaria cereorum ſunt extincta; ſed vſque ad Monaſterium corpus Sancti ita miraculosè detulerunt. Sed vt Omnipotens Deus omnibus innoteſceret, qualem idem Sanctus Pater, & quàm religiosè inſtructum famulum ad cælos deſtinaſſet, iſta miranda voluit Sancto demonſtrare: cuius exequias ritè peragentes in Oratorio B. Gregorij, quod ipſe Beatus vir Hydulphus cum cimiterio ſuo ædificauerat & conſecrauerat, in tumulo lapideo illa ſancta membra collocauerunt. Et vt diuina Majeſtas dilecti ſui Spinuli merita lucidiùs declararet, tanta ad ipſius tumulum mirabilia oſtendere dignata eſt, vt nulli credenti ad ipſius auxilium reportandum venienti munus ſanitatis foret denegatum.

De miraculis S. Spinuli, & aqua ſalſa inuenta.

CAPVT XIII.

His itaque ſe habentibus, ad augmentum gloriæ Sancti tres ſalinarij fontes in horto penes Monaſterium ſunt

Digitized by Google

inuenti. Fama igitur miraculorum & ſalinarum longè latéque diuulgata tantam populi multitudinem ad ipſum locum deduxit, vt locus afluentiam gentium minimè capere potuiſſet: vnde vir ille S. Hydulphus ſuæ inquietationis moleſtiam, quam ab aduenientibus ſuſtinebat, ferre non valebat, licet Monaſterio ſuo pro virtutibus Sancti & ſalinarum quæſtu, aliquid emolumenti conferri ab illa gente videretur. Vir igitur Beatiſſimus Hydulphus qui pro diuitijs mundi acquirendis paupertatis onus ſibi non aſſumpſerat, videns ſe & ſuos à propoſito ſuo non modicùm afluentiâ populi deuiare, auxilium diuinum ſuper hoc duxit requirendum. Eccleſiam tandem B. Gregorij baculo artus ſuſtentante, vt iam erat vigilijs, & orationibus, & jeiunijs ſatis attenuatus, lento gradu peruenit, dolorémque ſe prementium populorum corde concipiens, cùm ad ſepulchrum dilecti ſui Spinuli peruenisſet, orationi incubuit, & quaſi viuo loqueretur, ſic ait: Gratias agimus Deo Saluatori, ô Frater Spinule, quòd miraculis fidem facientibus te diuinæ Majeſtati adſtare certiſſimè credimus, & iam naufragia præſentis ſeculi euaſiſſe te, ac cæleſti gloria potiri gaudemus; ſed ſi frequentiâ populorum, quam Deus per te huc confluere fecit, aliquandiu preſſi fuerimus, non modicùm à via regia quæ ducit ad vitam nos declinare videbis: vnde te in illa obedictia quâ dum viueres nobis intædiabiliter exhibere ſolebas, ammonemus & exhortamur in Domino, vt affluentem & omnium bonorum largitorem Deum pro nobis interpelles, vt repreſſa inquietudine gentium, & præſentis vitæ fluctuationibus amotis, curſum cæleſtis vitæ expedito greſſu nobis liceat peragrare. Videres mortuum quaſi viueret Magiſtro iubenti obedire, ceſſantibus ſignis miraculorum, aquis ſalſis in dulcedinem redeuntibus, afluentiâ repreſsâ populorum, vir Sanctus & Fratres ſui ſine tumultus moleſtia Deo deinde ſeruierunt. Videns verò Deus famulum ſuum ſibi toto corde & non mundo inhærere, quia paruum & inſtabilem quæſtum tâm leuiter abjecerat, majora pro minoribus ſtatim ei reſtituere dignatus eſt: nam prædia multa in Alſatiæ partibus, nec non in Lotharingia à potentibus & primatibus terræ, & alia quamplurima à diuerſis fidelibus Deo operante ſunt collata; quæ omnibus ſupradictis trecentis Fratribus ad vi-

ctum sufficere possent: Sed postmodum, vt posteà referemus, pars maxima de mensa Monachorum peccatis exigentibus per quemdam Nobilem extitit excisa.

De aduentu S. Erardi Episcopi, & de S. Odilia.

CAPVT XIV.

CVm igitur B. Hydulphus in hac grumnosa peregrinatione debilem duceret vitam, & fama suæ conuersationis longè latéque diffunderetur, cognouit vir sanctus *Erardus* Episcopus eius germanus ipsum in hac Vosagi solitudine peregrinari: qui quantocyùs iter arripiens ad partes istas, vt fratrem quem videre desiderabat, inueniret, accessit: quem diu quæsitum in Monasterio, quod iam ædificauerat, inuenit; qui eum ingenti gaudio susciens, vitam pluribus diebus duxêre cælestem. Cùm verò hæc ita se haberent, contigit cuiusdam Nobilis filiam cæcam natam ad Monasterium dictum deportari, quam pater eius Ethico nomine, quia cæca nata fuerat, necari præceperat: quod cùm mater puellæ comperisset, per quandam aniculam, quæ eidem matri familiaris erat, eam exulari maluit potiùs quam occidi. Comperto verò quòd talium parentum proles erat, nec adhuc Baptismate regenerata erat, illi duo Sancti fratres & Episcopi Hydulphus & Erardus, eam in nomine Trinitatis baptizantes, mente & corpore illuminatam de sacro fonte leuauerunt, & eam *Odiliam* appellauerunt: quæ cùm ad annos peruenisset discretionis, frater eius, qui cum patre remanserat, audiens quòd soror eius, quæ nata cæca fuerat, foret illuminata, gauisus est valdè; & nuncijs accersitis sororem Odiliam ad se venire mandauit. Quod cùm pater comperisset, filium ad se venire iussit & interrogato eo quis tantam præsumpsisset audaciam perpetrare, vt cæcam illam repatriare fecisset: cùm filius eius se fecisse spe paternæ benignitatis respondisset, pater iratus baculo, quem fortè tunc manu tenebat, iuuenem percutiens, & filium trucidauit, & hæreditatis suæ successorem amisit.

Digitized by Google

amiſit. Videns autem idem vir nobilis ſe ſuo orbatum hærede, admodum ipſe indoluit, ac deinde filiam ſuam Odiliam, quam antè ſpreuerat, intimo dilexit amore; ita vt poſtmodum in caſtro patris, quod Hoemborch appellatur, Clauſtrum Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti ipſa B. Odilia auxilio & voluntate patris inſtrueret, & proprio ditaret patrimonio. Beata igitur Odilia cùm ad ſe videret populorum turbas aduentare in ſubdita valle caſtro domum hoſpitalem ad ſuperuenientes recipiendos conſtruxit. Sed ipſa Hoſpitalis domus ita eſt augmentata vt opulentiſſimum Clauſtrum fieret Monialium, nec ſuperiori Clauſtro in vllo haberetur ſubjectum. Sed hæc de B. Odilia dicta ſufficiant, & ad noſtrum Hydulphum reuertamur.

De morte SS. Epiſcoporum Deodati & Hydulphi.

CAPVT XV.

BEatus igitur Hydulphus cùm adhuc Deo donante ſe ſibíque commiſſos ſtrenuè gubernaret, contigit B. Deodatum ab hac vita migrare ad Dominum: qui ab ipſo S. Deodato per viſum, vt ſui Monaſterij curam gereret, eſt ammonitus: quod B. Hydulphus viginti octo annis ſtrenuè gubernauit, & multis redditibus ampliauit. His denique ita feliciter peractis, Dominus carum ſuum Hydulphum pro ſuorum meritorum exercitatione remunerare volens, noluit eum diutiùs huius corporis ſarcina detineri, ipſum febre quadam examinatum ad ſe tranſuexit. Cuius ſacra membra Fratres in ſupradicto Oratorio à tergo altaris S. Gregorij in tumba lapidea cum ſummo honore ſepelierunt: vnde poſteà ſunt releuatæ reliquiæ ipſius & tranſlatæ in Monaſterio ſuo, quod ipſe de nouo conſtruxerat, ſicut adhuc ibidem reſeruantur, in ſcrinio argenteo reconditæ.

Quòd Medianum-Monaſterium Imperiale erat.

CAPVT XVI.

ENimverò defuncto, vt ſupra dictum eſt, glorioſiſſimo Hydulpho Archiepiſcopo, alij atque alij ad illius Eccleſiæ regimen ſucceſſerunt; qui provt potuerunt, Deo adiutorium præſtante, ipſum Monaſterium gubernauerunt. Sed quia idem Monaſterium ſicut & alia circumiacentia Imperio Romano ſubjacebant, & in expeditione Imperatoris armatorum cuneos de iure mittere ſolebant, prælijs crebriùs innouantibus Eccleſiæ miſerabiliter opprimebantur; vnde contigit Abbatem iſtius Monaſterij Clauſtri Mediani-monaſterij conſtangiis dictorum armatorũ ita attritum, vt ab Imperatore ammonitus armatos in rhædam Principis mittere nequiret. Quidam verò Dux, qui tunc in Lotharingijs præerat, ad ipſum Imperatorem in armis venerat, qui ab ipſo Imperatore requiſitus, cur Abbas Mediani-Monaſterij armatos non tranſmiſerat, & Dux ſe neſcire reſponderet; Imperator interrogauit Ducem, ſi vellet Abbatis vices agere: quo reſpondente, quia vellet; Princeps eius iuriſdictioni Monaſterium Medianenſe, quod ante Imperiale erat, tradere non diſtulit: quod factum illi Monaſterio magnæ deſolationis extitit occaſio: nam Duce ipſo ad patriam reuertente; dominio Ducis, quod ante non fuerat, Monaſterium illud ſubmittitur, res Monaſterij diſſipantur, & Fratres moleſtantur, tandem à menſa Monachorum mille quingenti & vndecim manſi dirimuntur, & Ducis Lotharingiæ ditioni ſubduntur. Quid fieret de Monachis qui fame & inedia laborant? Dimittunt cellas, aliàs victum quæritando vagantur: ita vt deni vel duodeni in loco principali vix ſuſtentari queant: quapropter ipſa Abbatia vſque nunc & diuino officio, & ſubſtentatione Fratrum irremediabiliter eſt fraudata, ſicut hodie ipſius ſtatus inueniri poteſt.

Digitized by Google

De diſſidio Monachorum Eccleſiæ Medij-Monaſterij, & diſſolutione Monachorum.

CAPVT XVII.

FRatribus igitur Cellarum ita à locis ſuis eliminatis, ijs quoque qui in Abbatia remanſerant ſuis redditibus deſtitutis, cœperunt à ſemita recta retrahere pedem; Abbates verò ſegniores effecti, de grege Domini non curantes, ſecundum Prophetam quod craſſum erat aſſumebant, & quod macrum erat abijciebant: Monachos nempe qui ſibi non Chriſto viuere volebant, diligebant, alios ſpernebant. Videntes igitur Monachi cuncta ſibi pro voluntate ſua licere, licet non expedirent, ad præcipitia potiùs quæque quàm ad bona cœperunt eſſe proniores.

De Viſione Monachi Senonienſis.

CAPVT XVIII.

CVm igitur Monaſterium illud talibus deturparetur poſſeſſoribus, qui vilioribus inſiſtebant actionibus, Dominus qui eſt conſpector ſeculorum, volens eos ab errore viæ ſuæ miſericorditer auertere, ſatis miti & ſalubri ammonitione ſub hac forma ſubmonuit. Quidam enim Monachus huius noſtræ Eccleſiæ Senonienſis vidit ſe in ſomnis ante fores Monaſterij Medianenſis, quæ ducunt ad Clauſtrum, ſtare; & ex Monaſterio ipſo quendàm virum facie decorum, canitie decoratum, infula Epiſcopali redimitum, virgam paſtoralem manu portantem, atque vniuerſas officinas cum ſuſpirijs ingentibus & dolore cordis circumeuntem; & ex omnibus exeundo vberrimas plangendo emittebat lacrymas. Tandem ad Cameram Abbatis veniens manibus complosis, pectus tundendo, plùs ſolito vberiores effundens lacrymas talia in verba prorupit: *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut*

ſtipulam ante faciem venti: & iſta ſæpe repetendo, nuſquam comparuit. Quod cùm ab ipſo Monacho, cui hæc reuelata fuerant, Abbas ille & Monachi loci comperiſſent; viſioni falſæ aſcripſerunt, ſed poſtea exitus rei factum approbauit. Imprecatio namque Sancti tam celeriter eſt ſubſecuta, vt vnus poſt alium mori inciperent, incipientes à ſenioribus vſque ad iuniores, vt nullus ex ipſa multitudine, ſicut de Ægyptiis legitur in mari rubro merſis, excepto Abbate ſolo ſupereſſe videretur. Quod Abbas videns, non Dei iudicio, ſed caſu hoc adueniſſe arbitratus eſt. Circuiens verò ciuitates, quoſcunque inuenire potuit qui volebant monachari, ſecum adduxit; & eos tonſoratos non corde, ſed habitu tantùm monachauit: & talibus pyratis locus ille redimitus non diu eſt gauiſus: Nam ſicut alij vnus poſt alium vitam finientes, omnes in modico tempore ſunt decucullati; & ita malè adunati, malè diſperſi ſunt. Abbas verò fugâ lapſus ad Alſatiam, vnde natus fuerat, repedauit, & ita Monaſterium iſtud Abbate & Monachis diu caruit: nec aliquando diuina ibi agebantur, excepto quod ibidem Preſbyter villæ adjacentis aliquando Miſſam gratis celebrabat, donec à quibuſdam Monachis, Gorzienſibus vt credo, ad hoc à Deo miſſis, ordo Monachorum, & officia diuina ibi ſunt reſtituta.

De obſeſſo à peritiſſimo Dæmone & ſanato in Mediano Monaſterio.

CAPVT XIX.

ENimverò quia de miſerabilibus eiuſdē loci habitatoribus, miſerabilíque conuerſatione aliqua explicaui, ne mihi ad odium imputent, cùm ſciant me ipſum locum ſicut meipſum dilexiſſe; volentibus audire, de aliis tacendo, miracula quæ ibi per merita ſemper reminiſcendi Hydulphi omnipotens Deus dignatus eſt operari, pauca de multis recitaturus aggrediar. Beatiſſimo igitur Patrono noſtro Hydulpho adhuc vitam præſentem agente, vt erat corpore prudens & ſpiritu, nec quæ ſua erant quærens, ſed quæ *Ieſu Chriſti*, cuncta quæ

Digitized by Google

intra Clauſtrum erant diſcretè moderans, & quæ exteriùs cum moderatione diſponens, vt Deum offendere timeret, & à fratribus ſibi commiſſis plus amari quàm timeri affectaret. Ordinans ſiquidem interiùs Clauſtri cuncta religiosè, decreuit domum hoſpitum, ne Fratres à ſuperuenientibus moleſtarentur, ad portam Monaſterij ædificare, & iuxta illam capellam, in qua hoſpites ad diuina audienda conuenirent, in honore B. Ioannis Baptiſtæ erexit, quam & nomini eius conſecrauit. Ad gloriam igitur & honorem Omnipotentis, & dilectorum ſuorum magni ſui Vatis Ioannis, & B. Hydulphi Archipræſulis, vt opinor, tot & tantis miraculis mirandis Deus Deorum dignatus eſt illuſtrare Eccleſiam, vt quotquot energumeni, quotquot dæmoniaci ad ipſum Oratorium delati fuiſſent, ſtatim à quocunque ſpiritu vexabantur, liberarentur. Habebatur quippe in ipſo Oratorio dolium aquâ exorcizatâ plenum, vt energumeni & alij à Dæmonijs obſeſſi, in ipſo merſi ſanarentur, quod & ita fiebat. Cùm ergo hæc ita agerentur, contigit quemdam Ruſticum à Valle S. Deodati illuc aduentaſſe, qui à tam potentiſſimo Dæmone obſeſſus erat, vt vix catenis ferreis aſtrictus teneri poſſet; qui etiam tantæ erat ſcientiæ, vt ſe omnium linguarum jactaret habere notitiam: artium quoque liberalium omnium eruditus erat * prudentiâ, omniumque actuum præteritorum; & cogitationes ſimultatéſque omnium ad ſe venientium eruditiſſimè referebat. Officio Miſſæ & aliarum horarum intererat, & cum cantantibus cantabat, & cum pſallentibus pſallebat, nec crucem, nec crucifixum vitabat. Hic talis ad dictum Oratorium adductus, in dolio ipſo merſus, quia & circunſtantibus inſultabat, Monachus quidam, qui ad officium energumenorum deputatus erat, audiens quòd Dæmon ſecretos actus hominum reuelaret, timuit ad illum venire; ſed adiens quendam ſeniorem omnia quæcunque fecerat illi confeſſus eſt, & ad Dæmoniacum reuerſus ita eum alloquitur: O tu mendaciſſime hominum deceptor, qui tuis mendaciſſimis aſſertionibus te dicis ſcire hominum cogitationes & actus, dic ea quæ de me cognoſcis. At ille attonitus, demiſſo vultu in terram, cogitat quid diceret; tandem in hæc verba prorupit: Nudiuſtertius rem grandem feciſti, quæ modo

al. *doctrina.

lapſa eſt à memoria mea. Quare cùm ipſe reſponſa Dæmonis audijſſet, animatus pro confeſſione, cœpit ſuper caput illius ſanctum Euangelium Ioannis recitare. Cui ille indignans dixit: Idiota tace, nonne ſcis me meliùs ſcire hoc Euangelium? ſcias illud planè me ſcire, & eius myſterium, nec per ipſum ab iſto hoſpitio me expellere poteris: Vade, & quære tibi aliud quod tibi melius placuerit. Quo audito Monachus ad Eccleſiam quantocyùs properauit, & ibi accepto ſcrinio in quo Sanctorum plurimorum reliquiæ erant reconditæ, ad Dæmoniacum quantocyùs cum ſcrinio ipſo repedauit: Appropinquante verò illo cum reliquijs Dæmon cœpit clamare: Tolle, tolle inimicos meos. Qui accedens ſcrinium cum reliquijs poſuit ſuper caput eius. At ille clamans dixit: O me infœlicem! Quantum lapidum aceruum ſuper caput meum adunaſti! tolle à me quæſo iſta, quia valdè crucior. Quod cùm Monachus audiret, gauiſus eſt valdè, & tunc cœpit arctiùs adiurare. At ille acriùs clamabat: Tolle, tolle, tolle inimicos meos. Ille verò interrogans eum qui eſſent inimici ſui, ait: Stephanus & Laurentius: Vnum lapidaui, Alterum aſſaui: & iam meritis ipſorum oportet me hinc exire. Et hæc dicendo proſiliit ex ore ipſius quaſi ſcarabeus, & cecidit in terram, & lento greſſu videntibus cunctis peruenit ad oſtium Eccleſiæ, & ita volatu ſe eleuans, miſcuit ſe ventis: cúmque ille interrogatus vtrùm aliquid ſciret, an non? aſſeruit ſe nihil penitus ſcire, niſi maternam linguam, quam à pueritia didicerat. Ego verò in ipſo ſcrinio vidi cum pluribus aliis, ipſorum Martyrum reliquias, de ſaxo quo lapidatus eſt S. Stephanus, & carbones ſanguineos S. Laurentij Leuitæ, & Dalmaticam S. Leodegarij. Plures etiam vtriuſque ſexus ſenes, & iuuenes, alij canabinis funibus ligati, alij vinclis ferreis aſtricti, ad locum ipſum ab amicis & vicinis adducebantur, qui ſtatim in dicto dolio merſi curabantur. Et ita Dominus merita ſeruorum ſuorum declarando, nos ad ipſius timorem & amorem quotidie inuitat.

De Miraculis tempeſtatis à S. Hydulpho quater in die repulſæ

CAPVT XX.

ADhuc S. Patris noſtri Hydulphi facta me ſcribere delectat, vt ea lecta vel recitata hominibus, glorificent Deum Patrem qui in cœlis eſt, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Vnâ dierum cùm anno reuoluto ſolemnitas B. Hydulphi eueniſſet, & Fratres Mediani-Monaſterij ſolito celebriùs, vt decebat, feſtiuitati inhærerent, contigit quaſi horâ tertiâ magnam imminere tempeſtatem. Adunatâ igitur à quatuor ventis craſſitudine nubium, coruſcationum, & tonitruum horribilitatem geſtantium, ita ad ima ſe detrudebat, vt putares cœlum cum nubibus ſuper locum illum & totis adjacentibus locis velle fulminare cadendo; apparebat enim tanta in nubibus horribilis cum turbinum apparatu nigredo, vt aſpicientibus multum mouerent timorem. Cùmque tale ac tantum immineret exitium, Fratres perterriti ad altare cucurrerunt, alij cruces, alij reliquias Sanctorum, alij corporalia ſancta efferebant, alij campanas ſonabant, atque alij Deum inuocabant. Et quantò plus Fratres hinc inſtabant, tantò plus illa nubium adunatio cladem minabatur. Quare cùm Monachi viderent contra hanc moleſtiam precum inſtantiam nihil proficere, ad ſolitũ patroni ſui refugium confugerunt. Compoſito quidem feretro, in quo ſanctum eius corpus habebatur, altiſonis vocibus ipſum inclamantes expectauerunt. Videres verò in exportatione Sanctorum artuum totam illam comminantem nubium moleſtiam quaſi intelligibilem creaturam ſui Creatoris famulo cedere imperanti. Solutis nempe illis horribilium nubium adunationibus, tota illa maſſa ſeſe in quatuor dedit partes; & ita retrocedens, quod factura erat ad tempus repreſſit, & aëris ſerenitate reddita, Fratres cum ingenti gaudio, quaſi prælij triumphatores reliquias Patris Hydulphi venerandi ad locum ſuum reportauerunt; & ita cum ſumma deuotione Miſſam inchoauerunt majorem: Necdum ipſam finierant cùm ſubitò

quaſi inſidiatores ab inſidijs erumpentes Viatores depredari deſiderât: Ita illa, vt prædiximus, vaſtationis oppreſſio à locis in quibus ſe priùs in exportatione Sancti occultauerat, exiliens cum ineuitabilibus ventorum colliſionibus, fulgurum corruſcationibus, & magnorum tonitruum mugitibus, reuertendo ſuper faciem illius loci multò truculentiùs quàm anteà accumulauit, & ad ſolum omnia æquaturum minabatur. Accurrunt, periculum Fratres vident, mirantur, expaueſcunt, ad ſecurum ſibi auxilium recurrunt. Glebam Sancti cum crucibus & thuribulis contra aeris tempeſtates pugnaturam exportant. Quid plura? Aduentus famuli Dei ſicut priùs, ſanctâ eius animâ in cœlis Deum rogante, illam periculoſam in quatuor iterum partes diuiſit, nec mora redditur ſerenitas. Monachi, & tota plebs, quæ ad Feſtum conuenerant, pro tam euidenti miraculo exultant, Deum totis niſibus laudant, corpus Sancti cum ſumma veneratione reportant. Nec mora, locatis reliquijs Viri Dei, tanto labore attriti & pauore ad menſam tam ſero pranſuri conueniunt, & inter prandendum de iſto turbine & clade ita irrumpente habetur ſermo. Sed nondum à menſa ſurrexerant, cùm tonitruum fragor auditur, Ventorum impulſio mittitur, fulgurum coruſcationes ſagittantur, grandinum calculi tectis illiduntur. Quid agere poſſent Monachi? tàm ſubita illa ſuperuenerat calamitas, vt iam deſperati à loco moueri nequirent. Coacti verò tanta turbinis impulſione, immò quia mortem ſibi credebant imminere, ſurgunt à prandio; tota acclamat populi multitudo, vt ille promptus adiutor exportetur. Curritat quantocyùs, ille ſe leniorem portitoribus præbet, tertium immò continuum initurus bellum adeſt. Pugnat interuentu, iuſſu expugnat, ſtatim venti ſilent, tonitrua obmuteſcunt, fulgurum ſagittæ reprimuntur, grando caſus ſuos in altum ſuſpendit, nubium denſitas clareſcit, & aëris cœlíque tranquillitas adeò emicuit, vt crederes in tota illa die vel nocte ſequenti nec vnam pluuiæ guttam caſuram. Enimverò quia eadem dicta tempeſtas nunc recedendo, nunc ſubitò reuertendo totiens ipſos terruerat Fratres, arbitrati ſunt loculum Sancti cum cuſtodibus cuſtodem dimittere, ne ipſos nequam impulſio ſub noctis ſilentio loco damna valeret inferre. Ita igitur cunctis

diſpoſitis

diſpoſitis Horas veſpertinas perficiunt. Dies ad ſuum finem deuenit. Igitur nocte incipiente laſſi Fratres ad lectulos pauſaturi veniunt. Videns verò ille tempeſtatum ductor, ſe pro præſentia Sancti, ſui videlicet impugnatoris, nil ſuæ malæ voluntatis adimplere poſſe, voluit tamen, quid facere, ſi licuiſſet, volebat, demonſtrare. Nocte verò eâdem cùm ſe omnes ſopori dediſſent, tanta congeries grandinis inter clauſtrum & domum hoſpitum in media nocte cum ſummo ſilentio demiſſa eſt, provt ſcriptum reperi, vt in tanto feruore ſolis & temporis, illa grandinis maſſa infra quindecim dies liquari nullatenus poſſet: nec tamen in toto confinio illo extra ambitum Clauſtri, nec vna quidem gutta pluuiæ vel grandinis granum illa nocte viſa vel audita cecidiſſe.

De ruſtico S. Preiecti à tempeſtate dignè colliſo in feſto S. Hydulphi.

CAPVT XXI.

ALio quoque anno quo etiam eius reuolutio Feſtum adduxerat, fuit quidam ruſticus apud Sanctum Prejectum, qui junctis bobus fœno currum onerauerat, & ad ſuum domicilium reuertendo fœnum cum curru iam prope Villam minauerat: cùm ſubitò aër, qui antea ſatis clarus & purus apparebat, obtenebratur, tonitrua mugiunt, coruſcationes fulminant, atque grandinis tanta influentia inundat, vt vix ruſticus ille ſubſiſtere valeret. Procella ſiquidem inualeſcente ruſticus atteritur, concutitur, grandinis globis lapidatur, nihil refugij inuenire poterat, niſi quod relictis plauſtro & bobus ſe ſub curru protegeret, quod & facere non diſtulit: ſub plauſtro latitare ſperat, ſpes tollitur, quia ex improuiſo ventus tam validus inſufflauit, vt non tantùm currum ipſum euerterit, ſed etiam fœnum totum per lata camporum totaliter diſperſit, & ruſticum ſine tecto reliquit. Quid vltra? Vapulat ruſticus vento, rebus ſpoliatur, grandine lapidatur, inundatione aquarum pluuiarum ſuffocatur, terretur tonitru, fulmine jaculatur, & ita ferè ad extrema

perducitur. Illo etenim ita castigato, statim vniuersitas illius Villæ superuenit, scrutantes si illa tempestas frugibus terræ in aliquo nocuisset. Cúmque inueniissent quòd non, inuenerunt illum iuxta currum jacentem semimortuum. Quem ad domum suam deportantes, iudicabant digna pro meritis eueniisse, quia Deo nec honorem, nec Sancto suo Hydulpho incredulus impendere cogitauerat; vnde ista ei accidisse certum erat. Ita noster adiutor Hydulphus & suos nouit contemtores corripere, & suos protegere cultores. Considera, ô peccator, si Deus omnipotens tam aspera contemptoribus, cultoribus verò bona quæque in præsenti redonare solet, quid de futuris eum facturum existimas cùm ista transitoria, illa verò sint æterna? ista terrena terrenis refundentur.

Reuertentes igitur ad nostræ narrationis ordinem, istius nostræ Ecclesiæ euentus suo modo prosequamur. De alijs quoque Cellis & earum structoribus circunquaque erectis, provt se locus obtulerit, differemus. At verò quia de hoc nostro fundatore Gundelberto, quantum adinuenire potuimus, differuimus; ad posterorum suorum Abbatum explicationem, & ipsorum actuum publicationem calamum reuocemus.

LIBER II.

DE

SVCCESSORIBVS ABBATIBVS S. Gundelberti.

CAPVT I.

QVia verò de B. Gundelberti successoribus, vel ipsorum actibus pauca vel nulla ad scribendum inuenire potui, exceptis tantùm nominibus, nihil de meo addere præsumpsi,

Digitized by Goog

ne rumorum inciperem nouus auctor haberi. Primò quidem Abbatem Fundatoris ſucceſſorem, Virum moribus Sanctis adornatum, Domnum *Magneramnum* huic noſtro Monaſterio Senonienſi dicunt præfuiſſe. De quo quia nihil plus inueni, nihil ſcribere poſſum. Poſt hunc *Agericus*, & alij, *Magemramnus*, *Bonciolus*, *Stephanus*. Quibus quidem vir præpotens & nobilis nomine *Angelramnus* in adminiſtratione loci huius ita ſucceſſit. Erat vir ille Imperatori tunc temporis ita carus vt ipſum ſuum Cancellarium efficeret. Cúmque tali in aula Imperatoris fungeretur officio, contigit Archiepiſcopum Metenſem mori, quæ ciuitas tunc Mediomatrica dicebatur, quia in medio aliarum trium ciuitatum, Treuerenſis, Tullenſis, Verdunenſis, poſita erat, in medio Mater dicta erat, præſertim quia tunc Archiepiſcopatus pollebat honore. Quomodo ad ipſam dignitas illa delata fuerit vel ablata, non reperi. Cúmque id ad aures peruenisſet Imperatoris, ſtatim ſuum cariſſimum Cancellarium Angelramnum illi honori donari decreuit: qui aliquanto ſuperueniens tempore feliciter ſibi commiſſum gregem rexit & locum. Igitur Angelramno ita ſublimato, contigit Stephanum huius loci Imperialis Abbatem ab hac luce migrare. Quod cùm Archiepiſcopus Angelramnus comperiſſet, ſtatim ad ſuum cucurrit Imperatorem: & vt ſuæ hanc Abbatiam ſubderet ditioni poſtulauit. Hic enim locus ab initio ſui ab Imperio dependebat. Imperator verò ipſum nolens moleſtare, eius petitioni aſſenſum præbuit, & Monaſterium ipſum cum appendicijs Metenſi Epiſcopo, eo jure quo & Imperatores à primò tenuerant, perpetualiter conceſſit. Vnde iſte noſter locus Epiſcopis Metenſibus huc vſque ſubjectus eſſe dignoſcitur. Enimverò quia hic locus, vt diximus, ſuo erat viduatus Rectore, idem Archiepiſcopus Angelramnus & Epiſcopatum & Abbatiam Senonienſem aliquanto gubernauit tempore. Et ita Monaſterium quod priùs Imperiale exſtiterat, extunc manu Epiſcopi Metenſis degere compellitur. Monachi verò quia à tanto honore, immò meliùs dicendum onere ſe deſcendiſſe videbant, grauiſſimè tulerunt. Non enim conſiderabant, quòd ſicut & aliæ circumjacentes Eccleſiæ oppreſſione Imperiali ſæpiùs terebantur & deficiebant, tum pro armatorum cuneis in expedi-

tione mittendo, tum quia ab inimicis Imperij crudeliter vexabantur, & non erat qui adiuuaret, quia & Imperator multotiens aberat, & Eccleſiæ ab inimicis erui non poterant. Vano igitur dolore conſumebantur. Certè ſi ab illis temporibus iſta omnia Monaſteria in hac parte Voſagi, ſita adhuc Imperij eſſent, iam lapis ſuper lapidem non remanſiſſet, quia ſub alijs aduerſariorum imperijs paſſim ſunt conſtituta. Præſertim cùm, ſi quæ ab inimicis tolerarent, Imperatorem non leuiter adire poterant, nec per ſe illa poterant emendare, quod Epiſcopus vno vel duobus diebus inuentus corrigere poteſt. Et ita, vt opinor, vano conſumebantur dolore.

De Tranſlatione S. Simeonis Metenſis Archiepiſcopi ad Senonias.

CAPVT II.

ARchiepiſcopus verò Angelramnus & Abbas cùm videret reſſe ita habere, propoſuit moleſtiam Fratrum actu ſagaci compeſcere. Voluit enim Paſtorem pro paſtore, defenſorem pro defenſore, patronum pro patrono conferre; ſed non ſimiles poteſtate. Ille ad præſens, iſte hîc & apud Deum poteſt conſeruare & tueri: ille adiutor temporalis, iſte ſempiternus, ille corpus tantùm, ille corpus & animam ſaluare ſciebat, & ſemper ſcit: ille temporalia conferre poterat, iſte vtriuſque vitæ ſubſidia ſibi famulantibus nouit præparare. Contulit quippe huic loco pro momentaneo continuum | adiutorem & promptum, Beatum Pontificem ſeptimum à B. Clemente Metenſem Epiſcopum Simeonem clariſſimum miraculis, & adiutorem promptiſſimum. Suffocatos namque aquis precibus ſuis ad vitam audiuimus fore reuocatos; Lampades ante eius ſacrum corpus dependentes funibus ruptis ſuper pauimentum lapſas per ſe ſuper acutam cuſpidem plenas oleo mirabiliter ſtantes illæſas reſeruaſſe; Ardores febrium pellit, inundationes pluuiarum ſerenitate commutat; Calores nociuos æſtiuos ſtatim inuocatus temperat; horribiles tempeſtatum comminationes requiſitus depellit. Quid plura? cu-

Digitized by Google

nium infirmitatum & dolorum moleſtationes, non tardus, ſed paratus medicus nouit releuare; Ad omnium denique neceſſitatum importunitatem promptiſſimum ſe ſemper exhibet defenſorem. Hunc verò talem ac tantum hoc noſtrum Senonienſe Monaſterium meruit habere patronum. Qui ab illo venerabili viro Angelramno huc tranſlatus, licet tanti, vt diximus, haberetur meriti; tamen, vt audiuimus, ab huius loci Fratribus minimè eſt ſuſceptus. Dictus verò Archiepiſcopus & Abbas volens illorum ad tempus quaſi vir prudens declinare indignationis ferociam, in cliuo montis, qui ad meridiem Monaſterio præeminet, Capellam conſtruxit, & ibidem illum incomparabilem & Sanctum theſaurum collocauit. Cui Deus in ipſo locello Sancto ſuo Simeoni tantam contulit gratiam, vt nulli indigenti eius adiutorium ibidem poſtulanti, diuina miſericordia ſui voti ſubſidium denegaret. Ita tamen per illorum Fratrum obſtinationem aliquanto tempore ille ſacer Deo dilectus in dicta Capella plenus miraculis permanſit. Sed eum quia poſt B. Clementem ſeptimum Epiſcopum Metenſem ſuperiùs fuiſſe deſcripſimus; quis ille Clemens fuerit breuiter aperiemus.

De Sancto Clemente primo Metenſi Epiſcopo, & de ſerpente ab eo fugato.

CAPVT III.

EO tempore quo B. Petrus primus Apoſtolorum Romæ cathedram ſuſcepit Epiſcopalem, quidam alter Clemens in vrbe erat, qui à B. Petro ad fidem inſtructus, poſteà poſt ipſum Petrum tertius ſortitus eſt ſedem: Cum quo multi ſe fidei Catholicæ ſubicientes ad B. Petri iuſſum, verbum fidei vbique miſſi conſtanter prædicauerunt. Erat autem quidam cum ipſo Clemente Clemens, qui diſpoſitione Magiſtri ſui Petri cum aliis ad partes Galliæ miſſus, Metenſem eſt agreſſus ciuitatem, alijs ſodalibus ſuis loca ſibi à Deo deſtinata fide plenis occupantibus. Cúmque inueniſſet ciuitatem Me-

tenſem ſacrilego idolorum ritu multo tempore fœdatam, indoluit, & aliquantulùm loco cedens, in loco vbi poſtea Monaſterium, quod Gorzias vocatur, primus habitator Oratorium erexit. Statutis verò temporibus ad ciuitatem veniens Verbum Dei de Deo ante tempora natum, de matre verò ſub tempore de nouo natum conſtantiſſimè prædicabat. Ciues igitur nouitate ſermonis attoniti, alij dicebant, quia bonus eſt ſermo, alij autem non, ſed contra antiquas traditiones agit. Erat autem ante portam ciuitatis maceria pluribus in locis cauata, quæ ad ludos ſuos exercendos quaſi theatrum quoddam fuerat ab ciuibus illis in gyrum ædificata, in qua draco miræ magnitudinis, ſibi locum & manſionem elegerat. Qui anhelitu fœdiſſimo ita aërem corrumpebat, vt ſua infeſtatione portam ipſam, & ferè tertiam partem ciuitatis vacuam habitatoribus reddiderat. Vnde ipſa porta ab ipſo ſerpente nomen accipiens, adhuc porta ſerpentina appellatur. Cùm vir Dei hoc cognouiſſet, ſciens tantum populum non niſi miraculis forè conuertendum, iuſſit ſe ad ſerpentem ipſum perduci. Qui cùm illuc peruenisſet, diuina quippe eâ die ad hoc faciendum celebrauerat, ſtolam de collo demittens, antrum vbi draco erat, adijt: eíque in virtute Dei altiſſimi, & omnibus venenatis ſerpentibus & reptilibus præcepit, vt ſe ſequerentur, nec in eadem ciuitate quicquam ipſorum remaneret. Videres inſperatè tantam multitudinem ſerpentum ſubſequi Sanctum, vt non crederes in tota regione illa, tantam abundantiam immundorum reptilium poſſe inueniri. Sanctus verò Clemens cum ſuo illo captiuo vſque ad fluuium, qui Sallia dicitur, veniens dracone in ipſo demerſo, præcepit ei in nomine Dei, vt ad locum inhabitabilem cum ſuis ſequacibus ſine alicuius læſione abiret, quod & fecit. Vnde incolæ illius ciuitatis teſtantur adhuc nullum venenatum reptile ibidem poſſe reperiri: & ſi quoquomodo illic deueniat, meritis ſui S. Clementis non poſſe aliquandiu viuere profitentur. Quo miraculo viſo, & fidem Chriſti ciues ſuſceperunt, & illum ſibi Epiſcopum ſtatuerunt. Huius ergo Sanctiſſimi Clementis ſeptimus iſte noſter Patronus Simeon Epiſcopus Metenſis exſtitit ſucceſſor. Eliminatâ denique inde omni diabolicæ ſuperſtitionis verſutiâ, in ipſo theatro,

Digitized by

quod ante adirj non audebat, Eccleſia in honore B. Petri Apoſtoli conſtruitur: Vbi & poſteà, ſicut hactenus permanet, Cella conſtructa eſt Monachorum, quæ Monaſterio S. Clementis ſubjecta habetur.

De Sollemnitate S. Simeonis & de ſeruitio piſcium eiuſdem diei.

CAPVT IV.

IGitur Archiepiſcopus & Abbas *Angelramnus* videns ſe alijs arduis tam Imperij, quàm Archiepiſcopatus negotijs implicitum, decreuit huic loco Abbatem ſubſtituere. Inito quoque conſilio, virum religioſum *Norgandum* præfecit, quem ipſe Epiſcopus huic loco à noſtro Fundatore Gundelberto ſeptimus huic Monaſterio octauum conſtituit Abbatem. Et à tempore illo Abbates huius Cœnobij ab Epiſcopo Metenſi temporalia, ab ipſo verò Epiſcopo Tullenſi ſpiritualia receperunt, ſicut & adhuc contingere videmus. Videntes igitur fratres huius loci pro Imperatoria dignitate, à qua lapſi fuerant, fruſtra ſe dolore conſumi; ne tanto ſubuentore fortè priuarentur, corpus ſanctiſſimi Simeonis, quod ſuperiùs in Oratorio collis diximus collocatum, ad Monaſterium reportare maturarunt. Oblatáque temporis opportunitate, glebam Sancti cum magno populorum comitatu octauâ ante feſtum Omnium Sanctorum die, in Ecc leſia Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, vbi nunc in theca argentea requieſcit, tranſlatum eſt. In qua die annuatim omnes plebani, qui ab Abbate Senonienſi tenent Eccleſias, ſeruitia piſcium ad honorem feſti omni occaſione amota ſoluere tenentur. Vidi enim aliquos ab Abbate Henrico pro defectu ſeruitij piſcium, quod illa feſtiuitate non perſoluerant, ad præſentiam ſuam vocatos, & emendam propter hoc Abbati feciſſe, & perſoluiſſe neglectum ſeruitium. Vidi etiam aliqua illarum feſtiuitate tantam copiam piſcium apportari, vt ad decem libras Tullenſium valentia illorum computaretur. Sed nunc ad hiſtoriæ ſeriem reuertamur.

De Poteſtate Abbatis Senonienſis, & iure Aduocati.

CAPVT V.

CONſiderans itaque vir venerabilis *Angelramnus* ſe non poſſe niſi magno labore tot & tantis inſiſtere prouiſionibus, quia ſæpiùs Imperiali eum Cancellariæ oportebat intereſſe, hunc locum vt decebat, nequiret defenſare; ſtatuit Monaſterio Aduocatum prouidere tali conditione, vt quicunque Aduocatus per Metenſem Epiſcopũ inſtitutus fuerit, ad quem Aduocati ſpectat inſtitutio, tertiam partem emendarum illarum, ſcilicet placitorum, ad quæ ab Abbate vocatus fuerit, accipere debebit, & ad cætera manus non extendet. Pars quidem dicto Aduocato terræ & hominum, quæ adhuc Abajum vulgo appellatur, pro aduocatione collata fuit, quos adhuc tempore noſtro hæredes de Salmis poſſidebant. Et his contentus, nil penitus iuris in hominibus, terris, banno, aquis, nemoribus, placitis, iuſtitijs, vel in omnibus Monaſterij dependentijs, ſe ampliùs ſibi vſurpare debebit. Sed vbicunque neceſſe fuerit pro Abbatia & eius rebus & hominibus pro collato ſibi aduocationis beneficio ſtare tenetur. Abbas verò homines ad placitum vocabit, iudicabit, & per ſcabinum ſuum emendas iudicatas ſine Aduocato leuabit: & ſi qua culpa aliis temporibus in banno emerſerit, Abbas vel eius Villicus, qui per ipſum Abbatem, & non per alium inſtituetur, illas tractabit & fine debito determinabit. Quicunque verò Abbas ſit Senonienſis, Villicos, Decanos, Foreſtarios, Scabinos, & etiam Eccleſiarum S. Mauricij. S. Ioannis de Plama, de Vvipodi Cella matricularios ponet & deponet, & pro voluntate ſua ſine aliqua contradictione inſtituet & deſtituet: Nec in Villicum & alios miniſteriales Eccleſiæ, vel Abbatis Aduocatus manum immittere debebit, vel in homines; ſed omnia in diſpoſitione Abbatis ordinanda permanebunt. Si verò quiſquam aut Aduocatus ſuper prædictis, vel quiuis alter moleſtaret Eccleſiam, per Epiſcopum Metenſem omnia corrigi & emendari deberent. Et inſuper omnibus præmiſſis, Apoſtolicorum, Imperatorum, Epiſcoporum, Ducum,

cum, Comitum, & aliorum Magnatum priuilegijs hæc noſtra Senonienſis Eccleſia fundata eſſe conſtat & roborata; ita vt Apoſtolici quatuor, Epiſcopi, Archiepiſcopi, vinculo excommunicationis priuilegiorum Eccleſiæ infractores, & offenſa diuina dignos, pronuncient innodatos. Qui ſibi vult cauere, caueat; quia multos poſtea habuit Aduocatos Eccleſia excommunicatos. Hoc denique Monaſterium omnia ſuprascripta & alia quæcunque poſſidebat, & etiam priuilegia inuiolata retinuit vſque ad tempora cuiuſdam Adelardi huius loci Abbatis, paruæ prudentiæ & ſcientiæ, immò huius Eccleſiæ dilapidatoris, vt poſtea loco ſuo exponemus.

De corpore Ioſeph Sepultoris Domini.

CAPVT VI.

TEmpore Caroli magni vir quidam venerabilis, Fortunatus nomine, Patriarcha Hieroſolymitanus, corpus S. Ioſeph ſepultoris Domini, Paganos qui tunc terram ſanctam vaſtabant, fugiens aportauit, & ad Medianum Monaſterium deueniens, ibidem cum ipſis ſuis reliquijs ſe collocauit: qui poſtea ipſius Monaſterij Abbas eſt ordinatus. Sed poſtmodum ipſum Sancti corpus per inſolentiam Canonicorum, qui illum locum poſſederunt, à quibuſdam Monachis peregrinis noctu furatum aſportatum eſt; & ita illud Monaſterium tali eſt theſauro viduatum. Poſtmodum verò prædium magnum apud Berchem in territorio Alſatiæ ſitum cum Eccleſia *B. Mariæ* quod antea vir quidam nobilis pro ſalute animæ ſuæ Eccleſiæ Mediani-Monaſterij contulerat, pro quantitate aliquot caſeorum Epiſcopo Baſilienſi quaſi obligatum per negligentiam perditum eſt. Et ſic de die in diem peccatis exigentibus, Eccleſia Mediani-Monaſterij redditibus ſuis miſerabiliter eſt fraudata.

De Zundebaldo Duce Lotharingiæ, qui Comiti cuidam Medianum-Monaſterium contulit in iure beneficij.

CAPVT VII.

CONtigit deinde, quando annus Domini DCCC XCIV. habebatur quemdam nobilem, *Zundebaldum* nomine, Ducem Lotharingiæ extitiſſe, qui conſilio deprauatus peſſimo, dolorem dolori addens, Medianum-Monaſterium cum appendicijs ſuis cuidam Comiti, *Haſuna* nomine, iure beneficij tradidit. Qui Comes iniquitatem apponens iniquitati, *Pipi um*, qui tunc illi Monaſterio præerat, cum Monachis omnibus à Monaſterio depulit, & Canonicos ſeculares inſtituit, & eis Monaſterium, & omnia quæ Monachi antea poſſederant, iure perpetuo contradidit.

De Fame, & Hunis, & Monachis apud Medium-Monaſterium reſtitutis.

CAPVT VIII.

SEcundo annò verò poſt hæc tanta penuria bladi & aliorum alimentorum omnium inualuit, vt quod auditu eſt horribile, homo homine veſci cogeretur. Et ſequenti anno Hunni totam Alemanniam, & terram iſtam gladio vaſtauerunt; Ciuitatem Baſileam ſolo coæquauerunt: ita vt vix in his tribus Eccleſijs, Deodatenſi, Stiuagienſi Medij-Monaſterij, ſinguli remanerent Clerici. Duobus inde annis elapſis Canonici denuo reuerſi Clauſtrum Mediani-Monaſterij iterum occupauerunt. Septuageſimo verò anno, poſtquàm dictus Zundeboldus Dux per donationem Mediani-Monaſterij Haſuna Comiti factam, Canonicis depulſis inde Monachos ibidem ſtituit quidam Dux Lotharingiæ, *Fridericus* nomine, vir Deum timens. Audiens enim quòd ordinem Monachorum à ſui fundatione monaſterium illud habuiſſet, decreuit Ordinem priorem ibidem reſtaurare. Vnde Cano-

Digitized by Google

nicos depellens, per quemdam *Adelbertum* Monachum Gorzienſem, qui ordine & regula B. Benedicti inſtructus ſatis erat, Monachos denuò reſtituere maturauit in eodem ſtatu, quo ante Clerici ibidem habitauerant; exceptis his, corpore ſcilicet S. Ioſeph ſepultoris Domini, & alijs per incuriam Clericorum alienatis, quæ inſtaurari non potuerunt.

De Blidolpho, qui Cellam de Acheri ædificauit.

CAPVT IX.

EOdem verò tempore extitit quidam Metenſis Primicerius, *Blidulphus* nomine, vir iuſtus & prudens, qui relictis omnibus quæ poſſidebat, appetens locum ſuæ conuerſioni aptum, quærere decreuit. Quem diu quæſitum, tandem in valle quæ Lebrath dicitur, intra montes incluſam adijt Valliculam, in qua, in cliuo montis ad meridiem Cellam erexit, & eam Bellum montem appellauit. Qui ibidem Eccleſiam ædificauit, & in ea nouen altaria cum cancellis & criptis inſtruxit. Officinas enim circa illam, & Clauſtrum propoſitione loci ad vſum Monachorum erexit: Aliquantos verò redditus ibidem acquiſiuit: & adunatis Fratribus Deo deuotus cœlibem duxit vitam. Audientes verò multi ſanctitatem viri Dei, eius ſe conuerſationi ſociare ſtuduerunt. Inter quos extiterunt duo genere & fide nobiles *Villelmus*, & *Achericus*, qui etiam ambo ipſius loci Fundatori meritis coæquari potuiſſent. Vnus nempe duorum tam euidentibus & in vita, & poſt vitam claruiſſe fertur miraculis, vt eius ſacrum corpus de loco ſepulturæ in ſcrinio transferretur: cuius reliquiæ poſteà in theca noua argento & auro ornata tempore cuiuſdam Sacerdotis, Heſſo nomine, repoſitæ adhuc in ipſa Eccleſia reſeruantur. Alter verò Achericus eiuſdum Villelmi ſucceſſor aliquandiu ipſam rexit Eccleſiam & locum: qui tantâ extitit famâ, vt ipſum, dimiſſo nomine Bellimontis, quo priùs nominabatur, Achericum appellarent locum quod adhuc eo nomine ipſa villa nuncupatur. In qua poſtea nobiles exſtiterunt viri, quorum diebus argentariæ foſſæ repertæ ſunt, in quibus multum argentum eſſe fertur effoſſum: De

quorum nobilium progenie poſtea exierunt viri qui temporibus noſtris in ipſa Valle Lebrath caſtrum conſtruxerunt, quod nomine ſupradicto, Acherich vocauerunt. Ille verò Sanctus Achericus plenus dierum migrauit ad Dominum. Cuius corpus in medio chori in ipſa Eccleſia ante altare *B. Mariæ* ſepultum videtur. Ipſa deinde cella Acherich Mediano Monaſterio olim per dictos viros fuit attributa. In qua Cella Monachi Medij Monaſterij ferè vſque ad tempora noſtra feruntur habitaſſe. Modò verò Eccleſia parrochialis per negligentiam Monachorum eſt effecta. In ipſa etiam valle, in inferiori loco quia ſpatioſior erat, famoſiſſimus Imperator Carolus Magnus Cellam in honore B. Dionyſij ædificauit, in qua corpus ſanctiſſimi Papæ Alexandri & Martyris à Roma delatum collocauit, & eam magnis redditibus ampliauit. Cuius etiam Eccleſiæ pauimentum diuerſo colore marmoreo artificioſe, ſicut hodiè in aliqua parte ſui apparet, ſubſtrauit. Quæ adhuc Cella ad Monaſterium B. Dionyſij Areopagitæ pertinere dignoſcitur.

Quòd Fredericus Dux Lotharingiæ Eccleſiam S. Deodati Abbati Medij-Monaſterij duxit regendam.

CAPVT X.

ANno igitur Domini DCCCC XLII. *Fridericus* Dux Lotharingiæ, & de quo ſupra mentionem fecimus, quia diuinis libenter prouidebat Eccleſijs, cùm Monaſterium S. Deodati proprio foret viduatum Paſtore, *Adelbertum* Mediani Monaſterij, quem poſt Canonicos ipſi præfecerat Monaſterio, adire decreuit; & ei vt dicto Monaſterio S. Deodati præeſſe vellet, ammonuit. Qui voluntati Ducis obuiare metuens, petitioni Ducis acquieuit Suſcipiens igitur Eccleſiam ipſam credidit ſe duabus Eccleſijs ad regendum non poſſe ſufficere. Accerſito itaque ſui Monaſterij Monacho, *Eucherberto* nomine, illud S. Deodati Monaſterium tradidit prouidendum. Qui ipſius loci ſubſtantiam & vniuerſam ſupellectilem in tam breui tempore diſperſit, vt Fratribus ibidem

commanentibus victui neceſſaria non valeret miniſtrare. Vnde Dux valde iratus Monachum illum ab amminiſtratione amouere cogitauit: quòd cùm ille Ducem ſibi ſenſiſſet iratum, credidit eum munera velle accipere: conuerſus verò ad Monaſterij theſaurum, quia quo manus extenderet non habebat, diſtrahit calices, cruces decruſtat, cappas ſericas & ornamenta ſerica, & aurifigia vendidit, Ducique pretium offerre parat. Cùm igitur Dux cognouiſſet ipſum Eucherbertum Monachum, vt gratiam eius recuperaret, tam enormiter deliquiſſe, valdè condoluit: quia potiùs pro gratia Principis rehabenda priùs commiſſum reſtaurare, quàm poſterum priori adiungere debuiſſet: non tantum modò ipſo Monacho pœnam commiſſi retorſit, ſed etiam Monachos omnes cum illo ſuo nequam prouiſore à Monaſterio propellere non diſtulit. Et quia Eccleſia ipſa S. Deodati ſub dominio ipſius Ducis habebatur, nec ipſum locum diu officio diuino carere volebat, quia facta Monachorum ſatis expertus erat, Canonicos ſeculares ibidem, ſicut vſque adhuc permanent, inſtituit.

De Tranſlatione corporis S. Hydulphi.

CAPVT XI.

QVarto decimo poſt hæc anno dictus Abbas Mediani-Monaſterij *Adelbertus*, corpus Beatiſſimi Hydulphi, quod adhuc ſaxea tumba tenebat, conuocatis pluribus Abbatibus & alijs viris Religioſis cum magno apparatu leuauit, & in quodam ſcrinio ligneo, quod ad hoc præparauerat, collocauit. Eo tempore leuata ſunt corpora Sanctorum germanorum Ioannis & Benigni diſcipulorum S. Hydulphi, qui miraculosè * ab hac luce venientes, nunquam ab inuicem diſceſſerunt. Vnâ namque horâ ſunt concepti, vnâ horâ in ventre matris ſunt formati, ſimul procreati, vnâ horâ nati, ſimul educati, ſimul ſtudijs traditi, vna die cucullati, ſimul conuerſati, vna die lecto infirmitatis incubuerunt, vna die defuncti ſimul cœlo recepti, tumulo vno collocati. Vnde de his

* ad hanc lucem.

Digitized by Google

ſanè poteſt dici, *& ab inuicem non ſunt ſeparati.* Aliquanto verò elapſo tempore, poſtquam leuata ſunt iſtorum Sanctorum corpora, contigit bonæ memoriæ *Stephanum* Tullenſem Epiſcopum ad has deueniſſe partes: qui cùm quadam ſolemnitate ad Medianum-Monaſterium peregiſſet feſtum, Monaſterium S. Saluatoris adijt, ibique extremum clauſit diem: & inde ad Medianum-Monaſterium reportatus, quia ita ipſe viuens præceperat, in eodem tumulo quo leuata ſunt corpora prædictorum Sanctorum honorificè eſt ſepultus. Vnde poſtea tempore *Nicolaj* eiuſdem loci Abbatis inde leuata ſunt oſſa ipſius, cum quibus vidi cruciculam plumbeam, in qua ſcriptum erat, *Stephanus bonæ memoriæ Tullenſis Epiſcopus.* Qui etiam eidem loco aliqua prædia contulit, quæ adhuc Cameratiæ deſeruiunt Monachorum.

Qualiter Monaſterium de Boxerijs eſt conſtructum.

CAPVT XII.

NOngentiſimo ſexageſimo ſecundo Domini anno, quidam vir venerabilis extitit, *Gozelinus* nomine, Tullenſis Epiſcopus, vir ſagax & prouidus, qui Monaſterium Sanctimonialium, quod Poſſerijs dicitur, à fundamentis primitùs ædificauit. Viuente adhuc dicto Gozelino, quædam gens aliena Epiſcopatum Tullenſem, & ipſam ciuitatem patientiâ Dei adeò vaſtauerunt, vt in principali Eccleſia tres tantùm Clerici remanſerint, qui vix ibidem valebant ſuſtentari. Gozelinus verò venerabilis Epiſcopus videns Epiſcopatum ad tantam deueniſſe miſeriam, indoluit: Adijt quippe Magnates, Duces, Barones, & alios Chriſti fideles; vt eorum auxilio Eccleſiæ inopia releuaretur. *Otto* itaque tunc Imperator Romanus, cùm comperiſſet dictum Tullenſem Epiſcopatum ad tantam inopiam deueniſſe, pietate motus, induſtria & ſagacitate dicti Epiſcopi, ipſum Epiſcopatum reparauit, vt videretur de nouo extructum fuiſſe.

Digitized by Google

De Ordinatione S. Gerardi Tullenſis Epiſcopi: & de miraculis eius.

CAPVT XIII.

DEfuncto denique ipſo, vt ſupra dixi, Gozelino Epiſcopo, *B. Gerardus* in Epiſcopatu ſucceſſit. Qui cùm ad Epiſcopatum electus fuiſſet, & ad ciuitatem Tullenſem ad inſtituendum duceretur, cùm ad Eccleſiam S. Manſueti, quam prius idem S. Manſuetus in adùentu ſuo ad ciuitatem Tullenſem pro Oratorio ſibi exſtruxerat, peruenisſet; quia eiuſdem vrbis primus Epiſcopus exſtiterat Manſuetus, Oratorium ipſum causâ orationis fertur introiſſe, & tandiu ibidem oraſſe, vſquequo Eccleſiam ipſam conſenſu totius cleri ſe vouiſſet in melius ædificaturum, quod & fecit ſicut hodie videtur permanere. Eccleſiam quoque majorem Epiſcopij, ſancti ſcilicet Stephani Protomartyris à fundamentis reſtruens, picturis & alijs ornamentis decorauit. Quam dedicare volens reliquias Protomartyris non reperiſſe fertur: quare ad Metenſes nauigio dicitur deueniſſe. Cùm igitur per Moſellam nauigaret, & ſuper oram nauis fortè incumberet, contigit cruciculam quam ad collum appenſam geſtabat, neſcio quo caſu à collo lapſam in fluuio decidiſſe; pro qua re vir Dei valde contriſtatus eſt: curſu ſiquidem concito Metim peruenerunt. Petijt vir Domini Gerardus, vt Epiſcopus loci & alij ſuis intereſſent encænijs, & ei aliquas B. Stephani reliquias darent ſi haberent. Qui nullas ſe habere reſponderunt, excepto ſolo ſaxo, de quo idem Dei Martyr fuerat lapidatus. Beatus verò Gerardus hæc audiens corde gauiſus eſt, & vt ei lapis oſtenderetur, ſupplicauit. Quem afferentes, eidem Epiſcopo dederunt in manibus; qui ſaxum vna manu honeſtè tenens digitum dexteræ per ſaxi cuſpidem ſatis curioſè trahens, dixit: ô ſi mihi tantula pars de voluntate Dei conferretur, ſatis me recepiſſe gauderem. Quo dicto ſtatim illa particula per quam digitum traxerat, ita ab illo lapide diuulſa eſt, quaſi ſi cultro eſſet abſciſſa. Quod cùm viderent Metenſes, cognouerunt Sanctum hoc miraculo obtinuiſſe, quod

prece concedere recuſabant. Particulâ quidem ſaxi acceptâ, cum ingenti gaudio valedicens illis, nauímque aſcendens, venit ad locum vbi anteà cruciculam diximus lapſam fuiſſe. Quem locum beatus ille proſpiciens, ſuſpirando dixit: Domine, Domine, cruciculam meam peccatis meis exigentibus hîc credo cecidiſſe: quo dicto, crucicula illa deſuper aquas natando apparuit: quod cùm Sanctus videret, porrecta manu apprehendit eam, ſicque cum duplici gaudio, ſaxi videlicet & crucis, ad ciuitatem ſuam deuenit, & Eccleſiam quam reſtruxerat, dedicauit. Idem verò Beatus de die in diem meritum ſuum augmentare non ceſſans, Eccleſiam in honore B. Gengulphi Martyris de nouo ædificans, Canonicos ibi inſtituit, & rebus neceſſarijs ampliauit. Deinde S. Apri corpus ſui prædeceſſoris Tullenſis Epiſcopi de tumulo leuauit. Multa quidem & alia ſigna fecit Deus per merita Sancti ſui Confeſſoris Gerardi Epiſcopi.

De ortu S. Brunonis Epiſcopi Tullenſis, poſteà Papæ Leonis.

CAPVT XIV.

ANno igitur Domini Milleſimo ſecundo Natiuitas B. Brunonis, qui poſteà Tullenſis Epiſcopus, deinde Papa Romæ efficitur. Cuius parentes Heſſam Monaſterium Sanctimonialium penes Sareborch ædificauerunt. Aliud quoque Monaſterium conſtruxerunt, quod Aldorf dicitur, Ordinis S. Benedicti, quod in Alſatia ſitum eſt. Tertium etiam, quod Luſtrenſe dicitur: & quartum Sanctimonialium in honore Sanctæ Crucis; item in Alſatia, quod Vvofeinheim nuncupatur. Quæ Monaſteria bonis proprijs ita ditauerunt, vt ipſorum Conuentus largiſſimè valeant ſuſtentare. Ac demum cùm idem Bruno Papa Leo fuiſſet effectus, Eccleſiam S. Deodati cum tota valle à iuriſdictione Epiſcopi Tullenſis exemit, & ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecit. Cuius igitur ſanctitatis idem Bruno poſtea futurus eſſet, in quamcunque ciuitatem vel caſtellum, vel vicum, aut villam intrarent, galli

earundem

Digitized by Google

earundem villarum, linguâ eius patriæ per quam tranſibant, denſis clamoribus eum Papam futurum clamabant: Leo Papa, Leo Papa, cùm ſibi nomen imponendum omnes ignorarent: & iterum hoc nomen atque iterum reciprocabant: Leo Papa, Leo Papa. Quo audito qui cum eo erant, eum in ſumma veneratione habere cœperunt.

De Tranſlatione S. Deodati per Beatricem Duciſſam Lotharingiæ viduam.

CAPVT XV.

POſtea verò anno Domini MIII. vergente numero, erat quædam Duciſſa, quæ viro ſuo viduata Lotharienſem Ducatum pro modulo ſuo regebat. Inter cætera quæ temporibus ſuis contigerunt, acceſſit ad Eccleſiam S. Deodati: & Canonicis, & Clericis, & vulgo comminata eſt, quòd ſi corpus Domini ſui, ſcilicet B. Deodati non oſtenderent, quod ſe jactabant habere, ipſos perpetualiter in propriam redigeret ſeruitutem; quod adhuc tumulo ſaxeo tenebatur. Minis etenim Clerici & populus perterriti, conuocatis vndecunque viris religioſis, jeiunijs & orationibus præmiſſis, corpus ipſius Sancti, loci ipſius primi Fundatoris Deodati, de tumulo in medio ipſius Eccleſiæ locato, ante altare Sanctæ Crucis, quod nunc eſt parochiale, leuauerunt, & in ſcrinio nouo ad hoc parato pridie ante vigiliam depoſitionis eius locauerunt. Vnde adhuc ſingulis annis eius ſacra tranſlatio à Clero & populo eo die recolitur. Ita ex tunc Eccleſia & vallis oppreſſione ipſius Duciſſæ exempta fuit. Secundo autem pòſt anno idem Monaſterium S. Deodati præ vetuſtate corruens, ab ipſa Beatrice & quodam Comite *Lodouico* cum aliquibus aljis adjutoribus fidelibus, ampliori & nouo ædificio eſt innouatum. Ottone verò Imperatore anno Domini MI. decedente, duo ſibi regnum vſurpauerunt, quorum vnus *Harduinus* Italiam, alter verò *Hermanus* Alemaniam poſſederunt. Idem autem Hermanus inter alia mala quæ geſſit, Sabbato Sancto Paſchæ inopinatè ciuitatem Argentinam intrauit, & totam

ciuitatem in die Reſurrectionis Domini igne ſuccendit. Armati ſui matronas, quæ ad Eccleſias fugerant, Virgines cum cæteris mulieribus vi violabant, & hoc intra Eccleſias fiebat; Sacerdotes ab altaribus deijciebant & exutos veſtimentis, calices rapiebant, libros, pallas altarium, cruces, capſas cum reliquijs Sanctorum per ſpatium pauimenti quaſi quædam ſtercora expandebant. Quidam verò eorum conſiderantes cruxifixum magnum auro puro & gemmis redimitum, ad eum cucurrerunt Cui vt decruſtarent manus inijcientes, ſubita morte præuenti ante ipſum crucifixum diabolo reddentes animas ceciderunt. Omnis deinde ille exercitus peſſima morte diuerſis modis citò totus interijt. Ille verò eorum Hermanus vt ſuæ malitiæ donatiuum reciperet, cùm quadam nocte in cubili ſuo ſe ſanum collocaſſet, ab illo cui ſeruierat Diabolo ſuffocatus, ſomno mortem ſociauit. Et ita Dux cum ſuis omnibus in breui inferni clauſtra poſſederunt.

Quòd Bertoldus Tullenſis Epiſcopus Monaſterium S. Saluatoris conſtruxit.

CAPVT XVI.

MIlleſimo decimo Domini anno *Bertoldus* Tullenſis Epiſcopus, de quo ſuperiùs mentionem fecimus, Monaſterium S. Saluatoris in Voſago, in cliuo montis prope Bodonis-Monaſterium, vbi Sanctimoniales diximus à Fundatore ſuo Bodone inſtitutas, à fundamentis ædificauit, & ibi Monachos, vt prædixi, inſtituit. Monachis verò poſt aliquod tempus inde expulſis, Canonici ibidem inſtituuntur.

Quod quidem Monaſterium ex ſuo proprio dotauit patrimonio, videlicet villa cum hominibus de Domnoapro, villa Berthecurte ad Quercus, villa de Auralcourt prope vicum in bannis ac fundis earundem in omni juriſdictione nobilium ex ſuis liberis alodijs, necnon hominum ſubjectione ſic abſque aliquorum Dominorũ temporalium reclamatione, ſic multo pacificè Abbas quieuit tẽpore in poſſeſſione; malitia

Digitized by Google

verò multorum iniquorum vrgente virorum idem Monaſterium cum ſuis Religioſis & pertinentijs vexantium, aliquanto tempore ſpatij medio Abbas tunc temporis exiſtens inito ſibi conſilio, videns ſe non poſſe niſi magno labore tot & tantis moleſtationibus reſiſtere, ſtatuit ſibi & dicto Monaſterio ſub modo aduocatiæ de Conſeruatore prouidere : tali conditione ſic ſtatutum eſt, vt quicumque Conſeruator inſtitutus fuerit, ſcilicet ex tunc Dominus de Albomonte, reditus annuales animalium trahentium in villa & banno de Domnoapro ſimul cum vno groſſo ſemel in quolibet anno perſoluendo monetæ curſibilis ; ex vnaquaque domo in qua ignis fieret, dicti Abbatis domo & in dicta villa nomine ſuo vbi habitantes morarentur duntaxat exceptis, idem Conſeruator perpetuis leuabit temporibus & poſſidebit, fidelitate ab eodem Conſeruatore ſibi Abbati prætacta, & his contentus nihil penitus iuris in hominibus, terris, banno, nemoribus, placitis, niſi vocatus fuerit ab Abbate, vel eius Miniſteriali ſeu Villico vt vim ſibi inferat, pro qua vocatione & viri rei rebellione, ipſi qui reus erit duorum placitantium inuentus, poterit idem Conſeruator pro emenda per Miniſtralem ſeu Villicum Abbatis exigenda & leuanda vſque ad viginti ſolidos poſtulare ; ex quibus Abbas quinque recipiet, & pro eodem Conſeruatore reliquos quindecim conſeruabit ſolidos. In aquis verò ſi Abbas eas vendiderit duas pecuniarum partes habebit, & iſdem Conſeruator tertiam partem ; ſi autem piſcare voluerit facere, ponet ſeu ſtatuet duos piſcatores, & Conſeruator vnum tantùm. In placitis & iuſtitijs nihil habebit, niſi morti deditis, quorum facultates Abbati liberè remanebunt, & corpus delinquentis à Miniſtralibus villæ iudicatum eidem Conſeruatori deliberaretur exequendum, nec in omnibus alijs appenditijs ampliùs vſurpare debebit, ſed vbicumque neceſſe fuerit pro Abbatia S. Saluatoris & eius pertinentijs licitis pro collato ſibi ab Eccleſia tali beneficio ſtare tenebitur. Abbas verò homines ad placitum vocabit & per Scabinum ſuum emendas iudicabit, iudicatáſque leuabit, & ſi qua culpa alijs temporibus in banno emiſerint, Abbas vel eius Villicus illas tractabit & fine debito terminabit. Villicos, Scabinos, Decanos, Foreſtarios inſtituet; & etiam Eccleſiam

S. Saluatoris, villam ſcilicet de Domnoapro, de Barbay, de Barbeſieux, de Herboye, de Syreis, & de Blemerey, ac de Bodone-Monaſterio Marticularios ponet & deponet, & pro voluntate ſua ſine aliqua contradictione inſtituet & deſtituet, nec in Villicum & alios quoſcumque Miniſtrales Eccleſiæ & Abbatis S. Saluatoris iſdem Conſeruator aut alius manum violenter mittere, ſiue alios homines extraneos qualicumque modo aut cauſa vincire, aut vinctum ducere ſiue incarcerare poteſt nec debet, ſed omnia in diſpoſitione Abbatis, quia ſummus in dominio illius villæ & eius banno habetur, ordinanda & diſponenda permanebunt. Si verò quiſquam aut dictus Conſeruator, qui ſe cum ſuis ſequacibus ad hoc hora ſuæ primæ inſtitutionis ac ordinationis omnino Eccleſiæ Dei iuriſdictioni ſponte ſubdidit, ſuper prædictis vel quilibet alter nomine ſuo ipſam moleſtaret Eccleſiam, per Reuerendum in Chriſto Patrem Dominum Epiſcopum Tullenſem corrigi & emendari debebunt, atque excommunicationis ſententia coarctari, in quam eo facto ſeipſos nouerint incurriſſe.

Quòd Simon Dux Lotharingiæ Aduocatus fuit conſtitutus in villa de Berthecour ad Quercus.

CAPVT XVII.

ANno Domini MCLIII. ex conſenſu, immo potiùs ad requeſtam Abbatis per Dominum Tullenſem Epiſcopum, vt vim Eccleſiæ & Abbati S. Saluatoris ferret, fuit in villa de Berthercurte ad Quercus Dominus *Simon* Dux Lothoringiæ liber Aduocatus, qui pluribus aduocatiam annis ſalubriter in Eccleſiæ fauorem rexit, ac à ſuis regere fecit, quam aduocatiam *Simoni de Morcy* filiolo ſuo, quem de ſacro fonte leuauerat, contulit in feodo: ſed anno Domini MCC. LX. Duce *Ferrico* ratificante & laudante hæredes dicti Simonis de Morcy Abbati & Conuentui in perpetuum vendiderunt ipſam aduocatiam.

Digitized by Google

De Adelardo miſero Abbate Senonienſi, & de miſeria eiuſdem loci.

CAPVT XVIII.

HIs igitur ita ſe habentibus, cum Eccleſiam iſtam Senonienſem alij poſt alios Abbates rexiſſent fœliciter, contigit quemdam *Adelhardum*, qui quartus decimus à primo Fundatore erat, huius noſtri Monaſterij gubernacula ſuſcepiſſe: qui fœlicibus infœlix ſuccedens, huius loci bona, redditus, terras, prouentus ſuâ negligentiâ diſſipauit: immò, quod deterius eſt, ſpiritalium, Ordinis ſcilicet & Religionis, & Religioſorum extitit peruerſor; vt in loco, qui vſque ad tempora eius, quaſi quidam hortus deliciarum tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus floruerat, minimè Deus coleretur. Quicunq; res Eccleſiæ rapiebat, ſine repulſa detinebat: Monachi non ordini, ſed peruerſitati inſiſtebant: Ad ludos citius quàm ad Eccleſiam conueniebant; Refectorium, dormitorium, clauſtrũ, quaſi interficientium arma deuitantes, impudicis ſe actibus, comeſſationibus, ebrietatibus, ac cęteris mundi delectationibus implicabant: nec erat qui corrigeret. Quid vltra? Grex dum lupis exponitur, caulæ ouium Dei diſſipatæ non valent eas retinere. Ita Abbas Adelhardus Eccleſiam ſibi cõmiſſam cum grege ſibi cõmiſſo gubernabat. Videntes Monachi omnia ſibi licere, licet non omnia expedirent, ſtatuunt ſibi viuere, non Chriſto. Quæſiuit ſibi quiſque domunculam, vbi non regulariter, ſed voluntate propria ſibi conuerſari quiret: fit congregatio taurorum in vaccis populorum, gloriantes in malitia ſua: & ideò tenuit eos ſuperbia, confuſi ſunt, nec compuncti, ſubſannauerunt multis ſubſannationibus: Et quia maledictus qui ponit carnem brachium ſuum, quia de carne tantùm curabant, non ſperauerunt in Domino, ſed diuina contemnentes officia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua; & ita tranſientes in affectum cordis ſui, perierunt propter iniquitatem ſuam. Victu quippe deficiente & veſtitu, decreuerunt more ruſticorum agricultores fieri, vt ita ſaltim

possent inopem defendere vitam. Tali etenim congregatione, immo certè segregatione, hæc nostra Senonienſis Eccleſia pluribus, proh dolor! annis fuit frequentata. Quid plura? Abbates Abbatibus ſuccedentes nec ſeipſos, neque ſubditos ab hac miſera conuerſatione corrigere curarunt. Hæc etenim Fratrum miſerrima conuerſatio temporibus ſex Abbatum incorrecta perdurauit, vſquequo Deus omnipotens, quia tempus miſerendi venerat, miſereri voluit. Receperat enim duplicia pro peccatis ſuis. Deſtinauit enim ei quemdam juuenem, *Rambertum* nomine, huius tamen loci Monachum, qui aliorum non conſentiens ludibrio, ſanctæ conuerſationis ſtudium quæſiuit. Erat enim in Epiſcopatu Metenſi quoddam Monaſterium Gorzias nomine, quod à Fratribus Deum timentibus, quaſi quibuſdam floſculis amoeniſſimus Paradiſus ſuo deſiderio fulgebat. Hanc Fratrum congregationem frater Rambertus huius loci Monachus euadens naufragium, Deo donante melior futurus aggredi diſpoſuit. Qui ab Abbate & fratribus loci benigne eſt receptus, & tandiu tamque religiosè ibidem conuerſatus, vt omnibus carus haberetur, & præcipuè eiuſdem Monaſterij Priori, qui *Adelbero* dicebatur, vir quippe vitæ laudabilis & honeſtæ conuerſationis. Rambertus enim, quem diuina inſtruebat benignitas, conſideratis Ordinis & Religionis circunſtantijs, atque ipſorum Fratrum Gorzienſium mores laudabiles & actus, conſuetudinem loci & modum tam ſagaciter retinuit, vt idem Prior & Fratres ipſum gratanter, ſi voluiſſet pro ſuæ humilitatis & modeſtiæ ſtatu retinuiſſent. Sed ille, quem Deus ſuæ Eccleſiæ Rectorem præuiderat, ad reuiſendum locum iſtum & Fratres quos in tam prauo ſtatu, vt ſuperiùs dictum eſt, reliquerat; acceptâ à Priore & Fratribus licentiâ, ad Monaſterium Senonienſe repedauit. Quem Dominus Rangerus, qui tunc huic loco præerat, ſuſcepit, & eum quia prudens erat & modeſtus, poſt pauca Monaſterij Præpoſitum ordinauit: qui ſuæ obedientiæ agendas tam ſtrenue gubernauit, vt ab omnibus amaretur. Rangero itaque huius loci Abbate ab hac vita non multò pòſt decedente, eóque provt debuit condecenter ſepulto, totus Fratrum Conuentus Rambertum Propoſitum ſibi elegit Abbatem. Qui ab Epiſcopo Metenſi temporalia,

Digitized by Google

ab Epiſcopo verò Tullenſi curam ſuſcepit animarum. Cùm igitur Rambertus Abbas ad Monaſterium remeaſſet, Fratres alloquitur, eis verbis benigniſſimis quod Gorziæ didicerat indicauit, & vt more illorum Religioſorum viuerent, admonuit. Qui, quia conſuetudo altera eſt natura, reſponderunt ſe non aliter velle viuere; ſed ſicut conſueuerant, orabant vt eos victitare permitteret. Videns vero Rambertus Abbas ſe nihil proficere, Epiſcopum Metenſem cenſuit conſulendum. Epiſcopus verò videns eum zelo Dei duci, ad eius bonam roborandum voluntatem, dictum Priorem Agenaldum * Gorzienſem ſua fultum auctoritate eidem Abbati dedit adiutorem. Venientes igitur ad noſtrum hoc Monaſterium prædicti Abbas & Prior Fratres ſatis aptè ſunt allocuti: nunc quidem blanditijs, nunc verò terroribus, vt à ſua diſſolutione recedendo, ſe diſciplinæ regulari ſubmittere maturarent, hortabantur. Qui omnino nec prece, nec minis, vel demum diſtrictione regulæ moti, irati ad contumelias deuenerunt. Quod cùm viderent Abbas & Prior, ſcilicet ipſorum pertinaciam & duritiam cordis, propoſuerunt eis vnum è duobus eligendum, aut obediendo mandatis regulæ, Deóque ſeruiendo in Monaſterio diſciplinatè viuerent, aut de Monaſterio exeuntes quamcunque vellent viam ſibi viuendi aſſumerent. Quod illi audientes quidam ipſorum, qui ſimpliciores erant, ſe Abbatis directioni ſubdiderunt: quatuor verò qui aliquantulùm ſcioli videbantur, alij in ſua ſcientia, alij in ſua ſtoliditate tumentes, alij in ſua iuuentute confidentes, totam viam quæ ducit ad mortem, relicto Clauſtro, ſunt aggreſſi. Reliqui verò Abbati ſuo & Ordini ſe committentes, Deo potiùs quàm ſæculo ſeruire decreuerunt. Ordinatis denique Fratribus, & Ordini ac diſciplinæ regulari reſtitutis, ac rebus Monaſterij ſagaciter ordinatis; dictus Prior *Agenaldus* valedicens Abbati ad propria eſt reuerſus. Rambertus autem locum tam fœliciter rexit, vt ſe amabilem cunctis exhiberet & honorabilem.

* *Suprà Adelberonē appellauit.*

Quòd Bruno Tullenſis ordinatur Epiſcopus, & de miraculo pomorum.

CAPVT XVIII.

ANno igitur Domini MXXVI. obijt Hermannus Tullenſis Epiſcopus, cui ſupradictus *Bruno* filius Comitis de Daſporch, qui poſteà *Leo* Papa effectus eſt, in Epiſcopatu ſucceſſit. Eodem anno, mirum dictu! in pomis & piris nuclei effigies hominum pro quantitate ſui habentes inueniebantur: ſed quid hoc portendebat non inueni. Eodem tempore *Simeon* quidam de tranſmarinis partibus de monte Sinaï veniens Treueris, in porta nigra dicta, ab Archiepiſcopo *Popone* eiuſdem ciuitatis includitur, poſtea miris claruit miraculis. Anno quippe Domini MXLIV. *Humbertus* Abbas Mediani-Monaſterij, vir clari ingenij, Laudes, quæ reſponſoria dicuntur, Sanctorum Cyriaci Martyris, Columbani, Odiliæ virginis, Gregorij Papæ, Hydulphi, Deodati Epiſcoporum, rhytmicè ac metricè componens Brunoni Epiſcopo ſupradicto Tullenſi tradidit decantanda. Inde quinque annis elapſis apud Maguntiam Conuentus Epiſcoporum ac Procerum, & aliorum plurimorum cum Imperatore * Frederico habitus, Bruno Tullenſis Epiſcopus Papa communi conſilio omnium eligitur, ac Romæ proficiſcens per partes iſtas tranſeundo, Oratorium S. Ioannis Baptiſtæ ad portam Mediani-Monaſterij conſecrauit x. Non. April. Humbertum quoque Mediani-Monaſterj Abbatem ſecum ducens, Archiepiſcopum Siciliæ ordinauit, deinde Romæ Cardinalem ad vices ſuas ſupplendas ſecum morari præcepit.

Henrico, *qui Niger eſt vocitatus.*

Milleſimo quinquageſimo anno Dominus *Leo* Papa ad partes iſtas rediens S. Arnulphi Eccleſiam Metis dedicauit. Secundo anno item Gallias repetens oſſa B. Gerardi Tullenſis Epiſcopi de tumba leuauit.

De Ædificatione

Digitized by Google

De Ædificatione Eccleſiæ Longimaris.

CAPVT XIX.

ANno Domini MLVI. Quidam *Bilonus* Girardi Ducis ſeruus in ſaltu Voſagi qui Longummare dicitur, locum & Capellam in honore B. Bartolomæi primus ædificauit.

De Ædificatione Domus Maris prope Senonias.

CAPVT XX.

TEmpore *Bercheri* venerabilis huius loci Abbatis, fuit quidam *Regnerus* qui locum in vaſta eremi ſolitudine poſitum adiens, Eccleſiam ibidem ædificauit. Qui locus vſque hodie Mare dicitur. Quam videlicet Eccleſiam memorabilis Epiſcopus Tullenſis *Pibo* induſtriâ ipſius Regneri Nonas Maij in honore Sanctæ Trinitatis conſecrauit. Vbi multi ea die Sanctæ Trinitatis, id eſt in octauis Pentecoſtes, ob feſti gratiam conuenire ſolebant. Alij verò atque alij ipſum locum inhabitantes, quia habilis ad ſeruiendum Deo habetur, meliorauerunt. Locus enim ille Monaſterio Senonienſi ſemper ſubditus extitit.

De Stephano Epiſcopo Metenſe, & Antonio Abbate Senonienſi.

CAPVT XXI.

POſt hoc autem *Rambertus* Abbas huius loci Senonienſis aliquanto ſuperuiuens tempore, cùm fœliciter Eccleſiam ſuóſque rexiſſet, migrauit ad Dominum. Cui vir venerandus *Bercherus* ſucceſſit. Qui veſtigia ſui deceſſoris regulariter imitando ſequutus, cuncta ſibi commiſſa laudabiliter conſeruauit, alia verò ſagaciter augmentauit: Qui etiam fœlici vitæ curſu peracto, cœlo ſpiritum reddidit. Defuncto igitur

Berchero Abbate ciuitas Metensis dicitur eodem tempore Præsule caruisse. Et quia Abbas huius loci ab Episcopo Metensi temporalia recipere tenetur; deficiente Episcopo hæc Ecclesia etiam Pastore ferè per triennium caruit. Electo siquidem Episcopo *Stephano* in sede Metensi, Fratres huius loci ipsũ Episcopum, vt eis de Abbate prouideret, postularunt. Qui consideratis circunstantijs necessitati eorum volens cõsulere, Episcopus accersito ad se Priore Cellæ-Laci Antonio, ipsum ad regimen huius nostri loci vocare maturauit. Sed quia hic, de quo agimus, Antonius laudabilibus se artibus, vt posteà aliqua referemus, mirabiliter decorauit, quomodo ad nos peruenerit breuiter & succinctè edisseram. Hic itaque Antonius de Ticino, quæ Papia dicitur, in territorio Longobardiæ sita, oriundus fuit. Qui se tantò plus honestis decorauit moribus, quantò nobilioribus ortus erat parentibus. Agens adhuc annos iuueniles relictis parentibus rebúsque paternis, ad istas deuenit partes. Ciuitatem quoque Metensem adiens Claustro B. Arnulphi, quod tunc famosissimum habebatur, se familiarem præbuit. Cùmque Abbas & Fratres dicti loci eius viderent modestiam, ipsum in Fratrem receperunt & Monachum: deinde Cellæ supradictæ Laci, quæ eorum erat iurisdictionis, præfecerunt. Qui Cellam ipsam, quia vetustate ruinas minabatur, solo prosternens, de nouo & ampliorem reædificauit: redditus quoq; ita ampliauit, vt in introitu vix duo suo vel tres, modo deni vel duodeni ibi valeant sustentari. Antonio verò ipsam cellam ita regente ab Episcopo Metensi huic loco, licet inuitus, Rector destinatur. Non multo post tempore quæcunque in loco isto erant à priscis temporibus constructa, Monasterium, Claustrum, Refectorium, Dormitorium, cæteráque officinas intus & extrà ad terram projecit, & omnia honorabiliùs reædificauit. Sumptus Ecclesiæ augmentauit, Cellas quæ ante non erant huic loco acquisiuit; Cellam iuxta castrum Danubrij adiutorio & deuotione Reuerendissimi Stephani Episcopi Metensis constructuit. Episcopus verò ei contulit ad sustentationem Fratrum ibidem Deo seruientium piscationem in aquis suis ad libitum ipsorum, id est, quòd Fratres, suos proprios piscatores in aquis Episcopi habeant, & quando & quomodò voluerint in pascuis, in nemori-

Digitized by Google

bus ſimiliter ad ignem & ædificia ad vſus ſuos pro voluntate vſuarium habeant. Locus enim vbi Cella illa conſtructa eſt, & quædam prata, agri etiam ab Epiſcopo Stephano, ſi ut in Priuilegijs ipſius Prioratus continetur, collata fuerunt. Cuius Cellæ Eccleſia poſtmodùm à quodam Cardinali, *Trevvino* nomine, in honore S. Protomartyris Stephani fuit dedicata. Cella vero Leonis-montis ſagacitate ipſius Antonij huic loco fuit attributa, & ab ipſo oblatione & ſubuentione fidelium redditibus & beneficijs ſatis aptè extitit ampliata. Prioratus verò de Suris, quem Venerabilis Matrona *Cunegundis* huic loco cum ſuis redditibus, pratis, terris, nemoribus, & alijs bonis pro animæ ſuæ remedio contulit, induſtriâ Antonij eiuſdem Abbatis actum perhibetur. Cella quoque S. Chriſtophori in cliuo collis ante portam vici ſitam, per quoſdam nobiles viros, qui ſuas poſſeſſiones huic loco pro animabus ſuis contulerunt, tempore ſuo conſtruxit, & redditibus plurimis ditauit. Cellam quoque de Lorchinge cum appendicijs ſuis, & Eccleſiam in eadem villa munere perpetuo acquiſiuit. Alia quoque multa, theſauros Eccleſiæ, ornamenta altariorum huic loco Senonienſi laudabili ſolertia adunauit. Quid plura? Triginta & octo annis Monaſterium iſtud fœliciter gubernauit, in quibus nec ſolum præterijt annum in quo non ædificaret vel aliud aliquod ad augmentum Eccleſiæ acquireret. Decurſo itaque fœlicis vitæ ſtadio, migrauit ad Dominum anno Domini MCXXXVI. Sepultúſque eſt in medio Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ante altare Sanctæ Crucis, in tumulo lapideo, ſuper quo lapis columnulis lapideis ſuſtentatur, in quo ego poſteà imaginem propria manu ſculpſi, quaſi Abbatis jacentis cum baculo paſtorali in manu tenentis. Poſt hunc ſucceſſit *Galterus*. Sed quia nihil de ipſo legi vel audiui, nihil ſcribere ſum conatus, niſi tantummodò quòd viceſimus octauus huius loci Abbas fuerit ordinatus.

De Tranſlatione S. Nicolai de Myrrhea ad Barrum Apuliæ.

CAPVT XXII.

ANno igitur quo intrauit ad nos reminiſcendus ipſe noſter Antonius, contigit quoſdam negotiatores à Barro ciuitate Apuliæ ad Græciam quæſtûs causâ aduenisſe, Antiochiã cum nauibus oneratis frumento& alijs mercimonijs deuenire volentes. Tandem ad Myrrheam, in qua corpus Beatiſſimi Confeſſoris Nicolai ſeptingentis ſeptuaginta quinque annis ſepultum delituerat, deuenerunt. Qui inito inter ſe conſilio, quia ciuitas Myrrhenſis à Sarracenis vaſtata paucis incolebatur colonis, crediderunt ſacras illas reliquias ſe leuiùs pro paucitate habitantium adepturos: quod & ita factum eſt. Intrantes itaque Eccleſiam, ſacrum illud B. Nicolai corpus à cuſtodibus Eccleſiæ cum magno labore & aſtutia ſibi ſub pauimento demonſtratum cum gaudio magno per mare nauigantes, ad Barrum ciuitatem ſuam deportauerunt, vbi per merita ipſius Sancti tanta oſtenduntur miracula, vt nunquam ab aliquo ſcripto poſſent commendari.

De Articulo digiti S. Nicolai ad Portum deportato.

CAPVT XXIII.

EOdem quoque ferè tempore quidam miles de iſtis partibus ortus, tranſlatione S. Nicolai audita ad ciuitatem Barri, ad quam tranſlatus erat, deuenit: ibíque vota ſoluens, adhuc amore Sancti ductus laborauit, vt articulum digiti ſecum ad partes iſtas apportaret; quem ad locum qui Portus dicitur, repoſuit; erat enim Villula admodùm parua, quæ nunc ad inſtar magni Oppidi per merita B. Nicolai iam aucta cernitur. Vbi idem Sanctus tantis claret miraculis, vt captiuorum, febricitantium, aliarum infirmitatum laborantium frequentatione adeò repleatur, vt ſi quis bojarum &

Digitized by Google

cathenarum velit conſiderare in ea pondus innumerabile, miraculis Sancti potiùs fidem dare poterit, quàm narrationi. Frequentatur itaque in eadem villa ſanctus ac diligendus Nicolaus à Burgundionibus, à Francis, ab Alemannis, & ab vniuerſis circunquaque regionibus conſtitutis, & omni gente munera apportante. Et quia omnipotens Deus hanc noſtram regionem tanto adiutore ditare dignatus eſt, ipſum velocem ſubuentorem, vt noſtri apud Deum memor eſſe dignetur, exoremus.

De conſtructione Cellæ Bellæ-vallis à Gerardo Lotharingiæ.

CAPVT XXIV.

EOdem tempore Dux Lotaringiæ *Matherus*, & frater eius *Gerardus* terras ſuas inter ſe diuidentes, Comitatus Vadanimontis Girardo in ſortem deuenit. * Qui non longè pòſt Cellam Bellæuallis in territorio Caſtrenſi ſitam ſatis compendiosè extruens, prædijs & alijs poſſeſſionibus augens, Mediano-Monaſterio poſſidendam ſubmiſit: vbi poſtea ſe delegit ſepeliri, & duas Eccleſias Muri villæ, & Puris Cellæ Bellævallis pro animæ ſuæ remedio liberaliter contulit: quod & adhuc permanet. Eodémque ferè tempore Eccleſia Calmoſiaci à quibuſdam viris fidelibus incoacta fieri cœpit, quæ poſtea bonis multis augmentata, & in honore perpetuæ Virginis *Mariæ* dedicata, à Canonicis Ordinis S. Auguſtini dignanter incolitur.

* Theodoricus.

De conſtructione Caſtri, quod Altapetra dicitur, iuxta Medianum Monaſterium.

CAPVT XXV.

ANno Domini MCXCIII. *Albertus* Miles, dictus primò de Parreia, Caſtrum in rupe, quæ Altapetra dicitur, erexit. Et anno MCCX. à *Matthæo* Duce Lotharingiæ ob-

Digitized by Google

sessum, ab octauis Pentecostes vsque ad natiuitatem *B. Mariæ*, tandem captum & dirutum est.

De interfectione Ciuium Metensium à Comite Barrensi.
CAPVT XXVI.

ANno Domini MCVIII. interficiuntur ciues Metenses ab exercitu *Regnaldi* Comitis Barrensis apud Tyreium tempore *Stephani* Episcopi eiusdem ciuitatis. Sequenti anno dedicata est Ecclesia *B. Mariæ* hoc in loco sub Abbate *Humberto* Senonensi, cui successit *Bernardus* Abbas anno Domini MCLX. Huius Bernardi tempore Senonensis Ecclesia quemdam Prioratum in Burgundiæ partibus, in Diœcesi Bisuntinensi possidebat, quem à priscis temporibus acquisierat, qui dicebatur Sales, & alio nomine Mansus S. Benedicti. Tempore huius Bernardi, vt dicitur, venundatus est, nescio pro quanto tempore, vel quare. Et quia de illo nihil reperi, nihil dicere volui. Idem verò Bernardus Abbas cùm Ecclesiam Senonensem rexisset IX annis, migrauit à sæculo. Cui *Gerardus* successit anno Domini MCLXVIIII. Hic de Valle S. Deodati fuit oriundus, de militari quidem genere, sed S Arnulphi Metensis Monachus: ibique sumptus, quia bonæ conuersationis & moribus honestis habebatur, huic loco præficitur. Qui secundùm tempus bene rexisset, nisi parentibus suis Ecclesiam hanc nimis oneraſſet. Parentes nempe sui res Ecclesiæ minùs prouidè dispergebant: vnde Monasterium vltra modum lædebatur, nec Abbas ipsos à sua vita pessima auertere quibat, vnde contigit eos captiuari. Quod cùm vidisset Abbas, tanto pro parentibus est dolore percussus, vt postquam vno & triginta annis hanc rexit Ecclesiam, dignitatem resignauit: & loco cedens, ad Cellam Leonis-montis se transtulit: ibique paucis superuiuens annis diem clausit extremum, ibique fertur esse tumulatus. Cui *Theodoricus* successit, vir simplex & honestæ vitæ: qui tamen Abbas fuit benedictus, & à Pascha vsque festum S. Simeonis sedit, & resignauit; & in cella S. Christophori penes vicum commoratus, ibidem vitam finiuit, ibique sepultus est.

Digitized by Google

LIBER III.

DE ELECTIONE MAHERI Præpoſiti S. Deodati ad Epiſcopatum Tullenſem. Et de depoſitione eius.

CAPVT I.

IN illis diebus erat vir *Maherus* nomine, Imperiali & Ducum proſapia procreatus, vir ſatis in principio ſui modeſtus, elegantis formæ, & beneplacens, Eccleſiæ S. Deodati Præpoſitus. Epiſcopo igitur Tullenſi defuncto idem vir Maherus Epiſcopatus Tullenſis cathedram ſuſcepit. Cuius regiminis tempore *Cono* quidam de Danubrio Sacerdos, quia ditiſſimus eſſe credebatur (vacillabat enim Eccleſia hæc inopiâ) propter ſua tantùm carus ad hanc regendam domum Paſtor futurus à Fratribus eligitur, Regulæ B. Benedicti ignarus, totus ſecularis moribus & actu: in quo nulla erat ordinis fiducia, ſed credebatur huic loco diuitijs ſuis poſſe ſubuenire. Sed quia erat totus mundanis rebus implicitus, regularibus diſciplinis ſe mininè conformare valebat. Accipitres ſuos, ſicut priùs, in Clauſtro, in choro, non cucullatus portabat: alumnis & familiæ, provt ſolebat, prouidebat. Attamen, provt credebatur, huic loco nihil profuit. Nec mirum, quomodo ſciret præeſſe, qui nunquam nouit? Quis docere poteſt quod non didicit? Quî Magiſter erit, qui nunquam diſcipulus extitit? Ita præcipitantur ab inſenſatis honores. Quid plura? Quinque annis talis Abbas hanc rexit Eccleſiam. Interea cum hæc ita ſe haberent, Epiſcopus *Maherus*, de quo ſuperiùs mentionem fecimus, à Canonicis ſuis Tullenſibus trahitur ad iudicium, vocatur ad Iudices, accuſatur, de Epiſcopatus dilapidatione arguitur, nec tamen cauſa per Iudices valet terminari. Ad Papam, qui tum *Innocentius* ter-

tius erat, appellatur. Archidiaconus quidam, *Fridericus* nomine cum alijs Papæ se præsentat. Episcopus verò iter arripiens venit Sutrium ad xxx. prope Romam milliaria. Aduersarij instant, quia dies appellationis transierat. Papa differt, quia parcere volebat: asserebat enim eum se scire venientem. Episcopus verò de salute sua desperans, retrogrado se committens itineri, ad partes istas infœlix reuersus est. Aduersarij verò eius Papam vrgentes, cùm Papa eum audisset repatriasse, contra eum, licet inuitus, tulit sententiam. Episcopus verò sciens contra se datam esse sententiam, bannum Bodonis Monasterij Duci Lotharingiæ *Frederico* fratri suo titulo pignoris se obligare simulauit: terra verò illa Bodonis Monasterij iure hæreditario ad Episcopatum Tullensem pertinere dinoscitur. Fridericus igitur Dux vt vidit quia non sine peccato ipsam posset retinere terram, illam cuidam Abbati Altæsyluæ Cisterciensis Ordinis, qui eidem Duci satis familiaris erat, eodem iure, quo ipse eam possidebat, habendam tradidit. Cùm ergo Abbas ille terram aliquanto tempore tenuisset, timuit ne propter hoc ab Episcopo Tullensi molestaretur, ipsam possessionem cuidam Balliuo Comitis *Henrici* de Salmis, qui *Matheus* de Blammont dicebatur, nescio quo pacto habendam contulit. Et ita ille eam possedit vsque ad *Fridericum* filium dicti Henrici Comitis de Salmis totum bannum de Bonmonstier, ita enim vulgo appellatur, de quo nos loco suo loquemur postea. Amoto igitur Mahero ab amministratione Tullensi, *Regnaldus* successit, filius Pincernæ Regis Franciæ qui dicebatur de Sanlize, nobilis vir benéque morigeratus. Maherus quoque ad Præposituram suam ad S. Deodatum est reuersus.

De eodem Mahero Præposito, & filia eius, & vita eorum.

CAPVT II.

ITa verò *Maherus* Præpositus ædificauit domum inter duo Monasteria de lapidibus turris S. Deodati quæ lapsa erat. Habebat enim filiam iuuenem & satis formosam, quam de quadam Sanctimoniali Spinalensi genuerat, ipsam in domo, inmensa

Digitized by Google

in menſa, & vt dicebatur, in lecto aſſiduè habebat: de qua etiam filios dicitur procreaſſe. Cúmque *Fridericus* Dux frater eius audiſſet fratrem ſuum talem ducere vitam, venit ad eum, & dixit ei: Quare ita impudenter ſeipſum & totam ſuam progeniem ita cum ſua filia dehoneſtaret. At ille dixit non eſſe filiam ſuam. Dux reſpondit: Nunquid matrem cognouiſtis? & tam enormiter cum matre & filia vultis rem habere? Ille verò confuſus nihil reſpondit. Dux verò iratus accepit eam, & miſit eam in compedibus in Caſtro Berneſtim in Alſatia, quod filius eius *Theobaldus* habere dicebatur, quia mortuo Comite de Daſporch idem Dux filiam eius filio ſuo acceperat in vxorem, vt ei idem Comitatus cum vxore proueniret, quod & ita contigit. Maherus verò Præpoſitus S. Deodati antea anno Domini MCCIII. tempore *Simonis* Ducis patrui ſui Caſtrũ erexerat in quadã rupe penes montẽ, qui Clarus-mons dicitur, in valle S. Deodati, pro quo tota vallis illa ferè deſtructa & malè tractata fuerat. Sed non diu durauit, quia conſilio Friderici poſteà Ducis Lotharingiæ, & etiam patris ipſorum *Friderici* de Vites, & aliorum prudentium virorum diſruptum fuit: & ita pace ordinata quiſque reuerſus eſt ad propria. Præpoſitus verò Maherus, quia Dux Simon tempore guerræ domum, de qua ſupra diximus, funditus euerterat, & meritò, quia de lapidibus Monaſterij extitit facta, & in atrio Eccleſiæ in ipſa domo multa inutilia acta ſunt, quia certum non habebat receptaculum, per montes & nemora cum canibus venatoribus quotidie diſcurrebat, & præcipuè in Claromonte, vbi eum antea diximus caſtrum erexiſſe. Habetur enim in ſummitate illius montis Eccleſia in nomine B. Mariæ Magdalenæ conſtructa, cum ſuis officinulis, ſolitarijs apta. Ibi idem Præpoſitus Maherus conuerſabatur plurimùm.

De interfectione Renaldi Tullenſis Epiſcopi ab eodem Mahero.

CAPVT III.

COntigit igitur non multo tempore pòſt *Renaldum* Epiſcopum Tullenſem, de quo ſuperiùs dixi, ad partes

Digitized by Google

iſtas causâ viſitationis deueniſſe. In feſto quippe S. Paſchæ ad Monaſterium S. Saluatoris in Voſago ad feſtum ibi celebrandum peruenit. Cúmque illa die ibidem feſtiuitatem peregiſſet, ad Clauſtrum hoc Senonienſe deuenit. Comitabantur verò honeſti Clerici & viri religioſi, de quorum ſocietate gaudebat, cum eo. Eadem quippe nocte ſequente Paſchæ diem, quidam ſpiculatores miſſi aduenerunt, quorum vnus Clericus erat, alter verò laïcus. Clericus poſteà ſacerdos effectus eſt & ipſe diues. Hi duo à Mahero Præpoſito miſſi ſunt, vt Epiſcopo inſidiarentur. Hi ea nocte qua Epiſcopus apud Senonias pernoctauit, in camera Abbatis comederunt, & mane ſine licentia receſſerunt. Epiſcopus verò Tullenſis Renaldus ſequenti feriâ ſecundâ, Miſsâ cantatâ, facto prandio cum ſuis, ad Medianum-Monaſterium peruenit, & ibi modicum demoratus, per Stiuagium tranſiens ad Clauſtrum Alterīacenſe properabat. Ibi enim ipſa nocte pernoctare volebat: cúmque quamdam villulam, quæ Berguncia dicitur, pertranſiſſet, venit ad quemdam locum arctum, vbi ex vna parte viæ mons cum nemore denſo habetur; ita vt vix quiſpiam per montem illum eques tranſire valeat: ex altera verò parte viæ palus profunda cernitur cum arboribus. Idem Præpoſitus cum ſuis frutices & cæteras arbores in ipſo loco ex vtraque parte viæ obruerat ad ſpatium occupandum, ne quis extra viam eques vel pedes tranſire valeret: via enim tam arcta eſt, vt vix currus per eam duci poſſit. Circa illam quippe viam idem Præpoſitus S. Deodati inſidias parauerat. Cúmque Epiſcopus Renaldus ad locū illum cum ſuis peruenīſſet, illi de inſidijs ſalierunt: Abbatem S. Manſueti Stephanum virum honeſtum de equo projecerunt, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis in via dimiſſo, ſimiliter alios ſpoliauerunt; & quibuſdam vulneratis venerunt ad Epiſcopum ipſum; etiam deſpoliauerunt, & inhoneſtè tractauerunt eum. Tandem vnus eorum Ioannes nomine iuuenis, ſeruus filiæ Præpoſiti Maheri (ipſa enim, vt fertur, illi ſeruo præceperat, vt ſi ad Epiſcopum veniret, quomodo ipſe cum eo ageret, vt gratiam ſuam retineret, viriliter laboraret) quod & fecit; Arrepto quidem cultello, quem penes ſe habebat, Epiſcopum

ter in tribus locis cultro perfodit, in pectore, & bis à tergo, & mortuum ſecus viam dimiſit. Ita eum & omnes quotquot de comitatu ſuo habere potuerunt, ſpoliauerunt, & ipſum nudum, quod nefas eſt dictu, in palude iuxta viam & mortuum reliquerunt. Et ita perpetrato illo nefario facto recedentes domino ſuo Præpoſito in equo baliſtam in manu tenenti obuiauerunt. Qui inquirens quid fecerant, duxerunt eum ad locum vbi Epiſcopus mortuus & nudus jacebat: qui cùm illuc deueniſſet, aliquandiu Epiſcopum intuitus eſt, vt videret ſi quoquomodo adhuc in ipſo vitalis calor haberetur: videns ergo quòd non moueretur, verſis retrò habenis cum ſuis ſatellitibus abijt in montana. Fuerunt enim cum eo quidam Clerici, ex quibus vnus Sacerdos erat nomine Terricus de S. Deodato, & plures alij. Sed vt vindicta Dei pro hoc enormi commiſſo in ipſis perpetratoribus cœlitùs illata non tegatur ſilentio, finem quorumdam ipſorum, pro vt potero, aperiam.

Sacerdos verò ille Terricus, de quo ſuperiùs mentionem feci, videns quod factum fuerat, & loco remanere formidans, ſeceſſit ad partes Polaniæ, & domino terræ ſe inferens, dixit ſe eſſe cognatum ſuum: mater quippe Præpoſiti dicti Maheri, filia domini terræ Polaniæ extiterat. Cúmque dominus Polaniæ audiſſet illum eſſe ſuum cognatum, libenter eum retinuit. Ille verò Terricus ſacerdos dixit ſe eſſo militem: erat enim homo ſatis formoſus, validum habens corpus & membra; ita vt perſonæ elegantia fidem eius daret militiæ. Ipſe vero Terricus talem in militia ſe exhibuit, vt dominus Polaniæ quamdam nobilem mulierem illius terræ ei in matrimonium iungeret. Ille verò cum eadem muliere pauco viuens tempore, in prælio interfectus occubuit. Et ita ille militiâ Dei ſpretâ, terrenæ ſe iungens, miſerabili fine vitam finiuit. Alter verò Cono Clericus, quem inſidiatorem Epiſcopi ſupra notauimus, poſtea à quibuſdam crimine notatus, Monachum ſe vouit futurum. Sed facta dictis non compenſans, ſeculo potiùs viuere maluit quàm Deo. Talis itaque ad ſacros ordines aſtutiâ propriâ promotus, tandem Preſbyter factus eſt, deinde Senator, id eſt Decanus Chriſtianitatis Vallis S. Deodati effectus, ditiſſimus, & plenus

omnium bonorum terrenorum fuit. Cùm igitur diu putaret in tali fœlicitate viuere, ſubitò quadam nocte cùm ſe cubitum dediſſet, ſpiritum reddidit, & ea quæ præparauerat, neſcientibus ſe reliquit; & in hoc vindicta Dei apparuit. Alter igitur laïcus, qui Epiſcopum interfecit, Ioannes à ſpiritu immundo correptus; & diu miſerabiliter vexatus, ſeipſum morſibus lanians, tandem miſerum efflauit ſpiritum; & ita iſti tres mala morte multati ſunt, quia noluerunt pœnitere, vitam æternam perdiderunt. Alij quippe, qui in malitia ſua gloriabantur, vel paupertate anguſtiati, vel infirmitatibus, vel infortunijs temporalibus attriti, delictorum ſuorum pœnas exſoluerunt. Alij quoque qui ſanioris conſilij extiterunt, Romam adierunt, à Domino Papa tunc Innocentio tertio abſoluti, pœnitentes euaſerunt; quod ſi ita non pœnituiſſent, credo quòd illorum ſequuti fuiſſent veſtigia. Nunc igitur ad ſæpè memoratum Maherum Præpoſitum S. Deodati reuertamur.

Quòd idem Maherus apud Caſtrum quod Bileſtein dicitur aliquo tempore habitauit: Et de morte eius.

CAPVT IV.

Dictus quidem Præpoſitus Maherus perpetrato tali, ſicut dictum eſt, ſcelere, non ſe loco credens abijt ad Caſtrum quod Bileſtein in Alburijs appellatur, quod eſt domini de Horborg. Ibi enim habebat milites qui ei familiares erant, cum quibus ad tempus habitauit. Detulit enim quicquid Epiſcopo abſtulerat, ſaumarios, ſcrinia in quibus Epiſcopalia, oleum ſacrum, chriſma, & ſandalia ferebantur, & in eodem Caſtro repoſuit, quæ ego proprijs oculis vidi. Sequenti igitur Pentecoſte idem Maherus audiens quod nepos ſuus Theobaldus Dux Lotharingiæ apud S. Deodatum ſolemnitatem ipſam cum magno militum comitatu celebrare decreuiſſet, aduenit, non tamen in palam, non enim ſe illis credebat: Audierat enim quòd parentes dicti Epiſcopi Renaldi dicebant ipſum Epiſcopum de conſenſu Ducis

Digitized by Google

fore interemptum: vnde Dux valde dolebat. Et propter hoc Maherus Præpoſitus ante nepotem ſuum venire non audebat. Et quia aliàs in valle nullum ſecurum habebat reclinatorium, ad Clarum-montem vbi & eſſe ſolebat, aſcendit, ibíque qualecunque feſtum cum paucis celebrauit. Pauco dico, quia pro eius infortunio iam eum omnes aſpernabantur: Eadem quippe die Pentecoſtes clanculò ad S. Deodatum veniens, quibuſque fidelibus ſuis apparens, ab eis inquiſiuit vtrum ſe cognato ſuo Duci Lotharingiæ præſentare ad veniam petendam auderet: audiuit quòd non. Et quia ei dictum eſt, mors Epiſcopi ab amicis ſuis improperabatur, ipſe Dux animam eius quæreret. Ille verò hæc audiens, inde recedens aſcendit in montem vbi commorari ſolitus erat; Dux verò Theobaldus pro ſolemnitate Pentecoſtes apud S. Deodatum peracta, feriâ tertiâ Pentecoſtes inde diſcedens, aſſumpto ſecum quodam nobili *Simone* milite de Iunuille, equos aſcenderunt, & per Bellummontem ad Villam *Norpateglize* dictam venire volentes, in quodam ibi fluente riuulo venientes; & ecce Præpoſitus Maherus apparuit eis, veniens obuiam eis. Quem cùm Dux Theobaldus vidiſſet ira accenſus. dixit illi militi qui cum eo equitabat: Si me, inquit, diligis, perfode iſtum lanceâ quam tenes. Abſit, ait, à me, quòd vnquam talem ac tantum virum interficiam. Quo audito Dux acceptâ lanceâ de manu militis Præpoſitum petjit. Ille verò cùm videret cognatum ſuum ad ſe iratum venire, flexo genu miſericordiam deprecabatur. Dux verò nihil horum animo concipiens, demiſsâ lanceâ ipſum Præpoſitum ſuum patruum per pectus tranſuerberatum interfecit, quo facto inde receſſit. Quidam verò ſuperuenientes, ipſum in riuulo jacentem repererunt mortuum, & eum inde tollentes ad S. Deodatum detulerunt. Et quia talem meruit habere exitũ, nec ei ſepulturæ humanitas fuit iudicata; ſed ad locum quem viuens frequentauerat delatus, ſcilicet Clarum-montem, ſub tecto Eccleſiæ B. Mariæ Magdalenæ exterius in quodam vaſe ligneo appenſus aliquanto tempore permanſit. Tandem, vt fertur, in quadam foſſa, vbi feræ ſyluarum præcipitatæ capi ſolebant, ipſe Præpoſitus lignis & lapidibus tectus talem meruit ſepulturam. Et

ita Episcopus quem interfecerat, ad locum suæ conuersationis, id est ad Tullensem Ecclesiam delatus, honorificè est sepultus. Interfector verò eiusdem Episcopi, ad eum quem incoluerat locum, vt supra dictum est, deportatus, etiam catholica caruit sepultura. Filia verò eius Aledis, de qua prædiximus, tandem cuidam balistario de Gilberti-villa in matrimonium iuncta, cum viro suo Alemanniam petijt, & apud Castrum quoddam Imperatoris Croneberch nomine pauco tempore manens tandem mortua, vix sepulturam Ecclesiasticam habere meruit. Et ita pater eius Maherus & ipsa filia, & mortis Episcopi cooperatores, sui laboris meritum Dei iudicio receperunt.

De Philippo Rege Franciæ, & prudentia eius in iudicando.

CAPVT V.

CIrca tempus verò illud præfuit Rex magnificus in Regno Franciæ *Philippus* nomine, qui præ consortibus suis ad iudicia discernenda, vt de Salomone legitur, valdè discretus erat. Et quia eius actus multis scientibus valere credo; pauca de multis, quæ à veridicis relatoribus didici, breuiter annotare curabo. Fuit igitur sub eodem Rege quidam Balliuus valdè locuples & astutus, qui quemdam militem vicinum domui suæ habebat, cuius domui vinea iuncta erat, quæ dicto militi valdè cara habebatur. Balliuus verò idem vineam ipsam, quia eius domui erat contigua, vltra modum concupierat, & ipsum militem vt ei ipsam vineam venderet, pluries conuenerat, nec impetrare potuerat. Rogabat enim idem multo precatu Balliuus militem, & coram conciuibus suis, vt quantum pretij pro ipsa vinea vellet, acciperet. Ille è contra affirmabat constanter se nunquam pro aliquo precio vxorem & filios exhæreditare posse. Balliuus verò, quâ poterat intentione vt ipsam vineam habere posset, machinabatur. Accidit igitur vt miles ille moreretur, & in cœmeterio ritè sepeliretur. Audiens

igitur ille Balliuus, quia miles ille defunctus eſſet, quoddam mirabile dictu pro vinea illa habenda excogitauit. Petijt quippe forum ciuitatis, vbi ſciebat diuerſarum gentium mangones aduentare. Conſiderans enim huc & illuc, tandem vidit duos viros robuſtos vagos, & valdè corpulentos, qui ſi veſtiti fuiſſent (erant enim ferè nu!i) ſatis honeſti viderentur eſſe. Quos Balliuus accerſitos duxit eos in domum ſuam, & ita eis loquitur: O viri, ſi conſilijs meis acquieſcere velletis, ego de meo vobis tantum darem, quòd bene paupertatem veſtram releuare poſſetis: Videmini enim ſatis honeſti & corpore & moribus. Illi verò audientes quod deſiderabat, promiſerunt ſe omnia facturos pro illius voluntate. Balliuus verò nocte ſequenti aſſumptis ſecum illis duobus viris, datis veſtibus ſatis honeſtis, calceamentis & pecunia, ad tumulum vbi miles ille ſepultus erat peruenit; & inſtrumentis quæ ſecum attulerant ſepulchrum aperiunt, & militem qui rigidus erat ſupra pedes ſuos erigentes, Balliuus quaſi viuus eſſet alloquitur: Ecce, ait, multo tempore pro vinea tua te rogaui vt mihi eam venderes, & adhuc coram iſtis viris, qui mecum ſunt, ſupplico vt mihi eam modo emptionis permittas habere. Cui ille nihil quia mortuus erat reſpondere poterat. Ad hæc vnus illorum duorum qui ſecum venerant, reſpondit: Nunquid ſæpiùs audiſti: qui tacet, laudat? Iſte bene creantare videtur mercatum. Da ergo palmam, quia certum nobis eſt quia non contradicit, immò ferrum * hoc permittit fieri. Bibamus ergo læti boueragium, (attulerant enim vinum ſecum) ad hoc mercatum confirmandum. Expleto igitur tam execrabili mercato, militem in foſſa repoſuerunt; & eum vt priùs erat, terrâ cooperuerunt. Et ita peracto tali ſcelere ad domum Balliui reuerſi ſunt. Mane autem facto Balliuus vocatis operarijs conduxit eos in vineam illam. Relicta verò militis, cuius erat eadem vinea, videns operarios Balliui in vineam ſuam venit vltra modum irata ad Balliuum; & ſcrutans quid hoc eſſet, audiuit à Balliuo vineam illam ſibi à viro ſuo milite venditam eſſe.

* forum

Illaverò hæc audiens valdè ingemuit, & quaſi fera agilis Regem Philippum adijt, & ei inquietationem Balliui,

quam pro vinea ſua patiebatur, gemens & ſuſpirans aperuit. Rex verò quia idem miles ſuus dùm viueret exſtiterat, ſciénſque ſe orphanorum & viduarum eſſe defenſorem conſtitutum, vocat Balliuum ad ſe. Ille verò veniens adduxit ſecum illos duos teſtes, qui ſecum ad mercatum illud vineæ factum, fuerant: ſe Regi cum ciuium ſuorum & aduocatorum pompa præſentauit. Vidua verò relicta militis, quia ſuum amiſerat Aduocatum, cum paucis, vt moris eſt pauperum, ſe etiam Regali præſentauit Curiæ. Rex verò Balliuum ſatis modeſtè alloquens inquiſiuit, quare mulieris vineam occupaſſet. Ille verò vt erat affabilis colloquio, dixit ſe vineam illam à milite viro illius mulieris ſub teſtimonio prudentum virorum legaliter emiſſe, aſſerens per teſtes idoneos ſe probaturum. Cui mulier reſpondit ſe nunquam venditionem illam vidiſſe, vel audiſſe. Rex verò audiens & Balliui reſponſum, & mulieris allegationem, inquiſiuit à Balliuo qui eſſent teſtes per quos iſta probare volebat. Ille obtulit illos duos viros qui ſecum facti conſcij erant. Quibus Rex ait: Nunquid vos eſtis qui huius rei teſtes eſtis? At illi ſe vidiſſe rei geſtæ ſeriem aſſeruerunt. Videns igitur Rex illos ſatis corpulentos & benè veſtitos, credidit eos viros iuſtos & approbatos eſſe. Conſiderauit enim Rex viduam illam contra Balliuum illum, qui cum magno comitatu & talibus teſtibus ad ſe venerat, cauſam ſuam non poſſe defenſare, ad iudicium confugit Danielis. Vocato quippe vno illorum duorum teſtium, ſeceſſit ſeorſum in angulo Palatij, ita vt ab omnibus audiri & videri potuiſſet. Alloquens verò illum teſtem quem ſecum tulerat, ait illi: Amice, tu videris eſſe ſapientior ſocio tuo, & propterea te priorem vocaui: Sed antequam te de alijs interrogem, dic mihi quod meliùs eſt, ſcis tu *Pater Noſter*? Ille verò admirans, ait: Non credo eſſe Chriſtianum qui Dominicam orationem ignoret: & ſi tu ſcis eam, dicas. At ille cœpit dicere: *Pater noſter qui es in cœlis.* Rex verò exaltans parùm vocem, vt hi qui in Palatio erant audire eum poſſent, dixit: Per lanceam S. Iacobi (ſic enim iurare conſueuerat) tu verum dicis. Et iterùm, ſcis de iſta oratione plus? Ille ait, ſcio. Rex ait: Die ergo totum. Ille proſecutus dixit: *Sanctificetur*

ctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum. Rurſus Rex alta voce dixit: Per lanceam S. Iacobi nunquam aliquis tam vera dixit. Illi verò qui in Palatio erant credebant Regem rei proceſſum inquirere: Ita & ſocius illius credebat. Iterum Rex interrogauit eum; Dicas totum quod ſcis. Ille autem totam orationem illam explicauit. Rex verò ait illi: Vade, quia veram veritatem mihi dixiſti, & non es mentitus, ſcias te meam gratiam obtinuiſſe. Et iuſſit illum in quadam camera includi. Et aduocato alio dixit: Frater, vide ne mihi mentiaris, quia ſocius tuus tam verum mihi dixit, ſicut *Pater noſter*. Ille verò hæc audiens credidit à ſuo ſocio Regi cuncta quæ acta fuerãt de milite mortuo retuliſſe: Et corde hæſitans nihil dicebat. Rex verò eum ſollicitans hortabatur vt ei veritatem puram diceret, ſicut ſocius eius dixerat, qui ei tam verum dixerat ſicut *Pater noſter*: & noli, ait, timere, quia ſi mihi ſimiliter verum dixeris, nullum malum patieris. Ille verò putans Regem factum non latere, dixit: Verè, Domine mi Rex ita ſe res habet ſicut ille meus ſocius dixit. Rex verò dixit: Scio quia ſocius tuus mihi vera retulit: vide & tu quòd non mentiaris, audiam ſi verba veſtra concordant. Ille verò Regi ita omnia de verbo ad verbum retulit, ſicut & acta fuerant, vt ſupra ſcriptum eſt. Rex verò vocans alium, qui ei *Pater noſter* dixerat, dixit ei: Tu interfuiſti vbi miles ille de ſepulchro leuatus fuit, & quomodò Balliuus cum eo mortuo egit, & quod vineam cum eo emit, & quod boueragium ibi bibitum fuit, & hoc facto eum repoſuiſtis in ſepulchro; & ita Balliuus habet vineam, & de his omnibus vos eſtis teſtes. Ille verò qui *Pater noſter* dixerat, cùm audiſſet quia Rex factum ita recitauerat, timens offenſam Regis incurrere, omnia ſicut Rex dixerat, aſſeruit.

Quod audiens Balliuus vltra modum admiratus eſt, quomodò vel qua ſagacitate Rex ab ipſis viris rei veritatem extorſerat, & obſtupuit. Rex verò ait illi: Nunquid tu, miſer, negotiorum meorum, & totius territorij Pariſienſis poſt me eras Balliuus, & tibi diuitias magnas & largiſſimas poſſeſſiones inde acquiſieras, vnde tibi neceſſe erat quia tantillum vineæ iſtius mulieris habere voluiſti? præſertim cùm tu ei

potiùs quæ nuper viduata viro ſuo erat, dare quàm auferre debuiſſes? Enimverò quia in tam enormi facto nec Deum timuiſti, nec hominem veritus es; ſufficiat tibi ſi vitam tibi donauero, cùm te potiùs ſupplicijs tradere, quàm parcere debuiſſem. Vade, & ſicut in præſentia mea ſtas, cum baculo tuo & vxore & filijs egredere de Regno Franciæ, nihil præter peccatum tuum portans, nec infra Regni mei fines in tota vitâ tua inueniri valeas: quia ſi inuentus fueris, tu patibulo appenſus dura morte & pudenda vitam miſerabiliter finies. Deinde illi nobili mulieri viduæ dixit: Vade, & aſſume tibi de militibus meis, vel ciuibus iſtius ciuitatis quos volueris, quibus præcipio vt te ad domum illius nefarij Balliui perducant; vt ſicut ipſe te tua vinea impiè ſpoliare conatus eſt, ita & dicti milites te in poſſeſſionem illius domus, & totius hæreditatis ſuæ, nec non & omnium rerum ſuarum auctoritate mea introducere procurent: ita vt ille miſer factorum ſuorum pœnas exſoluat, & tu de hoc beneficio à nobis tibi iudicialiter collato, dolorum tuorum & luctus tui conſolationem recipere merearis. Ita altiſſimus redditor Deus per famulum ſuum hunc Regem Franciæ Philippum diuerſa vtriſque intulit ſtipendia meritorum. Hæc de ipſo Rege ad preſens dicta ſufficiant, quia de reliquis actibus ſuis & obitu poſtea aliqua referemus. Et quia de fundatione huius noſtræ Senonienſis Eccleſiæ & ſucceſſione Abbatum noſtrorum, vel eorum operibus, narrationem nos continuare promiſimus, licet ab ipſa materia aliquantulùm digreſſi ſimus, tamen ad narrationis ſeriem redeamus.

De electione Henrici Abbatis huius loci Senonienſis.

CAPVT VI.

ANno Domini MCCII. *Henricus* huius loci Monachus ſuccedendo Cononi, vt prædiximus, de Clero aſſumpto ordinis & regulæ S. Benedicti ignaro ſubitò Abbate electo, & ab hac vita ſubſtracto, huic noſtro Monaſterio præficitur; qui in introitu ſuo multa aduerſa à Monachis huius loci paſſus eſt: ſed à Comite *Henrico* Albimontis aliquandiu ſe-

Digitized by Google

data, ſicut poſtea ſuò loco hæc, & alios actus eius, & alia quæ temporibus ſuis acta ſunt, huic paginæ annotare curabimus.

De Friderico Imperatore, & Alexandro Papa, quo tempore ſchiſma fuit.

CAPVT VII.

FVit ante illos dies quidam Imperator *Fridericus* nomine, Dux Sueuiæ, de cuius genere nemo antea Imperator extiterat. Fuit enim tempore *Alexandri* Papæ. Qui ita immoderate Eccleſiam impugnare cœpit, vt patrimonium B. Petri, vbicunque reperiſſet, ſibi vſurparet, & ſuæ ſubderet iuriſdictioni. Vnde & ab ipſo Alexandro Papa III. cum omnibus fautoribus ſuis excommunicatus eſt. Qui cùm videret ſe ab aliquibus propter ſententiam Papæ euitari, ad augmentum ſuæ malitiæ, quia ei omnes Principes, & ferè omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, & omnis reliquus Clerus applaudebant, ſibi Papam conſtituit, & ei apud Mediolanum ſedem ſtatuit; ita vt omnis Clerus & alij dicto Imperatori fauentes dicti falſi Papæ curiam frequentarent, & quidquid Papa Alexander ligabat, ille abſoluebat; quidquid ille excommunicabat, iſte ſoluebat: Archiepiſcopos, Epiſcopos, & vniuerſum Clerum ab honoribus & beneficijs, quando & quomodo volebat inſtituebat, & deſtituebat: & Imperator cum eodem miſero Papa dictum Papam Alexandrum tam immaniter oppreſſit, vt Romana ſede derelicta ad partes Franciæ exulare cogeretur. Rex verò Franciæ cum tota illa Occidentali Eccleſia, ipſum Papam cum tanta lætitia & exultatione ſuſcepit, vt ipſum in partibus ſuis, omnibus diebus, ſi liceret, remanere deſideraret. Archiepiſcopi verò, Epiſcopi, cæteríque Clerici iuriſdictionis dicti Imperatoris, ad nutum ſui Papæ non ad ſacros, ſed ſacrilegos ordines dicendos promouebantur. Cúmque idemputidus Papa tanto faſtu elatus ſe crederet longo tempore tantavti poteſtate, rumpuntur fila ſororum, dira febre corripitur, digna morte mulctatur, &

pro Pontificio ſacrilego tam paruo tempore habito Pontifex principis inferni Sathanæ efficitur, non vt poteſtatem aliquam ibi exerceat, ſed vt dignas meritorum ſuorum pœnas miſerorum miſerrimus ſine fine recipiat. Fertur enim idem Imperator Fridericus ad culmen ſuæ dementiæ duos alios poſt iſtum Papas creaſſe, qui ſimili infortunio ſicut & primus ſuperuiuentes paruo tempore ad tartara migrauerunt.

De pœnitentia dicti Friderici Imperatoris, & de concordia inter ipſum & Eccleſiam facta.

CAPVT VIII.

VIdens igitur Imperator *Fridericus* iudicium diuinum ſuæ poteſtati præiudicare, quia dictus *Alexander* Papa prouectæ ætatis, immò certè decrepitus adhuc ſupereſſet, & ſui Papæ nondum ſuos dimidiaſſent dies, immò iuuenes ad inferos deſcendiſſent, pœnitentiâ ductus ad vbera miſericordiſſimæ matris Eccleſiæ confugit, Papam Alexandrum quantocyùs ad ſedem Apoſtolicam reuocauit, indulgentiam poſtulat, certum ſe pœnitentem demonſtrat, de malefactis ſuis pœnitentiam ſibi iniungi deſirat; Papa verò à ſententia in ipſum lata miſericorditer abſoluit, & pro delictis ſuis viam ſancti ſepulcri iniungit, & ſtatim eum cruce ſignauit. Imperator verò Papam pro ſequacibus ſuis vt abſoluerentur implorauit; qui eos abſoluit, & qui ad hoc idonei erant cum Imperatore transfretare præcepit. Archiepiſcopi verò, Epiſcopi, Abbates, cæterique Clerici tempore ſchiſmatis ordinati, omnes officio ſuo caruerunt, nec de cætero promoueri potuerunt; excepto ſolo Notario ipſius Imperatoris, qui pro eo Papam deuotè rogauit, & ipſe gratiam habere meruit. Imperator denique exercitum magnum ſibi coaceruans, promiſſum iter adimplere cupiens, ad partes Siciliæ cum comitatu ſuo aduenies, vnâ dierum cùm quemdam pedes tranſire vellet, quem quilibet tranſuadere poterat, neſcio quo occulto iudicio Dei in fluuiolum lapſus aquis

Digitized by Google

ſuffocatus interijt. De ſacerdotibus & Clericis qui tempore illius ſchiſmatis ab officijs ſuſpenſi ſunt, nos tempore noſtro plures vidimus & cognouimus.

De Henrico filio dicti Friderici, & de morte eius immatura.

CAPVT IX.

Fridericus verò Imperator adhuc viuens *Henricum* filium ſuum in Regno ſublimauerat; qui ſatis aptè quoad vixit Imperatoria gubernacula gubernauit. Sed non diu ſuperviuens, dignitatem cum vita perdidit ſibi tamen paruulum filium in Apulia relinquens: quem, quia pater eius à Baronibus illius terræ exoſus extiterat, quidam Epiſcopus illius regionis furtim ſublatum in quodam domicilio ſuo occultè nutriuit, timens ne fortè ab incolis terræ inuentus ipſe puer occideretur.

De Philippo Rege fratre Henrici Imperatoris, & Othone Imperatore aduerſario eius.

CAPVT X.

Dictus verò *Henricus* quemdam habuit Fratrem Ducem Sueuiæ, nomine *Philippum*, quem Barones Alemanniæ in parte ſibi Regem conſtituerunt, alij verò Principes inferioris Alemanniæ quemdam nobilem virum *Ottonem* nomine de Brunſvvich, quia conſanguineus Regis Angliæ erat, in Regem ſublimauerunt: & ita inter duos Reges aliquandiu conflictus durauit.

De morte Philippi Regis Sueuiæ.

CAPVT XI.

COntigit igitur quemdam virum nobilem, qui Comes erat Palatij, qui dicebatur de Vvitelmſpach, *Philippum* adiiſſe Regem, rogans eum, vt ei filiam ſuam quam habebat elegantis formæ, daret in vxorem. Cui Rex quia adiutorio indigebat, filiam pollicitus eſt ei dare, ſed diſtulit. Ille verò importunè inſtabat, vt Rex promiſſa impleret. Accidit autem vt Rex Philippus ad ciuitatem Spirenſem veniret, & ibi causâ quietis cum *Conrado* eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, poſtcà Metenſi Pontifice facto, aulæ Cancellario Imperialis, ſibi ſanguinem minueret. Cúmque quadam die in camera quadam ad confabulandum ſoli reſiderent; ecce vir ille nobilis, qui filiam Regis poſtulauerat, ad oſtium cameræ pulſat, intromittitur, Regem ſic alloquitur: Quandiu, inquit, vxorem mihi promiſſam detinebitis? Rex ait: ſuſtine, ô mi amice, quouſque dies minutionis meæ expleti ſint, & promiſſa dabo. Ille autem vt erat animo furibundus, iratus reſponſis foras exiuit, & diu ſecum, animo decertans, ira dicuictas ad thalamum repedauit. Habebat enim, ſicut moris eſt Theutonicorum, gladium ſub axella, & intrans cameram dixit Regi: Vt video, diu ego promiſſa veſtra expectabo: hoc dicto, euaginato gladio eum percuſſit in capite, ita vt caput eius in duas partes diuideret vſque ad ſcapulas, quarum vna in gremio Epiſcopi cadens magnum ei horrorem incuſſit. Epiſcopus verò quamcitò ſurgens, quamdam intrauit cameram. Ille verò facinore tanto peracto, equum aſcendens ad ſua reuerſus eſt.

Quòd filia ipſius Regis Philippi Regi Hiſpaniæ fuit nupta: Et de acquiſitione ciuitatis & patriæ Cordubæ.

CAPVT I.

POſt non multum verò temporis ſpatium Nuncij Regis Hiſpaniæ poſtulauerunt Regis Philippi filiam Domino

zed by Google

ſuo dari in vxorem, quod & factum eſt. Rex verò Hiſpaniæ ex ipſa genuit filium. Idem verò Rex collecto exercitu ad regionem Cordubæ peruenit; quæ regio adhuc ritu detinebatur gentili, quam regionem, vt fertur, ipſe Carolus Magnus tempore ſuo domare nequiuit. Ciuitatem verò Cordubam dictus Rex Hiſpaniæ obſedit, & nutu diuino eam expugnauit, & obtinuit; & quandiu vixit, cultui Chriſtiano ſubiugauit. Mortuo verò eo filius eius de filia Regis Philippi, ei in Regnum Hiſpaniæ ſucceſſit, qui patrixare volens, collectis ſecum agminibus pugnatorum, ſupradictam regionem Cordubæ intrauit, & Sibiliam, quæ erat illius terræ munitiſſima ciuitas, expugnauit, & alias XVI. ciuitates acquiſiuit, & interfectis, aut expulſis, vel captis vniuerſis illius patriæ Sarracenis, Chriſtianitati ſubegit, quas & adhuc decem & octo ciuitates cum oppidis & caſtellis vniuerſis illius terræ munitionibus idem Rex poſſidet. Sed ad Regem Othonem Alemanniæ ſtylum reducamus.

De promotione Ottonis in Imperatorem, & de infortunio quod ei apud Briſach euenit.

CAPVT XIII.

AVdita igitur Rex *Otto* ſui aduerſarij Philippi Regis morte, aſſumptis ſibi illius terræ Primatibus, Alemanniæ terram ſibi ſubiugauit, quia non erat qui reſiſteret. Inde progreſſus cum exercitu ſuo Romam profectus eſt, præeunte eum tamen *Conrado* Epiſcopo Spirenſi, Imperialis Aulæ Cancellario, in omnem ciuitatem & locum quo erat venturus, qui vbicunque veniebat, cum exultatione recipiebatur. Veniensverò Romam, quod inauditum erat, à Papa & Romanis ſine bello vel aliqua ſanguinis effuſione, quod nunquam prædeceſſoribus ſuis conceſſum eſt, cum exultatione recipitur, & ab Innocentio Papa III. inunctus, in Imperatorem Romanum ſublimatur. Sed ſtatim poſtquàm ſceptra Imperialia ſuſcepit, Eccleſiam impugnare cœpit,

patrimonium IESV CHRISTI & B. Petri Apoſtoli inuaſit, diripuit, & ſuæ poteſtati ſubegit. A Roma verò egrediens ad Siciliam & Apuliam profectus eſt, & vbique filium Henrici Imperatoris diu quæſitum non inuenit. Sed cùm videret terram illam, provt volebat, ſibi ſubjacere; regnum Alemanniæ, excommunicatus tamen à Papa, reuiſere curauit. Tranſmeatis verò terræ ſpatijs tandem ad caſtrum quod Briſach dicitur ſuper Rhenum ſitum peruenit. Habebat enim ſecum milites & clientes leues animo, quorum mos erat impudicus, quia in quacunque ciuitate vel loco pernoctarent, cum hoſpitum ſuorum vxoribus, vel filiabus vel ancillis, vellent nollent, gratis vel vi, coïbant, & eas impudicè tractabant. Quod & in eodem caſtro facere cœperunt. Viri igitur illius caſtri conſiderantes tantum nefas ſe non poſſe ſuſtinere, inito conſilio arbitrati ſunt ſe potiùs vnâ horâ velle mori, quàm tantum dedecus de vxoribus & conſanguineis ſuis tam intolerabiliter ſuſtinere. Dato itaque ſigno, quòd quamcitò campanam majorem Eccleſiæ loci audirent, ſtatim quilibet eorum, quod conſilio priuato ſtatuerant, in hoſpitio cum hoſpitibus ſuis peragere maturarent. Quod ſi quis differret, à caſtro ipſo cum tota familia ſua ſine ſpe reuerſionis pelleretur. Vnuſquiſque verò domum ſuam rediens, in cameris clam, ſe armis munierunt. Adhuc vix ſe ad arma præparauerant, cùm ſubitò clangor campanæ auditur, & quilibet de latibulis ſuis armati egredientes, inueniebant alios cum vxoribus, alios cum filiabus vel cum conſanguineis vel demum ancillis impudenter luctantes, apprehenſos gladijs miſerabiliter occidebant, & per propugnacula caſtri ita detruncatos in Rhenum præcipitabant. Alij verò volentes gladij mortem fugere, ſeipſos per murum caſtri demittebant: & ita ſuper rupes, quibus inſitum eſt cadentes, colliſi mortem quam fugiebant inuenerunt. Clamor igitur huius facti ad aures Imperatoris peruenit, qui in eminentiori domo caſtri cum Domino de Vviſemberch, & paucis alijs erat. Qui inquirens quid eſſet, audiuit à quodam qui de eadem mactatione fugerat, quòd tota gens ſua, & milites ſui interfecti erant, & expoſuit Imperatori quare. Imperator verò timens ſi fortè ſeditio populi ibi eum inue-

niret,

niret, ne ipſe interficeretur, rogauit Dominum de Vviſemberch, vt à caſtro eum cautè educeret: qui cum portenulâ educens, ad Viſemberch peruenit. Et ita ille Imperator fugâ lapſus ad inferiores partes Alemanniæ ſeceſſit. Et hæc fuerunt initia dolorum ſuorum, quia quandiu vixit, nunquam vna die ſine dolore & ærumna & periculo corporis & animæ permanſit.

Quòd Otto Imperator ad Brunſuuich redijt, & de pugna inter ipſum & Regem Franciæ.

CAPVT XIV.

DEſcendens verò idem Imperator *Otto* ad inferiores partes Alemanniæ venit Brunſvvich. Ea verò tempeſtate Rex Angliæ habebat guerram cum Rege Francorum *Philippo* pro quadam terra quam ei Rex Francorum in Regno ſuo ſitam, non tamen ſine cauſa, abſtulerat. Rex verò Angliæ mandauit Ottoni Imperatori, vt collecto exercitu ei veniret in auxilium, quia Regnum Franciæ in armis deſiderabat intrare. Erat enim ille Otto propinquus ſuus, & valdè cariſſimus. Cui Imperator Otto remandauit, vt ex illa parte Regnum Franciæ inuaderet, ipſe verò à parte Alemanniæ regionem vaſtaret. Erat enim quidam Comes in Flandria, *Ferrandus* nomine, qui vxorem ſuam, quæ erat Regis Franciæ conſobrina, quam pro ludo ſcacorum, quo eum ipſa vxor ſæpiùs matauerat, ipſam verberauerat, & inhoneſtè tractauerat: quæ vxor irata, hæc Regi Francorum indicauit, qui Comiti Ferrando duriter comminatus eſt, improperans ei quia non ei ideò Comitatum Flandrenſem & cognatam ſuam dediſſet, vt eam ſic dehoneſtaret. Comes Regis minas ægrè ferens, aſſumpto ſibi Comite Bolonienſi cum alijs pluribus amicis ſuis regni Franciæ abijt ad Ottonem Imperatorem, & cum eo tractauit de expeditione quam idem Imperator ſe facturum dixerat, & ei iurauit quia ipſum Pariſius Regem conſtitueret. Inito denique tali inter ſe pacto etiam Comitatus, ciuitates & munitiones vniuerſas ipſe Imperator cum

ipſo Ferrando Comite, Comitibus & Baronibus qui cum eo regnum Franciæ ſe intraturos iurauerant, antequam poſſideret, diuiſerat. Collecta itaque innumerabili multitudine armatorum, mandauit Imperator Regi Franciæ quòd iurauerat nunquam ſe ad Alemanniam rediturum, niſi priùs Pariſius ſedem ſuam poſuiſſet, & ſuis Baronibus regnum Franciæ localiter diſtribuiſſet. Rex verò Franciæ hæc audiens, miſſis epiſtolis Duci Burgundiæ, Normanniæ, Britanniæ Comitibus, & vbicunque milites adunare potuit, exercitum colligit: filium verò ſuum *Ludouicum* aduerſus Regem Angliæ ea parte qua regnum Franciæ intraturus erat, cum aliqua parte armatorum direxit. Ipſe verò Rex Franciæ contra Ottonem Imperatorem acies ſuas minauit, & veniens ad quandam planiciem iuxta Vallenciennes, ad pontem qui dicitur de Bouines fixit tentoria: cuius exercitus ad nouem millia militum, & ad quinquaginta millia peditum æſtimatus eſt. Imperator verò Otto penè ad eundem locum peruenit, & ibi reſedit. Cuius gens cõputata eſt ad viginti quinque millia militum, & ad octoginta millia aliorum armatorum, multitudine magna curruum, victualium, & armorum oneratorum. Adduxerat enim ſecum plures currus funibus oneratos ad Francos ligandos, quia putabat ſe eos tenere captiuos.

De congreſſione ipſius pugnæ, & exhortatione ipſius Regis ad ſuos.

CAPVT XV.

VEnit dies Dominica in qua quilibet Chriſtianus feriare & Dei obſequio vacare deberet. Comes verò *Ferrandus* videns exercitum Regis Franciæ tam paruum eſſe, dubitabat ne fortè major gens Regi ſociaretur, ſuggeſſit Imperatori vt ea die Dominica cum Rege bellum fieret, & ita multitudo Imperatoris paruitatem Regis Franciæ ſuperaret ac deuinceret, & ad Regem Angliæ regnum Francorum deuaſtando perueniret. Sed Deo auxiliante, res in contrarium verſa eſt. Imperator autem miſſis ad Regem nunciis,

mandauit ei vt ſe ad bellum præpararet: Rex verò dans Deo honprem ob reuerentiam diei Dominicæ bellum poſtulabat in craſtinum prorogare: Comes verò Ferrandus dixit, quia ideò Rex pugnam differri volebat, quia aut magnum ſuccurſum gentium expectabat, aut noctu timore belli fugere diſponebat. Imperator verò credulus ea die voluit bellum fieri. Rex autem Francorum *Philippus* conuocatis Primatibus & militibus ſui exercitus ſtans in eminentiori loco; ſic alloquitur ſuos:

O Vos, ſtrenui milites, flos Franciæ, decus coronæ Regiæ, nos deliberaueramus in hac ſancta die Dominica Deo deferre honorem, & obſequio diuino, & orationibus vacare; ſed vrgente hoſte, & ad pugnam cogente, iſta nobis non licent. Videtis quippe nos coronam regni portantem, ſed homo ſicut & vos, & vnus ſum; niſi vos ſupportaretis, ipſam minimè portare poſſem. Ego ſum Rex. Et ita ablatam coronam de capite ſuo, porrexit eis dicens: Ecce volo vos omnes Reges eſſe, & verè eſtis cùm Rex dicatur à regendo, niſi per vos regnum ſolus regere non valerem. Iſti verò qui ad nos conterendos venerunt, ſuis viribus confiſi, non ſolùm nos captiuare, ſed etiam totum regnum Franciæ occupare conantur. Scio enim, & verè ſcio, quia contra aduerſariorum diſpoſitionem Beatiſſimus ac ſemper reminiſcendus Patronus noſter Dionyſius hodie cum ſuis ſanctiſſimis Sodalibus pro nobis & pro ſtatu regni noſtri miſericordiſſimum Filium Dei gemitibus inenarrabilibus interpellat. Eſtote igitur ſecuri, quia hodie manifeſtè precibus Beatiſſimi dicti Patroni noſtri, videbitis auxilium Domini ſuper vos. Eſtote ergo viri cordati, & pugnate contra gentem ipſam nefandam: certè hodiè Dominus omnes tradet in manibus noſtris nec prævalebunt aduerſum nos. Et ita eis deuictis ad domos veſtras, vxores, & filios & filias, quas ſibi rapere concupiſcunt, cum victoria & gaudio reducemini. Præcipio enim vniuerſis clientibus & peditibus, & hoc ſub pœna ſuendij (præceperat enim ad hoc plurima patibula erigi) ne fortè aliquem veſtrum cupiditas rerum inuentarum decipiat, ſed eas pro nihilo reputet, ne ab ipſis in bello impediatur, donec ad finem pugnæ perueniatur. Et ſic victoriâ,

Digitized by Google

Deo adiuuante, potiti, quicquid quilibet habere potuerit, dummodò alij iniuriam non faciat, totum ſuum de permiſſione noſtra erit. Si verò arma vel equos aduerſariorum potuerit conquirere, ſi indiget ea ad pugnandum, accipiat.

At illi vna voce clamauerunt, aſſerentes ſe adhortationi & præceptis Regis libenter velle obedire. Rex verò ſecum de Pariſius vexillum Caroli Magni, quod vulgò Auriflamma vocatur, quod nunquam, vt fertur, à tempore ipſius Caroli pro aliqua neceſſitate à ſecretario Regis expoſitum fuerat, in ipſo bello apportauerat. Qui ſuis clara voce dixit: Quis hodie veſtrum hoc vexillum in honore Regni Franciæ, in congreſſu iſto portabit? Cui Dux Burgundiæ reſpondit: Eſt mihi miles hîc benè cognitus, vir corpore validus, & ad bella doctiſſimus, ſed pauper, nomine *Vvalo* qui totam terram ſuam deſiderio iſtius pugnæ pro ſolo equo, pignori obligauit. Si cui vexillum veſtrum committere velitis, iſti committite. Rex verò eo ad ſe vocato, porrigens ei vexillum dixit: Accipe amice Vvalo, hodie tibi committo honorem Regni Franciæ. Cui Vvalo: Quis ego ſum, Domine, vt hæc facere poſſim? Cui Rex: Noli timere, ſi Deo donante victoria potiti fuerimus, laboris tui ampliſſimè reſpondebimus. Cui Vvalo ait: Quia, Domine, iuſſio veſtra ad hoc me vrget, mandata veſtra adimplere curabo. Sed vt video, quia Auriflamma iſta humanum ſitit ſanguinem, Deo mihi vires præſtante, multis videntibus hodie eam ſanguine aduerſariorum potabo. Rex verò conſiderans quòd ſol radio ſuo oculos ſuorum reuerberabat, arbitratus eſt ſoli terga vertere, quod & fecit. Aduerſarij verò hæc non conſiderantes, ſplendori ſolis ſe oppoſuerunt. Rex Franciæ ſuos buccinatores, de quibus multos habebat, à tergo exercitus ſui ſtare præcepit, vt in prima congreſſione tubis fortiter clangerent.

De clangore tubarum & initio pugnæ.

CAPVT XVI.

CVmque iſta ita ſe haberent, ecce clamor aduerſariorum ad pugnam exhortantium fortiſſimus auditur, quem buccinatores Regis Franciæ audientes, ita vno ictu tubis ſuis argenteis clangere cœperunt, vt terra ſub pedibus eorum tremere crederetur, & aduerſarij tremore magno quaterentur. *Ferrandus* verò Comes Flandriæ volens ſe videri cæteris audaciorem, vrgens calcaribus equum, ſcuto amplexo à ſuis ſeparatus, curſu equi ad aduerſarios portabatur, quem cùm intuens Vvalo miles, qui Auriflammam Regis Franciæ portabat, curſu validiſſimo illi obuiam veniens, demiſſo vexillo lumbos eius perfodit, ita vt ex alia parte totum vexillum ſanguineum appareret, & eum de equo ad terram projecit, & ad ſe vexillum retraxit; & ita, vt prædixerat, ipſam Auriflammam ſanguine potauit. Quod & poſteà ſæpiùs fecit. Duo vero clientes videntes Ferrandum Comitem ad terram jacere, ſuperuenientes eum tenuerunt. Vnus verò eorum gyrone loricæ leuato coxam ipſius ita perforauit, vt teſticulos tranſuerberatos alij coxæ jungeret. Alius verò ictu cultri inter ſcapulas fortiter vulnerauit, ſed lorica eo defendente non eſt vulneratus ad mortem, & ita captiuus Regi oblatus eſt Franciæ, qui eum cuſtodiæ tradidit. Alemanni verò ſua ſigna fortiter inclamantes, viriliter, ſicut moris eſt eorum, Francis reſiſtentes, plures ſuorum, à Francis de equis projecti à multitudine equitantium colliſi mortui ſunt, alij lanceis perfoſſi vitam finierunt, alij gladijs detruncati, animas ad inferos præmiſerunt. *Otto* verò Imperator cùm videret anteriorem partem exercitus ſui ita miſerabiliter debilitari, in multitudine gentis ſuæ confidens, magnis clamoribus, vt moris eſt bellantium, ſuos ad pugnam adhortari cœpit. Rex verò Franciæ & ſui omnes Deum & B. Dionyſium in adiutorium ſuum inuocabant. Vvalo verò ſignifer Regis Franciæ videns Imperatorem cum

aciebus ſuis ad pugnam venientem, vltrà moram non ſufferens, calcaribus equum viriliter feriens, Deo etiam ſe commendans, & B. Dionyſium ſæpiùs inuocans, ſigno ſuo in altum eleuato denſitatem pugnæ audacter intrauit, & vniuerſas acies miles fortiſſimus curſu ſuo in duas diuiſit partes, & vſque ad aciem vltimam, in qua Imperator erat, peruenit. Quem ſubſecuti ſunt Dux Bungundiæ cum ſuis, Comes Normandiæ, & Comes Britanniæ cum ſuis, & alij complures armatorum. Nobilis verò vir *Agerrannus* de Corcei * intuens Imperatorem à longe, equum calcaribus percutiens, curſu validiſſimo eum petens, ad terram demiſsâ lanceâ de equo projecit. Ipsâ eâdam horâ equus Regis Franciæ offenſo pede ipſum Regem de dorſo ſuo excuſſit, & ita cadens ad terram, omnes videntes altiſſimis vocibus inclamauerunt: Currite, currite ad Regem, quia cecidit. Illi verò qui iam Imperatorem tenebant, vt eum captum ad Regem ducerent, audientes clamorem ſupradictum, dimiſſo Imperatore concito curſu ad Regem ſuum venientes, ipſum iam in equo ſanum repoſitum inuenerunt. Qui de dimiſſione Imperatoris valdè dolentes, iterum eleuatis lanceis pugnam interrumpentes, quæſitum Imperatorem, quia fuga lapſus erat, non inuenerunt. Inuento itaque milite qui Imperatorem in equo ſuo leuauerat, tenentes ligatum cum pluribus alijs ad tentoria Regis Franciæ captum deduci fecerunt. Vvalo verò ſæpè dictus ſignifer cum pluribus alijs inſequens Imperatorem per deuia quæque eum fugantes attingere non potuerunt; ſed citò reuertentes obuiabant illis qui de bello fugiebant, quos omnes ſpoliatos captiuauerunt, alios quia vulnerati aut laſſi in bello ire non poterant, abire dimiſerunt. Venientes autem ad locum vbi pugna exſtiterat, inuenerunt Francos mortuorum corpora ſpoliantes, alios captiuos de funibus, quos adduxerant ad Francos ligandos, vincientes, alios tentoria Alemannorum colligentes, alios ſpolia inuenta & prædas pecudum inter ſe diuidentes. Et ita Rex Francorum cum paucis tantam multitudinem exercitus Ottonis Imperatoris cum traditoribus ſuis deuicit, interfecit. Ibi eſt captus Comes Flandriæ, Comes Boloniæ, & alij quamplures equites & pedites, quos de Francia in præiudicium

* f. Couci

Domini ſui Regis Franciæ in auxilium Ottonis Imperatoris dicti Comites adduxerant, qui captiui Franciam ligati deducti ſunt, & incarcerati. Ita Rex Franciæ & exercitus eius ſpolijs magnis onorati & lucris ingentibus in regnum Franciæ omnes, exceptis vno milite & vno cliente, qui in bello interfecti ſunt, proſperè & gaudentes reuerſi ſunt. De exercitu verò Ottonis ad exiſtimationem triginta millium, vel interfecti, vel captiuati fuerunt. Otto verò Imperator ad Brunſvvich oppidum veniens tanto dolore & triſtitia anguſtiatus eſt, vt in lectum decidens paucis ſuperuixerit diebus: fecit enim quoſdam amicos ſuos adhuc viuens iurare, quòd quàm citò mortuus eſſet, corpus eius coqueretur, & ad Papam oſſa eius ad beneficium abſolutionis obtinendum, quia à Papa excommunicatus erat, deportarent. Neſcio ſi obtinuerit, an non. Rex verò Angliæ qui iam regnum Franciæ inuadere cœperat, auditâ victoriâ Regis Franciæ de Alemannis quaſi cancer retrocedens, claſſibus aſcenſis cum exercitu ſuo in Angliam reuerſus eſt. *Lodouicus* verò Regis Franciæ filius ad Patrem Regem ſalutandum Pariſius cum ſuis reuerſus eſt. Ibi cum Primatibus ſuæ terræ de triumpho victoriæ Deo & B. Dionyſio gratias affectuoſas referentes, plurimos dies feſtiuos cum ingenti lætitia deduxerunt. Ita Deus omnipotens timentes ſe protegere & adiuuare non ceſſat vbique.

De obitu Philippi Regis Franciæ, & ſepultura eius.

CAPVT XVII.

SEd quia de tanto Rege pauca diſſerui, ſaltem de obitu ſuo, quo ordine ad Chriſtum migrauerit, referre non pigebit, ſicut à veridicis Monaſterij S. Dionyſij cum Fratribus meis apud Lebrach Cellam ipſorum, qui morti ipſius Regis interfuerunt, de verbo ad verbum audiui. Idem verò Rex *Philippus* poſt dictam victoriam ſex fœliciter ſuperuixit annis, & mortuus eſt. Qui cùm ſepeliri deberet, quæſierunt in Eccleſia S. Dionyſij vbi poni poſſet. Eſt enim à

tergo altaris Martyrum B. Dionysij & sociorum eius quoddam sepulchrum, in quo quidam Rex Francorum Carolus Caluus nomine fertur esse sepultus, qui cùm quondam cum Fratribus suis pro Regno Franciæ litigaret, nec ei ad conducendos milites facultas suppeteret, decimas Ecclesiarum militibus pro donatiuo dicitur hæreditario iure distribuisse: vnde milites vsque ad tempora nostra donationes Ecclesiarum cum decimis suis adhuc obtinent: super quod sepulchrum sarcophagum habetur æneum fusile longitudine octo pedum, latitudine verò trium, super quod sculptus est Leo ad magnitudinem sarcophagi, quod & ego proprijs oculis vidi. In hoc cùm Philippum Regem sepelire disponerent, aperto subteriori sepulchro, nihil penitùs præter carbones mortuos, quibus totum plenum erat, inuenerunt: quod videntes qui illud aperuerant, admirati sunt valdè: dicebant enim quòd carbones illi inuenti, quia idem Rex Ecclesijs decimas, vt dictum est, abstulerat, significarent illum in carbonibus inferni fore sepultum. Quare recludentes ita dimiserunt, & in alio loco Regem Philippum condignè sepelierunt. Super quem tumbam argenteam deauratam cum imaginibus plurimis artificiosè factam composuerunt, quæ vsque hodiè perdurat.

De mirabili transitu ipsius Regis, & de visione Honorio Papæ inde facta.

CAPVT XVIII.

EAdem siquidem die qua dictus Rex defunctus fuit, erat Honorius Papa apud Perusium ciuitatem Tusciæ, qui in ea habebat quendam militem consobrinum suum, qui tam graui infirmitate diu detentus fuerat, quòd ad extremum vitæ iam perductus esset. Quem Honorius Papa visitans inuenit eum in quodam virgulto in lecto jacentem semimortuum, & à medicis penitus desperatum & derelictum. Cùm verò Papa eundem militem videret in extremo vitæ articulo

articulo poſitum, & ſpiritum in ſummitate pectoris vix palpitantem, exhibitis ei exequiarum & abſolutionum beneficijs, diſpoſitis cuſtodibus qui exitum ſuum diligenter conſiderarent, ipſum Deo commendans, abſceſſit. Sequente igitur nocte, cùm iam ille mortuus crederetur, primâ vigiliâ noctis tres viri in albis apparuerunt ei, quartum ſecum ducentes: quorum major, quia infulis decoratus erat, Epiſcopus eſſe videbatur, qui ad lectum ægri accedens, eum proprio nomine appellans ait: Nunquid dormis? At ille vix labia mouens, rauca voce, vt moris eſt morientium, dixit: Quis es Domine? Epiſcopus ait: Ego ſum Dionyſius Areopagita quondam Athenienſis, poſteà verò primus Pariſienſis Epiſcopus, & cum his duobus ſodalibus meis Ruſtico & Eleutherio, pro Chriſti nomine ibidem capite detruncatus. Iſte verò quartus, quem nobiſcum habemus, Philippus eſt Rex Franciæ, quem iam defunctum per purgatorium ignem tranſducere proponimus, vt ſi qua ei peccata de contagijs terrenis adhæſerunt, per hunc ignem miſericordia diuina ea diluat, & ita ad requiem eum nobiſcum deducemus. Surge ergo & vade, & dic Honorio Papæ quæ audiſti: denique ſubjunge, vt die craſtina ſummo mane hoſtiam ſalutarem pro ipſo Rege Philippo offerre non differat, & ei beneficium abſolutionis impendat. Quo facto, ſciat eundem Regem proculdubio ſtatim æternæ requiei donatum. Et vt tibi de prædictis meliùs credatur, ſurge, & hoc tibi ſignum: quia cum eſſes in articulo mortis iam poſitus, te ab ipſa morte reuoco, & ad mandatum meum adimplendum, ſanitati & viribus meliùs quàm fueras te diuina virtute reſtituo: & apprehenſa manu eius, eum de lectulo leuauit, & ita viſio illa diſparuit. Miles verò ille cuſtodes ſuos, qui eâ horâ viſionis caſu obdormierant, excitans, veſtimenta ſua & calciamenta ſibi dari popoſcit. Cuſtodes verò videntes eum in lecto ſedere, immoderatè perterriti ſunt, neſcientes quid factum fuerat. Ille verò videns eos hæſitantes, ait illis: Ecce iam ſanus factus, video me iuuenilibus annis integraliter reſtitutum: expergiſcimini ergo, & mecum laudate Deum, & eamus ad Papam; quia ad ipſum habeo mandata quæ perferam Illi verò timentes cum eo ire, putabant eum phantaſma eſſe:

Ille verò confortans eos abierunt. Venientes verò ad camerã Papæ, miles pulsans, petit se intromitti. Ostiarius verò scisitans quis esset, qui tali hora januam tam audacter pulsans, Papam inquietare præsumeret. Ille ait: Ego sum Miles ille cognatus Domini Papæ, qui vsque ad mortem ægrotaui; & ecce Dei gratiâ sanus factus sum: Aperi, quia habeo ei mira dicere. Ostiarius verò tremens, ad lectum Papæ cucurrit, & ei audita narrauit; Papa admirans, tamen hæsitans, iussit ei aperiri. Qui veniens ad Papam cuncta ei ordine narrauit, quæ à B. Dionysio audierat & viderat; & quomodò, vt meliùs verbis eius crederetur, ab ipso Sancto. pristinæ sanitati restitutus erat. Papa verò exultans, Deo gratias egit, & data illi benedictione, dimisit eum; & mane facto, sicut ei mandatum fuerat, diuina celebrando, & dictum Regem absoluendo, cuncta fideliter adimpleuit.

De Innocentio Papa, quomodò Fridericum filium dicti Henrici Imperatoris ab Apulia in Alemanniam misit.

CAPVT XIX.

NE mireris, lector, quæso, si finem Regis Franciæ seriatim exponendo descripsi ordine præpostero ante Innocentium III. Papam, de Honorio, cuius tempore dictus Rex Franciæ obijt, & visio prædicta facta est, mentionem feci. quia meliùs arbitratus sum actus ipsius Regis, & finem de verbo ad verbum sine intermissione adnotare, quàm diuersis locis diuersa componere. Reuertamur igitur ad quædam, quæ tempore Innocentij facta sunt, & sic cætera expediamus. Innocentius igitur Papa III. audita morte Ottonis misit in Apuliam, & quæsitum *Fridericum* quondam filium Henrici Imperatoris, inuenit eum iam ferè vicesimum ætatis suæ annum habentem; quem cum epistolis & Missis suis satis subtiliter ad Alemanniam transmisit. Fridericus verò qui Infans Apuliæ, quia iuuenis erat, tunc appellaba-

tur, Baſileam vſque deductus eſt. *Lutoldus* verò illius ciuitatis Epiſcopus ex præcepto Papæ vſque ad oppidum in Alſatia, quod Columbaria dicitur, dictum Fridericum conduxit. Dux itaque Fridericus Lotharingiæ, cùm audiſſet illum ad partes Alemanniæ veniſſe, quia cognatus eius erat, & ſperabat ſe aliquid ab eo accepturum, venit ad eum in armis.

De conuentione inter Fridericum puerum de Apulia, & Fridericum Ducem Lotharingiæ facta, vt ſibi aßiſteret.

CAPVT XX.

Fridericus verò Rex Duci Lotharingiæ dixit, qui ad eum venerat, ſi adſiſteret ei, ipſe daret ei quatuor millia marcharum argenti, & ſuper hoc dedit ei in pignore Villam, quæ dicitur Rotſém. Et inde Dux cum Friderico ipſo Haugonoyam vſque peruenit, reperitque oppidum à quodam nobili milite Domino de Loëmberch occupatum. Fridericus enim Rex ad inferiores partes Alemanniæ, vt ſibi Primates illius terræ in amicitiam jungeret, deſcendere volens, Ducem Fridericum cum exercitu in obſidione Haugonoyæ dimiſit. Dominus verò de Loëmberch videns oppidum illud diu non poſſe obtinere, reddidit illud Duci; Dux verò genti Friderici. Fridericus itaque cum Primatibus illis per induſtriam Innocentij Papæ ſe concordans, ab illis Aquiſgrani in Regem coronatur. Dux verò Fridericus pignus ſuum, id eſt Rotſem, quam ei Rex Fridericus pro dicta pecunia contulerat, quandiu vixit obtinuit.

Quòd Dux Fridericus Theobaldo filio ſuo filiam Comitis de Daſporch accepit in vxorem, & cum ea Comitatum.

CAPVT XXI.

EA tempeſtate Dux *Fridericus* Lotharingiæ Filiam Comitis Alberti de Taxporch quæ ſibi vnica erat, filio ſuo

Theobaldo accepit invxorem. Poſt paucum itaque tempus dicti Dux & Comes mortui ſunt. Ipſe verò *Theobaldus* dicti Ducis filius Ducatũ Lotharingiæ ex parte patris, Comitatũ quoque de Taxporch ex parte vxoris ſuæ obtinuit. Rex verò Fridericus audita morte Friderici Ducis, Villam de Rotſem, * quam ei in pignore dederat, ſibi reſaxiuit. Dux verò Theobaldus hoc audiens, adunatis ſibi militibus, præcepit *Lambyrino* de Arches, qui quaſi Major domus ipſius erat, vt cum peditibus ad Bruſcam-vallem deſcenderet, & ibi eum expectaret. Sed cùm videret Lambyrinus Ducem non venientem, venit cum ſuis ad Rotſem. Et quia ibi excepto vallo nulla defenſio erat, citò Villam intrauit. Quod videntes illi de Villa intra Eccleſiam loci & atrium ſe concluſerunt. Lambirinus verò cum ſuis Villam occupauit. Illi autem ſpolia multa inuenientes, vina & alia quamplurima cibaria pro voluntate ſua quilibet eorum rapuit.

al. * Rothem.

De occiſione Lotharingorum apud Rotſem facta.

CAPVT XXII.

CVm igitur viderent quòd nullus eis aduerſaretur, intrantes cellaria, inuenientes vina plurima, ſederunt, comederunt, & biberunt quantum voluerunt: & ſicut illa gens ruſticana facere ſolet, cùm copiam vini repererit, quia in domibus ſuis rarò vinum habent, omnes inebriati ſunt, & per pauimenta cellariorum ſe jacientes, quaſi exanimati, temulenti jacebant. Quod cùm vidiſſet quidam ſtrenuus miles, *Otto* nomine, eiuſdem villæ, conuicaneos ſuos exhortatus eſt: Eia, inquit, vos omnes viri cordati: nunquid aſpicitis ruſticos iſtos vino temulentos? Sumite ergo arma, quia quàm citò eos omnes debellabimus. Illi verò, ſicut moris eſt Alemannorum, furibundi de latibulis ſuis exeuntes in miſeros illos irruerunt: illi verò qui præ nimia ebrietate ſuper pedes ſuos ſtare non poterant, volentes arma ſua capere, non valebant: alij verò fugere volentes ad terram decidebant: alij veniam inclamare cupientes, balbutientes verba

Digitized by Google

proferre non poterant. Et quia Alemannorum moris eſt nulli velle parcere cui poſſunt dominari, in illos miſerabiliter ſæuire cœperunt: & quia illi ebrij defendere ſe non poterant, detruncantur, euiſcerantur, & gladijs perfodiuntur vt pluſquàm cxx. interfecti æſtimentur. Lambyrinus verò & aliqui, qui cum eo erant, prouidentiores aſcenſis caballis ſuis, per portam quæ ducit ad Bruſcam-vallem exeuntes fugerunt; aliqua pars verò iſtorum videntes tantam ſtragem ſuorum, per vallum villæ exeuntes ad montana, quæ ibi propè habentur, ſe contulerunt: alij verò vſque ad mortem vulnerati per hortos vino & vulneribus attriti, quaſi mortui jacebant; ſequenti verò nocte quomodò potuerunt fugientes, per nemora gradientes ad terram ſuam reuerſi ſunt. Alemanni verò domos & cellaria & latibula domorum requirentes multos adhuc inuenerunt, & ita omnes interfecerunt, vt non vnus de tanta multitudine, qui inueniri potuerit, viuus remanſerit. Lambyrinus verò cum paucis fuga lapſus, ad dominum ſuum Ducem Theobaldum, qui incontinenti cum exercitu ſuo in Bruſca-valle erat, apud Vvicha triſtis aduenit; cui Duci cuncta quæ facta fuerunt, narrauit: Dux autem hæc audiens triſtis retroceſſit.

Quòd Rex Fridericus Lotharingiam cum armis intrauit, & caſtrum Amantiæ obſedit, & Ducem Theobaldum ſecum in Alemanniam duxit, & eum veneno interfecit.

CAPVT XXIII.

FRidericus autem Rex Alemanniæ cùm audiſſet quòd gens Ducis Lotharingiæ Roſem cum armis intrauerat, etiam alia vice, neſcio ante hoc factum vel poſt, cum magno exercitu Alſatiam vaſtauerat, collecta non parua multitudine equitum Lotharingiam penetrauit; & veniens ad caſtrum quod Amantia dicitur, illud obſedit. Mandans verò pro Comite Barrenſe & Comitiſſa Campaniæ ad ipſum properauerunt: qui venientes apud Nanceyum ibidem perno-

ctauerunt. Mane facto illud oppidum totum igni succenderunt; deinde ad Regem venientes gratanter recepti sunt. Dux verò Theobaldus mittens per vniuersos, quos amicos suos esse credebat, vt ei in auxilium venirent, & non est inuentus auxiliator. Cùmque Dux videret se omni succursu esse destitutum, timuit ne Rex totam Lotharingiam deuastaret, & sibi eam auferret: quia iam plures, qui ei succurrere debuerant tam de terra sua quàm aliunde, vt eum opprimerent ad Regem venerant: accepto consilio ad Regem inermis venit, & se ad pedes inclinans veniam petijt. Rex verò se ei velle indulgere respondit, sed non ex toto, quod ita fecit: retinuit enim Ducem cum quatuor militibus tantùm cum eo, & ad Alemanniam reuertens, Ducem cum eo quasi captiuum ducebat in omnem locum quo iturus erat, & sic eum cum eo diu detinuit. Volebat enim Rex vt secum semper solus in mensa esset, in hoc tantùm garcione contentus, qui ei pallium suum ad Curiam deferebat: Milites verò sui ad hospitium remanebant, nec vnus quidem ex eis ad Curiam veniebat; ministrabantur tamen eis à Curia Regis necessaria vniuersa. Ego quidem tunc temporis ab Abbate *Henrico* Senonensi ad ipsum Ducem Lotharingiæ missus sum, eo quòd *Philippus* Dominus de Gillibertiuillare dictum Abbatem meum in quibuscunque poterat, molestabat & ei satis periculosè minabatur: quem cùm diu quæsiuissem, eum cum Rege in Herbipoli, quæ Theutonicè *Werseborch* vocatur, in Hosterfrank inueni, & per octo dies in Curia ipsa permansi. acto meo negotio, considerans quomodo idem Dux & sui à Rege tractarentur, reuersus sum. Rex verò cum eundem Ducem Theobaldum pro voluntate sua detinuisset, dimisit eum: deliberauerat enim quid cum ipso ageret. Dux igitur transuadato Rheno ad sua gaudens reuertebatur; credebat enim se gratiam Regis integraliter recepisse: sed Rex malitiæ suæ non immemor, statim cùm Dux ab eo discessit, quandam meretricem, quam Sodariam vocant, post Ducem direxit: quæ cum Duce vna nocte hospitans satis jocosis verbis & motibus, sicut talium moris est, blandicijs alliciens, veneno, quod ei Rex ad hoc dederat vino mixtum, Ducem potauit; & sic mane facto meretrix illa discessit: Dux verò

De se scribit Auctor.

Digitized by Google

non longè pòſt viuens, mortuus eſt, & in Clauſtro Stuleeborne Ciſtercienſis Ordinis ſepultus eſt. Cui frater eius *Maherus* * in Ducatu ſucceſſit. Fridericus Rex de Apulia vxorem ſortitus eſt, quam ſecum adduxit, & de ea genuit filium, quem *Henricum* appellauit. Sed ad reliqua quæ tempore Innocentij Papæ facta ſunt reuertamur. *Matthæus

LIBER IV.

DE SYNODO LATERANENSI, cui præſedit Innocentius Papa III.

CAPVT I.

ANno ab Incanatione Domini MCCXV. celebrata eſt vniuerſalis Synodus Romæ in Eccleſia Saluatoris quæ Conſtantiniana vocatur, menſe Nouembri, præſidente Domino *Innocentio* Papa III. Pontificatus eius ann. XVIII. in qua fuerunt CCCC. & XII. Epiſcopi, inter quos fuerunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus: Antiochenus verò graui languore detentus venire non potuit, ſed miſit propter ſe vicarium Antercidenſem Epiſcopum: Alexandrinus etiam ſub Sarracenorum dominio conſtitutus fecit quod potuit, miſit pro ſe Diaconum germanum ſuum. Primates & Metropolitani ſeptuaginta vnus: Abbatum verò & Priorum numerus vltra octingentos exiſtimatus eſt. Archiepiſcoporum verò, Epiſcoporũ, Abbatũ, Priorum, & plurimorũ Prælatorũ Eccleſiæ, qui non interfuerunt, non eſt numerus. Legatorũ Regis Siciliæ in Romanorũ Imperatorẽ electi, Imperatoris Conſtantinopolitani, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Hungariæ, Regis Hieroſolymitani Ioannis, Regis Cypri, Regis Aragonenſis, necnon aliorum Principum, & Magnatum, & ciuitatum, aliorúm que locorũ magna affuit multitudo. In qua Synodo

Digitized by Google

dictus Innocentius Papa sermonẽ proprio ore protulit, ita incipiens: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam moriar.* In quo sermone inter cæteros tractatus & disputationes fidei, conseruationes de statu Ecclesiarum & personarum eas regentium liquidè prosecutus, limpidiùs de obitu suo, & quòd iam Deus super hoc signum fecerat in bonum, mirabiliter pertractauit: & quod mirabilius est dictu, de Matrimonio ita efficaciter disputauit, vt ipsos gradus contrahendi matrimonium potiùs vsque ad quartum gradum debere restringere, quàm in septimo gradu in quo antiquitus constitutum erat, permaneret; asserens quod pro intricata cognationis computatione minus prouidè contrahebant, & diuortia celebrabant: vnde idem Papa connubia matrimonij extra quartum gradum tantùm fieri decreuit: & si in quinto gradu ex vna parte, & in tertio ex altera juncti fuissent, præcepit non separari. Et alia multa indixit, quibus Iurisperiti adhuc vtuntur. Et sic quilibet ad propria reuersus est.

De exercitatione iustitiæ à Friderico facta in vrbe Romana.

CAPVT II.

REx itaque Fridericus regnum Alemanniæ sagaciter circuiens, quotquot potuit inuenire raptores nocturnos, incendiarios, fures, & alios regni molestatores magnò studio perquirebat, inuentósque sine aliqua redemptione decapitabat, alios rotis confringebat, alios supplicio damnabat, alios membris mutilatos dehonestabat, alios verò diuersis suppliciis interficiebat. Quare mercatores eum, qui & vias & regionum stratas ita pacificauerat, quòd securi quocunque volebant pergebant, magno affectu diligebant; & ita fama sui boni initij vbique diffundebatur: sed proh dolor! exitus eius in contrarium versus est

De

De multitudine puerorum volentium mirabiliter transfretare in Hieruſalem.

CAPVT III.

EO ſiquidem tempore tanta agmina puerorum vtriuſque ſexus ex diuerſis regionibus neſcioqua arte collecta ſunt, vt in vnum conglobati, innumerabilis fieret exercitus: qui ante ſe vexilla dirigentes ſequebantur, dicentes ſe transfretare debere; & terram ſanctam ſicut filij Iſraël ex Ægypto exeuntes terram illam obtinuerunt, ita & ipſi eam ſorte poſſiderent. In qua verò ciuitate vel terra veniebant, habitatores illarum quaſi pupillos & orphanos, ſicut erant, pro Deo ſuſcipiebant, & eis alimenta ſubminiſtrabant, & ita eos dimittebant. Illi verò Alpes tranſeuntes Longobardiam intrauerunt, & per maritimas ciuitates, Ianuam ſcilicet & Piſam, & alias in ora maris ſitas diſpergentes, credebant naues ad transfretandum inuenire, & non inuenerunt. Duæ tamen naues ex ipſis oneratæ in mare ſe miſerunt; ſed adhuc ignoratur ſi portum obtinuerunt, vel ad quas regiones delati ſunt: Alij verò qui remanſerunt, ad tantam penuriam deuenerunt, vt non ipſos quis hoſpitio reciperet; vt de ipſis illud Hieremiæ dici poſſet: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Vnde per vicos & plateas maxima pars ipſorum fame mortua jacebant, nec erat etiam qui ſepeliret. Et ſic verè illa parua gens illis magnis Innocentibus, qui pro Chriſto occiſi ſunt, comparari creditur: quia & ipſa in tam tenera ætate labores immenſos & mortem famis, quæ crudelior eſt gladio, ſubire meruit: vnde Hieremias: *Melius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame.* Et verè melius, quia gladius ſolo ictu occidit, fames verò diu cruciatum interficit. Cæteri quoque qui ſanioris mentis & ætatis erant, per regiones Italiæ & Thuſciæ diſperſi, ad ſeruiendum gentibus illius terræ, vel ad laborandum ſe contulerunt. Talis enim illius facti finis fuit: nec adhuc poteſt inueniri quid tam inauditum factum portenderet. Et eodem tempore Ordo Prædicatorum, & Fratrum Minorum inchoatus eſt,

de quibus poſt pauca loco ſuo apertiùs diſſeremus. Eadem verò tempeſtate non multò pòſt, ſicut ipſe in ſermone Synodi ſuæ prædixerat, Innocentius Papa migrauit à ſeculo, ſepultus Peruſij à tergo ſepulchri S. Herculani in theca marmorea ſatis decenter ſculpta; cui ſucceſſit Honorius.

Quòd Fridericus in Imperatorem prouectus eſt ab Honorio Papa.

CAPVT IV.

REx itaque *Fridericus* cùm totum regnum Alemanniæ quieta pace & ſucceſſibus proſperis gaudere videret, ordinatis eiuſdem regni agendis, cum exercitu Romam profectus eſt, & intrans cum magna difficultate cum vxore ſua Apulienſi, in Imperatorem ab Honorio Papa III. ſublimatus eſt anno ab Incarnat. Domini MCCXXII. Indict. VII. in Baſilica S. Petri. Papa verò vt terræ ſanctæ ſuccurreret, quia neceſſe erat, adhortatus acquieuit, & ſtatim cruce ſignatus eſt, & iura ſanctæ Eccleſiæ ſe obſeruaturum, provt deberet, jurauit. Inde denique progrediens, vale dicens Papæ cum exercitu ſuo feceſſit ad partes Siciliæ & Apuliæ, & ibi magnas ſtrages de Primatibus, & gente illarum regionum, qui ſibi & patri reſtiterant, perpetrauit: alios quippe viuos excoriauit, alios ſuſpendio deputauit, alios membris omnibus mutilatos viuos dimiſit, alios rotis confregit, alios cum aſſeribus decapitauit: & ita totas regiones illas iuriſdictioni & timori ſuo ſubdidit. Deinde quendam montem, qui Nigra montana dicitur, muris fortiſſimis muniuit, & cum Sarracenis innumerabilibus impleuit, & de ipſis ſapientiores quos Mathematicos, quos Aſtronomicos vocant, ariolos, diuinatores, & inſpectores volatus auium, & alios plurimos Chriſtianæ fidei aduerſarios ad ſe accerſiuit, de quibus quoſdam Conſiliarios fecit; quoſdam qui in volatu auium & extis animalium augurari ſciebant, & ſortilegos, qui ei futura prædicebant, familiariſſimos ſibi junxit, & ita vniuerſas gentes illas cum vniuerſis regionibus ſuis ſuæ poteſtati ad-

Digitized by

jungens, ſigillum terræ illius ſibi fieri iuſſit, cuius ſuperſcriptio talis erat:

Siculus & Calaber, Apulus mihi ſeruit & Afer.

Quas regiones diu circuiens ſibi, vt ſupradictum eſt, ſubiugauerat.

Quòd Imperator Fridericus vallem Spoletanam, & cæteras terras S. Petri ſibi vſurpauit.

CAPVT V.

CVmque hæc ita ſe haberent, cupiens Alemanniam viſitare, quæ ei cara erat, intrans Tuſciam, vallem Spoletanam cum ciuitatibus ſuis & vicis, & omne patrimonium & munitiones B. Petri vbicunque inuenire potuit ſaiſiuit, & quandiu vixit obtinuit: afferens Epiſcopos & alios Clericos, qui orationi tantùm vacare debebant, ciuitates & alias munitiones habere non debere: ipſe enim Aduocatus & Defenſor Eccleſiæ erat, cui hæc competebant. Deſcendens ad Alemanniam filium ſuum *Henricum* quem de Apulienſi vxore genitum priùs dixeramus, de conſenſu Magnatum Alemanniæ Aquiſgrani in Regem coronari fecit, & ei vt moris eſt fidelitatem fecerunt, & dicto filio ipſe Imperator filiam Ducis Auſtriæ dedit vxorem, de qua genuit duos filios, quos, vt fertur, poſteà idem Imperator interfecit, ſicut & matri dicti Henrici feciſſe dicitur. Et hæc initia ſuæ malæ conuerſationis, ſicut poſtmodùm lucidiùs exponemus, vſque in finem vitæ ſuæ extiterunt: in quibus ipſe illi fallaciſſimo Iuliano Imperatori ſimilis fuit, qui ab Eccleſia & in Eccleſia nutritus, & ad honores priùs promotus, poſteà Chriſtũ negans, ob ambitionem Imperij omni niſu crudeliter Eccleſiam impugnauit, & inhumanè Chriſtianos perſequens, quos veri Dei cultores inueniebat diuerſis ſupplicijs interficiebat; qui denique à S. Mercurio Martyre *B. Mariæ* Virginis iuſſu dira morte percuſſus interijt in Perſide.

De Volfelino Sculpteto Haganoyæ & de munitionibus ab ipso in Alsatia constructis.

CAPVT VI.

ERat his diebus in Haganoya Alsatiæ quidam Præfectus nomine *Volfellus*, rusticus quidem genere, sed solertia & prudentia præditus. Hic in Alsatia oppida plurima, Castra & alias munitiones regno ædificauit; castrum videlicet Croneberch iuxta villam Morbei, apud Andelay aliud castrum quod Landeshoarte appellauit; Sceleſtat quoque, quæ anteà paruissima villa erat, francam fecit, & eam muris latissimis & burg nsibus pluribus ampliauit, & ditauit. Oppidum quoque Kesepech cum castello suo de nouo ædificauit: Columbariam etiam in Episcopatu Basilienſi, sicut Sleſtat fecerat construxit. Citra Rhenum igitur oppidum, quod Nuemberch dicitur, muniuit & libertauit. Sed Imperator pro omnibus his bonis, & cæteris alijs quæ pro vtilitate regni & honore fecerat, mala pro bonis eidem Præfecto Volfello Haganoyæ inferens, ipsum captiuauit, & ab eo thesaurum immensum auri & argenti extorsit: nec adhuc ei credens in domo propria inclusit: sed postea licentiâ acceptâ venit vxorem suam visere, & vna nocte cum vxore sua dormiens, ab eadem vxore dicitur esse suffocatus, ne diuitias quas ipsa vxor habere credebatur, Imperatori reuelaret.

Quòd Imperator Fridericus filiam Regis Ioannis Hierusalem duxit in vxorem: & quòd idem Rex Damiatam miraculosè cepit, & post pauca iterum perdita est.

CAPVT VII.

IMperator verò *Fridericus* ad Apuliam rediens, accepit sibi vxorem filiam *Ioannis de Brine* Regis Hierusalem,

Digitized by Google

de qua genuit filium Conradum nomine. Dictus verò Ioannes moto exercitu Damiatam Ægypti obſedit, & miraculosè obtinuit, quam ſtatim ſtultitiâ cuiuſdam Legati Romani, qui exercitum Chriſtianorum de ciuitate eadem eduxerat, aquis & multitudine Sarracenorum incluſi, & in anguſtia mortis poſiti, Damiatam Sarracenis reddiderunt, & ita à terra illâ Chriſtiani exierunt. Imperator verò Fridericus à Papa excommunicatus, eo quòd votum crucis nondum perſoluerat, credens ſe Deo ita ſatisfeciſſe, accerſitis ſecum paucis, & Abbate Morbacenſi, qui mihi hæc omnia retulit, mare tranſiuit, & Ioppen in littore maris ſitam, à Sarracenis quondam deſtructam, reædificauit, & inde Amirando Babiloniæ in amicitiam ſe conjunxit; ita vt totam terram illam ſi voluiſſet, vt fertur, Chriſtianitati ſubjeciſſet, & ſic ad Apuliam reuerſus eſt. Audiens verò Imperator Fridericus quòd filius ſuus Henricus Rex de conſenſu Magnatum terræ inuito patre Regnum Alemanniæ obtinere ſatageret, eum ad ſe accerſitum cepit, & eum in Siciliæ caſtro includens ibi mortuus eſt. Deſcendens igitur Imperator ad Italiam, Mediolanum obſedit, & duobus annis ibi ſedens nihil profecit. Carrucam tantùm ipſius ciuitatis, quam Standarium vocant, cum vexillo ſuo acquiſiuit, & Poteſtatum Mediolanenſem captiuum ad Cremonam ducens, in alta turri patibulo eum ſuſpendit. Deinde Bononiam obſedit, & ante illam nouam ciuitatem conſtruxit, quam cuſtodiendam filio ſuo, quem de concubina genuerat, Regi Sardiniæ dereliquit, & abijt. Illi verò Bononienſes de ciuitate ſua exeuntes ciuitatem illam nouam inuaſerunt, & igne incendentes funditus deſtruxerunt, & dictum Regem Sardiniæ, qui eam cuſtodire debebat, in ciuitatem ſuam captiuum duxerunt: ſed quid de eo actum ſit non audiui.

Quòd Imperator fratrem Gregorij Papæ ſuſpendio damnauit.

CAPVT VIII.

IGitur Imperator tunc ad Alemanniam fortè deuenerat, & apud Haganoyam veniens venationi & piſcationi vaca-

Digitized by Google

bat. Gregorius verò Papa, qui Honorio ſucceſſerat, habuerat quemdam nobilem Militem fratrem Apulienſem, qui Imperatorem aliquando ſe offendiſſe dubitabat; veniens in Alſatiam Comitem *Sigibertum* Alſatiæ Lantgrauium, & *Conradum* tunc Metenſem Epiſcopum Imperatoris Cancellarium, rogauit, vt eum ad Imperatorem ſaluum conducerent, quod & promiſerunt. Imperator verò iuſſit in patibulo eum ſuſpendi: & ſic malè conductus vitam finiuit. Gregorius igitur Papa admonens Imperatorem per Internuncios vt Deo ac B. Petro ſatisfaceret, qui & renuit: quem Gregorius Papa in toto orbe Romano excommunicatum denunciauit. Gregorio verò mortuo Sedes diu Paſtore caruit, Imperatore electionem perturbante. Tandem Cœleſtinus lectus, decem & ſeptem diebus ſuperuiuens mortuus eſt.

De electione Innocentij Papæ IV. & de aduentu eius Lugdunum.

CAPVT IX.

ERat igitur quidam Cardinalis *Senebaldus* nomine, de ciuitate Ianuenſi in Italia oriundus, quia Imperatori aliquantulùm familiaris erat, Papa effectus eſt: qui eodem anno ſimulata infirmitate, dicens ſe velle aërem natiuitatis ſuæ vt ſanaretur inuiſere, venit Ianuam: inde clam per terram Comitis Sauoyæ progrediens peruenit Lugdunum, & ibi per ſeptem annos continuos demoratus eſt. Volens igitur Papa cum Friderico Imperatore de rebus Eccleſiæ, quas rapuerat, agere, ipſum per legitimas ferias ad Curiam citauit. Imperator verò Legiſtas & doctiſſimos viros Iuriſperitos pro ſe mittens, dicens ſe in Longobardia occupatum, tandem aſſeruit ſe eſſe venturum. Fertur etiam quoſdam verſus neſcio à ſe vel ab alio compoſitos interea Papæ mandaſſe, ita ſcribens:

Fata notant, ſtellæque vocant, auiúmque volatus,
Totius & ſubitò malleus orbis ero.
Roma diu titubans, longis erroribus acta
Decidet, & mundi deſinet eſſe caput.

Quibus Papa verſibus reſpondit, ſed à memoria mea dilapſi ſunt: ſed hîc eſt ſenſus. Fata tacebunt, & ſtellæ ſilebunt, & volatus auium non loquentur: tu verò malleus orbis ad tempus eſſe poteris, ſed non diu: Romam verò, quam dixiſti eſſe caſuram, Eccleſiam, id eſt, nauiculam Petri aduertimus: poteſt enim in fluctibus huius maris, id eſt mundi, fluctuare, ſed nunquam mergi. Tertia igitur citatione, vt prædiximus, facta interea Papa *Innocentius IV.* (ita enim in Papatu vocatus) Concilium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum regionũ circumadjacentium cõuocauit, ad quod Fridericus vocatus noluit venire, ſed ſuos Nuncios miſit. Præſidente igitur Innocentio Papa in facie ipſius Concilij, de cõmiſſis ipſius & hæreſibus, quibus implicatus eſſe dicebatur per XVI. Capitula hinc inde diſputatum eſt: tandem per ſententiam, ipſum anathematizauit, & à dignitate & honore Imperij alienauit, & ipſum vel hæredes ſuos ad dignitatem Imperij Romani nunquam venire poſſe iudicauit, & ſub interminatione anathematis diſtrictè inhibuit, ne quis de cætero eum pro Imperatore haberet, nec Imperatorem, ſed Fridericum tantùm de Stoupha * appellaret. Et hoc mandatum per vniuerſas Imperij Romani regiones Papa diuulgare fecit: ſed hoc Rex Franciæ approbare noluit, quia idem Fridericus quondam iuratus ſuus exſtiterat.

* Sueuia.

De bello tranſmarino, quod Ludouicus Rex Franciæ in extremis poſitus in viſione vidit.

CAPVT X.

REx igitur Francorum graui detentus infirmitate vſque ad mortem ægrotauit, cui talis apparuit viſio. Videbat ſe in tranſmarinis partibus eſſe conſtitutum: ibi enim noſtri Chriſtiani & Saraceni ad pugnã parati erant, & congredientes acriùs inter ſe pugnabant; & poſtquàm diu pugnatum eſt, Sarraceni noſtros vicerunt, & omnes aut interficiebant, aut captiuos ad terram ſuam deducebant, ita quòd de tanta multitudine noſtrorum vix XV. milites de bello fugientes

Digitized by Google

remansisse dicerentur. Quod cùm Rex Franciæ videret valde indoluit: cui fertur dictum fuisse; Rex Franciæ hoc irrecuperabile damnum vindica. Rex autem ab hac visione reuersus, vouit se ad terram Sanctam post duos annos properaturum: & statim sibi crucem dari præcipiens, inuita matre Domina Blancha cruce signatus est. Pugna quippe ab ipso Rege intuita accidit in festo S. Andreæ, & sicut viderat verum fuit.

Quòd Papa Innocentius damnato Friderico Imper. Landgrauium de Thuringia Regem Rom. creauit.

CAPVT XI.

FRiderico quoque quondam Imperatore, vt diximus depulso, Innocentius Papa Regem creauit filium Comitis Palatij de Thuringia qui assumpto sibi exercitu intrauit territorium de Nuremberch. Papa verò misit ei Archiepiscopos & Episcopos cum militibus. Conradus verò filius dicti Friderici priùs Imperatoris, qui tunc in Sueuia erat, accersita sibi magna multitudine armatorum venit obuiam nouo Regi, & congressus eum eo victus est, & multi de exercitu suo perierunt interfecti, alij capti, alij fugerunt: Conradus verò in Nuremberch fugit. Nouus verò Rex ad sua & omnes adiutores sui cum multis spolijs redierunt; solus tantùm garcio de tanta multitudine nostrorum ibi mortuus. Nouus quoque Rex non multò pòst diem clausit extremum: & Papa alium instituit, Comitem scilicet de Holande, qui exercitum colligens venit Aquisgrani, & eam obsidens tandem cum magno labore expugnauit, & ibi coronatus est, & inde ad sua redijt. Episcopus verò Argentinensis duo castra, quæ Regi nostro aduersabantur, Vvigresem, & Croneberch, funditus destruxit, & totam terram Episcopatus vice Regis sibi subegit: Slestat verò obsedit, sed nihil profecit. Cronradus verò supradictus viribus assumptis subitò Alsatiam intrauit, & recto itinere nihil aliud faciens cum suis incedebat. Episcopus autem Argentinensis vsque ad ripam Rheni sequutus est eum.

Digitized by Google

eum. Conradus verò Rhenum tranſiens in Sueuiam fugit, & Epiſcopus in ſua reuerſus eſt.

Quòd Rex Franciæ mare tranſiit: Damiatam miraculosè obtinuit, & eam pro liberatione ſua Sarracenis reſtituit.

CAPVT XII.

REx verò Franciæ mare intrans applicuit magno apparatu Cyprum, & ibi aliquandiu moram faciens, multi de ſuis mortui ſunt. Deinde ad portum Acharon volens venire, vento flante contrario ad littus Damiatæ projectus eſt: nautæ verò valde admirantes dixerunt ciuitatem quam videbant eſſe Damiatam, quæ in Ægypti introïtu ſita eſt: noſtri verò valde perterriti ad arma currunt, littus occupant, Sarracenos ad bellum paratos inueniunt, qui à noſtris oppreſſi Damiatam redire compulſi ſunt. Noſtri igitur Chriſtiani tentoria figentes ibidem pernoctarunt: mane autem facto ad portas ciuitatis venientes, apertas eas quidem inuenerunt, ſed nullum intus ciuium repererunt. Intrantes autem ciuitatem mundauerunt, & Eccleſijs compoſitis cultui Chriſtiano ſubdiderunt. Poſt paucos itaque dies Rex cum exercitu ſuo ſuggeſtione Comitis de Artoïs fratris ſui terram Sarracenorum ingreſſus eſt, & ibi reperto exercitu Sarracenorum cum eis confligens victus eſt, ibi quippe mortuus eſt dictus Regis frater. Cæteri verò omnes aut capti, aut interfecti ſunt ibidem, excepto Rege & paucis qui in quodam monte fugerunt. Expleta denique tanta cæde montem, in quo Rex erat, Sarraceni circundederunt: Rex verò ſibi nuſquam fugam patere videns tradidit ſe illis. Pagani ſiquidem Damiatam cum Rege venientes minati ſunt ſe Regem interfecturos, niſi Damiata eis redderetur. Dux verò Burgundiæ & Regina cum alijs pluribus videntes irrecuperabile damnum de Rege, ciuitatem Sarracenis tradiderunt; ita tamen quòd vniuerſi captiui, qui à Sarracenis tenebantur, Regi reſtituerentur; quod & factum eſt. De quibus nos vnum Sacerdotem

vidimus qui hæc omnia nobis narrauit. Rex verò cum ſuis Acharon venit.

De Amiraldo de Coine qui Regem Babiloniæ interfecit, & de nece filij ſui Conradi.

CAPVT XIII.

IGitur Amiraldus de Coine, qui à Rege Babiloniæ ad dictam pugnam vocatus fuerat, dicebat ſe debere Damiatam habere, & etiam medietatem captiuorum & ſpoliorum, quia majorem ipſe exercitum habebat quàm Rex. Rex verò non acquieuit: vnde Amiraldus in ipſum inſurgens interfecit, & exercitum eius in fugam conuertit, & Damiatam obtinuit. Sed Amiraldus, quia Damiata longè à terra ſua diſtabat, timens ne filius Regis interfecti Damiatam, quæ ei propè erat, aliquando obtineret, & ita ſuam gentem, quam in eadem ciuitate dimiſerat, perderet; inito conſilio Damiatam funditus euertit, nec in ea lapidem ſuper lapidem reliquit: & ita illa delicata ciuitas, quæ quondam paradiſus eſſe dicebatur, à noſtris bis miraculosè acquiſita, & bis neſcio quo occulto Dei iudicio miſerabiliter perdita, finem accepit. Rex verò Franciæ Cæſaream ciuitatem quandam, quæ à Sarracenis anteà deſtructa fuerat, ſatis compendiosè reſtauratiuit, & gente & ædificijs copioſam reddidit; & ſic vix duobus annis in terra illa degens in Franciam redijt.

De morte iniqua Friderici Imper. & de obitu Innocentij IV.

CAPVT XIV.

CVm igitur res ita ſe haberet, & *Fridericus* quondam Imperator in Apulia moraretur, adhuc in infidelitate ſua perſeuerans, vt fertur contra Deum blaſphemias, quæ non ſunt etiam referendæ, loqueretur, decidit in lectum & mortuus eſt, ſepultúſque in Palerno, vbi dicebatur plurimos

Digitized by Google

habere theſauros. Poſt hæc Apulienſes neſcio quo zelo, ſed vt rei exitus probauit, malo, *Conradum* filium dicti Friderici, qui in Suenia degebat, vt regnum patris acciperet, aſciuerunt: qui non multò pòſt veneno potatus interijt. *Innocentius* verò Papa IV. cùm VII. annis apud Lugdunum manſiſſet, Romam reuerſus in Apulia diem ſuum clauſit extremum.

De B. Hildegarde Sanctimoniali, & de prophetijs eius.

CAPVT XV.

ANte hos annos ferè triginta fuit in inferioribus Alemaniæ partibus Sãctimonialis quædam incluſa ſanctiſſimæ conuerſationis & vitæ, *Hildegardis* nomine, cui Deus etiam inter cætera gratiam prophetiæ contulerat, & quod mirum eſt dictu, quod nunquam anteà didicerat, linguâ loquebatur latinâ, & ſcribebat. Prophetauit quippe de ſtatu regnorum, & euentibus futurorum: & inde libros propria manu conſcripſit. Scripſit etiam librum medicinalem ad diuerſas infirmitates, quem ego Argentinæ vidi. Scripſit ſiquidem de Ordine futurorum Prædicatorum, & Fratrum Minorum, qui temporibus noſtris primùm eſſe cœperunt. Dixit quippe apertè quoſdam Fratres futuros altè tonſuratos in habitu religioſo, ſed inuſitato, qui in principio ſui quaſi Deus à populo reciperentur; nec aliquid proprium habituros prædixit, ſed tantummodò eleemoſynis fidelium victitarent, nec de his eleemoſynis in craſtinum reſeruarent; & ita tali paupertate contenti ciuitates & caſtella, & regiones prædicando circuirent: & ita in primordio ſuo Deo & hominibus cari haberentur; ſed citò à propoſito ſuo decidentes, viliores haberentur. Hæc Hildegardis de Prædicatoribus & Minoribus Fratribus fertur prædixiſſe, quod poſteà verum actus ipſorum eſſe probauit.

De S. Dominico, & principio Ordinis Prædicatorum.

CAPVT XVI.

1. * Hiſpaniæ. QVidam *Dominicus* nomine de Tuſciæ * partibus oriundus tempore Innocentij III. Ordinem incepit Prædicatorum; ſicut & eodem tempore Franciſcus quidam, de quo poſteà dicemus, Ordinem Fratrum Minorum inchoauit. Dictus ſiquidem Dominicus Fratres ſibi collegit, & ſecundùm Regulam B. Auguſtini viuere conſtituit: & ita à Gregorio Papa confirmati, diſperſi ſunt per vniuerſas regiones, & quandiu in propoſito ſuo permanſerunt, cari ab omnibus habiti ſunt. Sed mirum eſt quòd tanti viri in diuinis ſermonibus probabiles in ciuitatibus opulentioribus habitare cœperunt, in quibus ſplendidè viuitur, & habitatores earum ciuitatum delicijs & diuitijs abundant, & ibidem luxus & ambitio rerum ſeculariũ vigent, & vſuris & publicis rapinis impudenter inſiſtunt: quomodo noſtri Prædicatores à talibus & cum talibus conuerſari & viuere, & dona ipſorum recipere gratulantur? Sed quia prophetia illius Venerabilis Sanctimonialis Hildegardis ne fieret præteriri non poterat, in primordio ſui noſtri Prædicatores omnibus in bono ſatis claruerunt: multos quippe ab erroribus ſuis & à via ſua mala auerterunt, & hæreticos, quibus vniuerſa terra iam propè occupata erat, repreſſerunt, & multos eorum dari igni fecerunt, & adeò in exercitatione ſua valuerunt, vt etiam quidam eorum miraculis claruiſſe referantur. Sed quia, vt dicitur, noua placent & vſitata vileſcunt, quia iam à propoſito aliquantulùm declinabant, immò etiam de ſe præſumendo quædam inepta ſibi vſurpabant, à populo iam non tanti precij haberi cœperunt. Diuites quippe & raptores, & vſurarios publicos circumeundo viſitabant, & ſiqua ambitione ſecularium vel rapto, vel fœnore ab illis acquiſita inuenirent, ad Monaſteria ſua, quæ permaxima ædificare cœperant, efficiebant vt donarentur; & ita per interpretes illas res in ædificiorum ſuorum, vel victualium vſus conuerte-

Digitized by Google

bant: licet non ignorarent rapinas, vel vſuras niſi eis, à quibus extortæ fuerant, reddi debere: illos verò qui eis talia dona conferebant, quod Papa facere non poteſt, à peccatis rapinarum & vſurarum abſoluebant, & mortuos in cæmeterijs ſuis ſolemniter ſepeliebant: & ob hoc viliores plurimùm eſſe cœperunt.

De B. Franciſco primo Fundatore Minoritarum,

CAPVT XVII.

FRranciſcus igitur, quem ſuperiùs primum Ordinis Fratrum Minorum eſſe diximus, de Aſſiſia ciuitate vallis Spoletanæ oriundus fuit: filius quidem diuitis ciuis dictæ ciuitatis extitit, qui eundem Franciſcum causâ mercimonij ad partes Franciæ frequenter mittere ſolebat; vnde à Francia Franciſcum nominatum fuiſſe referunt. Qui Franciſcus bonæ indolis exiſtens iuuenis & ſapiens (ſicut mos eſt mercatorum) ambitionem rerum ſecularium inſectatus eſt: ſed de mercimonio à patre credito Eccleſijs & pauperibus largiſſimè erogabat. Contigit ipſum Franciſcum ad partes ſuas quodam tempore redire, & à patre libenter receptus paucis diebus cum ipſo manſit: quadam verò die cùm pater eius quemdam ſolemnem ageret diem, Franciſcus juuenis laudabilis quamdam cameram intrans veſtibus ſuis omnibus exuitur; quadam tunica, in qua caputium conſutum erat, & tamen viliſſimi panni ſe induens, cordella nodata ſe præcingit: & ita ſine calceis & tonſoratus ad patrem exijt, & patri vale dicens aſſeruit ſe potiùs Deo ſeruire velle quàm mammonæ. Circuiens verò regionem illam, plures ſibi Fratres & Ordini ſuo ſociauit. Veniens igitur ad Papam Gregorium, ſicut Prædicatores ab eo authorizati ſunt, & ita per diuerſas regiones collocati ſunt. Franciſcus verò cum paucis Fratribus per ciuitates & caſtella circuiens prædicando, ad quamdam ciuitatem fertur deueniſſe; & ibi volens verbum Dei prædicare, ciues loci illius in tali habitu eum cum ſuis conſiderantes

quasi stultum à ciuitate sua eum expulerunt: ipse verò extra portam ciuitatis iuxta stratam publicam stans, conspexit in campo diuersi generis aues pascentes, quasi loqueretur hominibus ad se ipsas vocauit, & statim ad vocem ipsius tanta multitudo diuersarum auium circa eum adunata est quanta nunquam in partibus illis visa fuisse feratur: quas B. Franciscus admonens, quia gens intelligibilis & sensata verbum Dei audire contemneret, saltem aues indiscretæ mandata Dei audire non recusarent: illæ verò colla erigentes, & capita & visum quasi eum intelligerent, porrigebant ei: ille verò hortabatur eas vocibus & cantibus Deum qui eas creauerat, & pascebat, glorificare & laudare: & sic eas diu alloquens, & quasi cum rationabilibus creaturis de verbo Dei cum eis disputabat. Videntes autem transeuntes ignotum virum in tam extraneo habitu auibus quasi hominibus prædicantem, nunciauerunt hæc in ciuitate: ad quem tota ciuitas exiens, admirans super miraculo auium, rogabat eum, vt quia eum expulerant, ciuitati indulgeret: ipse verò auibus benedicens iussit eas abire, & conuertens se ad populum improperabat ei quòd populus intelligibilis & rationabilis verbum Dei audire contemneret, aues verò sine ratione cum gaudio magno illud susciperent. Cúmque gentem illam diu allocutus fuisset, hoc sermone finito, dans benedictionem à loco discessit. Fertur etiam transfretasse, & ad Babyloniam deuenisse, à Rege illius terræ licentiam prædicandi obtinuisse. Videns igitur B. Franciscus gratiam dicti Regis & gentis ipsius terræ se habere, paucos de discipulis suis relinquens ad partes suas reuersus est, volens illuc pluriores ad prædicandum dirigere: sed quia non est laborantis & currentis, sed volentis Dei hominis cursum dirigere, nescio quo impedimento detentus ad Babyloniam non est reuersus. Cùmque plures sui Ordinis Fratres vbique disseminasset, & pluribus in vita sua claruisset miraculis, ad ciuitem Assisiæ reuertens, infirmitate detentus ibidem bono fine quieuit in Domino, & ibidem sepultus est. Illorum siquidem & conuersatio & vita semper meliùs & sanctiùs quàm Prædicatorum ad tempora nostra vsque perdurauit. Quamplures igitur ambos ordines viri & mulieres imitantes conuersa-

tioni eorum ſe contulerunt. Nobiles quippe Clerici, & bene literati ſuas prælationes, dignitates, diuitias, parentúmque conſolationes contemnentes, ſe eis pro Deo ſociarunt. Mulieres verò, aliæ virgines, aliæ matronæ & viduæ, aliæ verò meretrices, nobiles & ignobiles, magiſterio ipſorum & religioni ſe ſubmittentes, puſilla ſibi habitacula erexerunt. Sed proh dolor! plurimi vtriuſque ſexus, qui iam aratro Dei manum ſalutis appoſuerant, miſerabiliter retro reſpicientes, luxui & voluptatibus ſeculi quaſi canis ad vomitum redientes denuò ſe tradiderunt. De quibus meliùs arbitror ſilere, quàm loqui.

De Beguina Sybilla nomine de Marſal, & actibus eius.

CAPVT XVIII.

DE quadam iuuencula muliere, quæ plurimos ſua ſubtilitate decepit, dicturi accingamur: quia tota iſta regio actus illius agnouit, audaciùs de ea loqui non pigebit. In Epiſcopatu itaque Metenſi, in oppido quod Marſal dicitur, illa ſupradicta mulierecula degebat: quæ videns plurimas mulierculas ſub doctrina dictorum Prædicatorum ſpecie religionis florere, quæ Beguinæ appellantur, volens ipſas imitari dictis & factis ſuis ſimplicitatem ſuam prætendebat: Eccleſias etiam horâ Matutinarum & Miſſarum, ſicut moris eſt Beguinarum, maturiùs frequentabat. Quid dicam? adeò magnificauit fimbrias ſuas, vt etiam Ludouico tunc plebano viro diſcreto, & omnibus habitatoribus villæ de Marſal gratiſſima haberetur. Quædam verò matrona illiùs villæ cum viro ſuo ſimulationibus eius credens eam hoſpitio receperat: cui etiam ipſa iuuencula ſuggerebat, ſe Angelos vidiſſe: cui matrona illa quandam cameram conceſſerat, vbi orationes & vigilias ſecretiùs agere poſſet. Cúmque ipſa iuuencula videret famam ſuæ religionis vbique diffundi, ad majorem præſumpſit audaciam properare: fatebatur quippe ſe in ſpiritu rapi in cœlum, & ita in lectulo ſuo jacens quaſi dormiens, non manducans neque bibens totam diem deduce-

bat. Hoſpita verò ſua verum eſſe credens cameram claude-bat, nec aliquem ad eam introire patiebatur: aliquâ quippe horâ noctis, vt ſpiritus eius ad eam reuerſus crederetur, lenta voce planctum emittebat: quod cùm hoſpira ſua audiret protinus accurrebat, & ei cibum volens dare, illa renuebat, dicens ſe epulis cæleſtibus ita refectam, vt carnalibus cibarijs de cætero nollet vti. Dictum eſt enim pòſt, quòd quidam Sacerdos eiuſdem villæ iuuenis, qui ei familiaris erat, ſecretò noctu ad eam veniebat, & eam delicatis cibis reficiebat, & ſpecies bene redolentes ad ſuperuenientes decipiendos ei afferebat; ita vt camera illa tota odore ſpecierum repleretur, vt odor ille in aduentu Angelorum ad ſe venientium ibi fieri crederetur. Sacerdos igitur quæ illa ſumere non poterat ſub ſtramento lectuli ſui ſagaciter recondebat, quod eidem tribus diebus vel quatuor ad victum ſufficere poterat: & vt dictus Preſbyter ſecretiùs & tutiùs ad eam venire poſſet, illa dicebat hoſpiti ſuæ, ne aliquando timeret ſi noctu oſtia domus aperiri, vel alium ſtrepitum audiret, quia à diabolo de nocte immoderatè moleſtaretur.

Cúmque cunctos ita deciperet, Fratres Prædicatores & Minores veniebant, & obſeruantes eam, fallaciam ipſius nunquam percipere poterant; ſed de ipſa, & ſanctitate eius & actibus iam in publico prædicabant. Quid plura? Epiſcopus ipſe Metenſis *Iacobus* ad eam venit, Comites quoque & Milites, Clerici, Monachi, & vtriuſque ſexus vniuerſus populus ad eam confluebat: ſed non dabatur omnibus copia eam videndi, quia cùm audiret tot & tantos ad ſe veniſſe, ſimulabat in ſpiritu, ſicut facere ſolebat, in cœlum eſſe deductam, & etiam prædicebat in tribus diebus non reuerſuram, & ita nulli aditus ad eam patebat. Illi verò qui ad eam videndam venerant, nec viderant, audientes ab incolis quæ faciebat, ad ſua reuertentes mira de ea neſcientibus narrabant. Epiſcopus verò Metenſis cum Clericis ſuis & Prædicatoribus qui cum eo erant, volens experiri ſi ita non manducaret neque biberet, & ſi in Spiritu raperetur, vt ipſa dicebat, fecit eam in aliam domum transferri. Ipſa verò in camera in qua jacebat nullum ſecum noctu manere patiebatur, quia Angeli eam cuſtodiebant, cùm diabolus eam ita importunè

Digitized by Google

importunè infeſtabat. Sed cùm ita cuſtodiretur, vtnec poſſet manducare, neque bibere; vt vel verbis ſuis de diabolo fidem faceret, ſimulans ſe de die in cœlum raptam, noctu ſurgens accepit plumas de puluinaribus in quibus iacebat, quaſi diabolus hoc faceret, per cameram ipſam & per domum, in qua cuſtodientes eam iacebant, diſperſit. Videntes verò credebant propter moleſtiam ipſius à diabolo hoc fieri. Dixerat quippè pluries à diabolo nimium inquietari, & hoc ibi & aliàs ſæpè feciſſe dicebatur: & ita in illa domo tribus manſit diebus & tribus noctibus, non manducans neque bibens. Et cùm videret ſe vlteriùs famem ſuſtinere non poſſe, rogauit Epiſcopum vt eam ad priorem locum ſuum reportari faceret, qui in viſione ad quam his tribus diebus rapta permanſerat, audierat ſi vlteriùs in ipſo loco, in quo diabolus eam plus ſolitò infeſtabat, moraretur, totum corpus eius diabolus in fruſta diſcerperet. Epiſcopus verò credulus eam ad priorem locum reportari fecit. Videns autem *Sibylla* (ita enim ei nomen erat) quia Epiſcopus, Prædicatores, & Fratres Minores, & alii qui eam obſeruabant factis ſuis fidem darent, ad maiorem ſe contulit audaciam; fecit quippe nigram tunicam fieri, & hiſpidam, & capucium diabolicum vultum habens, qua induebatur cùm ad cœlum ſe ſimulabat tranſlatam & loquens rauca & horrida voce audientibus magnum incutiebat timorem. Et quandoque noctu à camera exiens in illo diabolico & horribili habitu multis apparebat, & cum eis loquebatur; & quod mirabilius eſt dictu, per vicos & plateas de Marſal diſcurrebat, & obuiantibus ſibi dicebat ſe eſſe diabolum, qui Sibillam illam nefandam & impiam virginem impugnabat, & ita ab illis fugientibus relicta, ad cameram ſuam ſecretò reuertebatur. Contigit enim quadam die vnum de ciuibus illius villæ mori, qui à plurimis illius villæ non multùm bonus habebatur: quod cùm Sibylla ab his qui in domo erant audiuiſſet, nocte ſequenti laruâ ſuâ ſe induens (ſic enim talis habitus appellabatur) venit ad oſtium cameræ, & his qui in domo erant quaſi diabolus eſſet, rauca voce dixit: Heu! heu! quantum damnum iſta mala mulier Sibylla mihi hodie intulit, quia amicum meum qui hodie mortuus eſt, mihi violenter

abſtulit. Ipſa enim ad cœlum hodie rapta eſt, & vſque ad tertium diem non reuertetur: & ita ſuffragiis ſuis & orationibus ſibi eum retinuit: ego enim credebam eum meum eſſe, & volebam eum ad ſpatioſum pratum meum deducere. Illi verò audientes interrogabant vbi eſſet pratum illud? Quibus reſpondit; Ego habeo pratum valdè ſpatioſum & delectabile, in quo ego amicos meos ad ſpatiandum deduco. Pratum illud ſemper rore ſulphureo, & igneo conſpergitur: ibi ſunt iocoſa reptilia, & animalia viperea & ſerpentina, & angues, & buffones, & alia plurima puſilla cum magnis; cum quibus amicos meos dilectiſſimos conuerſari & iocari facio, & in illo ſulphureo rore ab Angelis meis pro deliciis volutantur. Sed quia iſta mulier mihi hodie tantum amicum abſtulit, libenter eam in fruſta diſcerperem! ſed non audeo, quia Angeli cuſtodiunt eam. Heu mihi miſero: quare iſta contra me, & malo meo vobis annuncio? quia quàm citò ad Magiſtrum meum Sathanam reuertar, ipſe me ob hoc fœdiſſimis cruciatibus tradet: Sed non audeo propter iſtam malam mulierem dimittere, vt vobis iſta annunciando, vobis caueatis; vobis etiam dico ipſis, & audientibus me, ne in illud ſpatioſum pratum veniatis. Epiſcopus itaque, & alii audientes, verè credebant eſſe diabolum, qui eis talia referebat. Sequenti enim die cùm Epiſcopus & Prædicatores tantùm ad eam videndam intraſſent, quia aliis non licebat, inuenerunt eam in lectulo ſuo iacentem rubicunda facie, quaſi dormientem, & ſubtiliſſimos pannos & candidos circa ſe habentem, & coopertorium capitis ſui tam ſubtile erat, vt diceretur nunquam à manu humana tale fieri poſſe. Iacebat enim quaſi dormiens, habens anhelitum tam ſubtilem, vt vix ab aliquo percipi poſſet vtrum anhelaret an non: & quia nemo eam tangere audebat, hoſpitam eius interrogabant, vnde tam candidi panni & bene redolentes venerant. Reſpondebat ſe pluries quando à ſuperis reuertebatur, eam in tali ſtatu inueniſſe, & quia ei ſæpius dixerat lectum ſuum ab Angelis refectum fuiſſe, & ab iis ornamenta ipſa recepiſſe. Aſſerebat etiam ei ab eis aquam benedici, vt verſutias diaboli ipſam impugnantis ſuperare valeret: erat enim ad caput ipſius ſatis pulchrum vaſ-

Digitized by Google

culum poſitum, in quo ipſam aquam miſerat; de quâ ipſe Epiſcopus & Prædicatores, & alii plures, vt ſe à diabolo tutarent, ſe aſperſiſſe, & ex ipſa aqua olida bibiſſe feruntur. Quid plura? Iam Epiſcopus Eccleſiam ædificare deliberabat, in qua quia non comedebat, neque humaniter viuebat, ipſam ponere volebat, vt ad eam confluentes talia mirabilia delectarentur aſpicere: cùm ſubitò illud Euangelicum; *Nihil occultum quod non reueletur*, apparuit. Namque cùm vna die ad ſuperna ſe rapi prædixiſſet, & oſtia bene ſerrata eſſent, & hi qui in domo erant ſe pauſatum dediſſent; illa de lecto ſuo ſurgens ſibi ſternere cœpit, & diuerſas voces emittens quaſi opponentis & reſpondentis, vnam habens horribilem quaſi diaboli, aliam verò ſubtilem quaſi Angeli, audiebantur quaſi conflictus duorum: quare quidam Prædicatorum conflictum illum ſubtiliùs volens audire, acceſſit ad parietem cameræ, & circunſpiciens caſu tenuiſſimam inuenit rimam, & aſpiciens per eam vidit illam, quam credebant raptam fuiſſe, lectum ſuum reficientem; & aduocans Epiſcopum oſtendit illi quid illa interiùs faciebat. Epiſcopus verò cum aliis ad oſtium venientes, illud fregerunt. Quod illa videns proiecit ſe in lecto imperfecto. Illi verò introeuntes leuauerunt eam de lecto, & cogentes eam omnes actus ſicut ſupra ſcripti ſunt, expoſuit, & quod haberet eſcas ſub lecto ſuo abſconditas, quibus paſcebatur, quod & inuentum eſt. Epiſcopus verò & Prædicatores, & alii omnes qui aderant videntes ſe tandiu à tali muliercula fore deceptos, ineffabiliter doluerunt. Videbant enim oculata fide laruam illam, ſcilicet veſtimentum illud diabolicum, eſcas abſconditas quibus illa veſcebatur, & ornamenta lecti ſui, & alia vtenſilia quibus illa tot & tantos viros & mulieres, & qui credebantur eſſe ſapientiores, magis ac magis confundebantur. Alii clamabant vt combureretur, alii vt aquis ſuffocaretur, alii vt viua deffoderetur. Beguinæ verò, quæ ad hoc ſpectaculum venerant, iſta audire non poterant: coopertis capitibus flentes & eiulantes, quia neminem præ pudore videre poterant, in ſua reuertebantur. Epiſcopus verò pudibundus ſuas iniurias non ferens, voluit eam interficere: ſaniore tamen vſus conſilio mulierẽ illã incarcerauit, cõceſſã tamen ei

paruâ feneſtellâ, per quã ei modicum panis & aquæ porrigebatur; pauco enim ſuperuiuens tempore, in ipſo carcere mortua eſt. Sic Deus ea quæ per ipſum non fiunt, breuiter diſſoluit.

De gente quadam horrida quæ Tartarini dicebatur, quæ multas regiones & regnum Hungariæ vaſtauit.

CAPVT XIX.

Contigit ante hoc quaſdam gentes neſcio vnde ebullire; immenſus ſiquidem erat eorum exercitus & innumerabilis, facie quidem horridi, cultu horribiliores, Tartarini appellati, vnde quidam eos à Tharſo Ciliciæ nominatos dicebant. Alij verò aſſerebant eos Iudæos illos eſſe quos ferunt ab Alexandro Rege magno intra Caſpios mõtes quondã fuiſſe incluſos ſed adhuc ignoratur vnde tanta multitudo gentium ebullierit. Venerunt quippe per Bulgariam & Poloniã & per plures alias Oriẽtis regiones, vniuerſa quæcunq; inueniebãt ſine miſericordia interficiebãt: ſicut Gothi & Vvandali in his Occidentalibus partibus quondam feciſſe legũtur. Intrantes denique regnum Hungariæ, vt breuiter dicam, ita illud depopulati ſunt, vt nec ciuitas vel vicus, vel munitio aliqua, vel homo vel mulier, vel demum aliquod pecus ſaluum remaneret: excepto quòd Rex in interioribus ſyluarum, locis, quibus terra illa abundabat, cum paucis ſe occultaret. Denique vſque ad Danubium fluuium venientes, Alemanniam totam, & etiam Franciam totam ſe occupare debere jactabant. Sed quidam ferunt inſtinctu Frederici tunc Imperatoris eos Hungariam intraſſe, eo quòd Rex Hungariæ regnum ſuum ab eodem Imperatore recipere nollet, quod rei exitus poſteà comprobauit. Nam Rex Hungariæ compulſus dominio Imperatoris ſe ſubdidit, & regnum Hungariæ ab ipſo recepit, & ita illi Tartarini à regno Hungariæ exeuntes, neſcio quò ad ſua reuerſi ſunt.

Digitized by Google

De Henrico Abbate huius loci Senonienſis, & actibus eius.

CAPVT XX.

De *Henrico* quidem, de quo ſuperiùs mentionem aliquantulùm fecimus, huius loci Abbate, quia noſtris temporibus oculata fide actus ipſius & vidimus & cognouimus, huic paginæ adnotare non pigebit, Fuit equidem idem Hēricus de ciuitate Metenſi oriundus, perſonâ quidem ſatis honeſtus, aliquantulúm literatus, moribus Monaſticis, vt ætas illa exigebat, admodum ornatus, officio diuino libenter inſiſtens, ſolemnitates Sanctorum in officio diuino cantando, legendo, ordinando, ſatis compendioſè decorabat. Sed in rebus conſeruandis aliquantulùm vltra metam ſollicitus erat. Hic in principio ſuæ ordinationis Monachis huius loci ſatis parcè miniſtrabat, ita vt inter ipſum & Monachos lis ingens oriretur. Abbas verò videns ſe à Monachis vrgeri, Comitem Henricum de Salmis & Comitiſſam adiit, & ſe eis tanta iunxit familiaritate vt pro voluntate ſua dictum Comitem & Comitiſſam haberet. Adduxit eos nempe ad Clauſtrum, & tantâ inſtantiâ prædictos per Comitem & Comitiſſam Monachos adgreſſus eſt; vt ipſi Monachi vel prece vel pretio, vel demum minis coacti Abbati ſe ſubmiſerunt. Vnde idem Abbas dicto Comiti & Comitiſſæ ex tunc ſubiectus fuit; vt quicquid idem Comes in valle Senonienſi, vel in cunctis appendiciis ſuis agere volebat, nutu & voluntate ipſius Abbatis fiebant vniuerſa ſine contradictione aliqua: ita vt in talliis, & aliis exactionibus, quas idem Comes in hominibus vallis agere volebat, ſine repulſa, quod ante non fuerat, exercebat. Vnde ſæpe idem Abbas pectus ſuum pugno tundens, nobis referebat ita dicendo: Væ mihi! Quid feci? Quia cùm ego Abbas ad hunc Senonienſem locum electus fui in tota valle Aduocatus loci iſtius vix quatuor librasvel centum ſolidos Tullenſes accipiebat, quod precaria dicebatur: & ego ſuſtinui quòd illi centum

ſolidi libræ facti ſunt. Et ſic inoleuit quod Aduocatus ex tunc pro voluntate ſua tallias, & alias rapinas exegit. Veniamus verò ad alia quæ bene fecit, & deinde malefacta referemus. Videns igitur idem Abbas quòd voluntati ſuæ nullus Monachorum ſuorum contradicere audebat, quomodo vel quando volebat, erat pro ratione voluntas. Bona igitur voluntas eius prima hæc fuit. Conſtruxit apud Archum molendinum ſuper Mortam fluuium ſitum. Acquiſiuit etiam Eccleſiam S. Hilarii Metenſis ad Pontem Renmonis. Ædificauit quoque apud Roitſei domum lapideam in curia noſtra ſitam. Fuit denique Eccleſia Senonienſis, & omnis domus cum appendiciis ſuis tempore ſuo locuples & omnibus bonis plena. Sed vnum erat in eo, quòd Eccleſiam Senonienſem valdè oppreſſit, Præpoſituram de Curte omnino deleuit, Eleemoſynarium amouit, Cameratiam in manu ſua tenuit, omnes Obedientias ferè ita ſibi retinuit, vt nullus Monachorum ſtatum Monaſterii intus vel extra ſcire poſſet. Vnde in aliis locis quæcunque hebebat, commendabat. Poſtquam verò viginti & vno annis Senionenſem Eccleſiam rexit, infirmitate detentus, apud Bellum pratum diem ſortitus eſt extremum, & ad Monaſterium deductus in Capitulo noſtro ſepultus eſt.

De Comitatu de Daſporch, quomodò diſſipatum eſt dominium, & nomen perdidit.

CAPVT XXI.

COntigit igitur eo tempore Ducem Lotharingiæ *Theobaldum* ab hac vita migrare, qui ſortitus fuerat filiam Comitis de Daſporch in vxorem: vnde ei Comitatus caſtris & munitionibus, & oppidis ditiſſimus, & tertâ fertili admodum ditatus. Sed dictus Dux non dimidians dies ſuos iuuenis obiit; & ita vxorem cum Comitatu reliquit. Comes verò Campaniæ adhuc adoleſcens audiens Comitatum illum tam opulentum, relictam Ducis Lotharingiæ accepit in vxorem, & hoc cauſâ Comitatus. Sed cùm eam aliquan-

Digitized by Google

diu habuiſſet, quia ſterilis erat, eam repudiauit. Ipſa verò Comiti de Liguigne nupſit. Sed non poſt multos annos ambo mortui ſunt. Ita Comitatus de Daſporch hærede caruit. Mira res & inopinata, quia, vt fertur, mulier illa de qua agitur, fuit à nobiliſſimis & Chriſtianiſſimis progenitoribus procreata. Nam B. Leo Papa, cuius vitâ & moribus ſancta illuſtratur Eccleſia, de eius ſtirpe natus fuit, cuius pater fundator Eccleſiarum extitit clementiſſimus. Ædificauit quippe Monaſterium Sanctimonialium iuxta oppidum Saleborch, quod Heſſa vocatur, & propriis ditauit ſumptibus. Aliud quoque Monaſterium Monachorum ſub regula B. Benedicti degentium in Alſatia conſtruxit, quod Altorph vocatur. Tertium item Monialium in Epiſcopatu Baſilienſi extruxit, quod Vvffemhem dicitur. Si fas eſſet os ponere in cœlum, dicerem quare tam nobilis progenies & tam ſancta, per ſæpedictam mulierem hærede caruit: immò, idem Comitatus nomine tam famoſo caruit: nam Metenſis Epiſcopus *Ioannes* audiens defectum hæredum illius Comitatus quædam Caſtra ſcilicet Herneſtem & Turqueltem, & quædam oppida peroptima, videlicet Alban & Salaborch, & Comitatum ciuitatis Metenſis, & terras & homines, quæ omnia Comes de Daſporch à priſcis temporibus nomine feudi poſſederat, ab eodem Epiſcopo ad ius & proprietatem Metenſis Epiſcopij reſumpſit & ſaſijt. Frater verò dicti Comitis defuncti ad caſtrum Daſporch cum armis veniens ipſum obtinuit. Mirum dictu! vt meliùs dilaceraretur; etiam ij, ad quos nihil penitùs de Comitatu ipſo pertinebat, munitiones & terras ſibi vſurpare præſumpſerunt. Epiſcopus namque Argentinenſis *Bertoldus* cùm videret ſibi adiacere duo caſtra fortiſſima, Ginrebade ſcilicet & Verueſtem, cum appendiciis eorum, ſolerti induſtria acquiſiuit & obtinuit. Et ita Comitatus de Daſporch celebre nomen cum rebus amiſit.

De Vvidérico Abbate Senonienſi poſt Henricum electo & actibus eius.

CAPVT XXII.

MOrtuo quippe Henrico Abbate de quo ſuperiùs mentionem fecimus, ſucceſſit ei *Vvidericus* vir honeſtæ perſonæ, & ornatus moribus, de parentela militum de Scouagio generatus, in hac noſtra Eccleſia nutritus & doctus ſecundùm morem Monachorum: ad legendum & cantandum ſatis aptus, moribus prædeceſſoris ſui ſe conformans officio diuino inſiſtebat, intus & exteriùs prouidus, quæ inuenit diligenter obſeruauit. Huius anno ſecnndo caſtrum Altæ-petræ deſtruitur. Præterea idem Vvidericus officia diuina decentiùs quàm prædeceſſor ſuus, conſuetudines Monaſterij inſtituit; Verbi gratiâ quia cùm prædictus Henricus huius loci Abbas electus eſt, Horæ de B. Virgine *Maria* in Conuentu non cantabantur, ſed finitis Matutinis canonicis Conuentus ante altare S. Crucis Matutinas de S. *Maria* in directum dicebant, & laudes de omnibus ſanctis. Prima verò, Tertia, Sexta, Nona, Completorium in Conuentu minimè dicebantur. Veſperæ verò de Domina noſtra ante altare ſanctæ Crucis, ſicut & Matutinæ dicebantur. Henricus verò Abbas effectus, inſtituit vt decantatis Matutinis Canonicis, Conuentus Reſponſorium de B. Virgine *Maria* cantando cum lumine ad Eccleſiam B. *Mariæ* properaret, & ibidem Matutinas celebraret. Cæteræ verò Horæ in Eccleſia B. Petri poſt canonicas Horas decantarentur; excepta Veſpera, quæ ſicut & Matutinæ in Eccleſia B. *Mariæ* Virginis cantaretur. Matutinalis verò Miſſa, quæ antea ad S. Simeonem in Conuentu celebrata cantabatur, ad S. *Mariam* cum Tertia præcedente decantarent. Conſtituit etiam idem Abbas Henricus, ne B. Simeon Miſſa fraudaretur, voluit vt ibi priuatim Miſſa fieret, & qui eam cantaret, menſuram vini per portionem quotidianam de cellario acciperet. Ita iſta omnia quandiu vixit diligenter obſeruata ſunt. Succedente autem

Digitized by Google

autem ei dicto Vvidérico, præter ea quæ iam dicta ſunt de ordinatione ipſa, quam dictus Abbas Henricus inſtituit de Horis B. *Mariæ*, iſte Vvidericus ex aliqua parte decentiùs conſtituit. Conſiderans quippe quòd Canonicæ Horæ ex integro in maiori Eccleſia non cantarentur, voluit vt Miſſa matutinalis cum Tertia præcedenti, quæ à prædeceſſore ſuo ad S. *Mariam* cantanda, inſtituta fuerat, ad S. Simeonem in Conuentu, ſicut priùs, decantaretur. Tertiam verò Miſſam ad S. *Mariam* inſtituit quotidie celebrari; ita vt omnibus diebus anni, excepto die Paraſceue, ibidem Miſſa de S. *Maria* ſolemniter celebraretur, ſed non à Conuentu; immò qui hebdomadarius maioris Miſſæ & matutinalis eſſet, hanc tertiam Miſſam ad S. *Mariam* cum coadiutore celebraret: & menſuram illam vini quæ pro Miſſa S. Simeonis dabatur, iſte qui Miſſam S. *Mariæ* celebraret, quotidie de cellario acciperet: quod & tempore noſtro perdurauit. Clauſtrum quoque columnis & teſtudinibus ædificauit ab oſtio Monaſterij, quod ducit ad Capitulum, per partem illam quæ Conuentus dicitur, per partem Dormitorij vſque ad Refectorium, ſicut hactenus apparet. Emit denique quamdam poſſeſſionem apud Regiſuillam in Alſatia octoginta marcis argenti; quæ poſtea perdita fuit tempore Balduini Abbatis, ſicut in ſequentibus exponetur.

De lite VVidérici Abbatis & Henrici Comitis de Salmis.

CAPVT XXIII.

Cùm igitur iſte Abbas *VVidericus* rempublicam quam ſtrenuè gubernaret, ſubitò oritur contra eum ſatis lamentabile bellum. Comes quippe *Henricus* de Salmis litem iniit cum quibuſdam fratribus ipſius Abbatis, *Ioanne* ſcilicet, *Ioffrido*, militibus, & *Rodulfo* de Oucrois, dicens eos eſſe de familia ſua; quod illi inficiabantur. Vnde Comes iratus abſtulit eis vniuerſa, quæ in Comitatu ſuo poſſidebant. Quod Abbas valde ægrè ferens, Comitem ſuper ve-

xatione istius Ecclesiæ coram Metensi *Ioanne*, & Tullensi Episcopis conuenit, & diu hinc inde sine terminatione litigatum est. Hoc cùm vidisset Abbas, credens Comitem citiùs ad pacem posse euocare, Conuentum totum à Monasterio discedere fecit; & partem Monachorum secum apud Rambertiuillare ad commorandum duxit: alios verò ad Cellam Leonis-montis misit. Inito etiam consilio corpus B. Simeonis de capsa argentea extrahentes, ad ipsam Cellam deportauerunt. Tamen quinque Monachi remanserunt in Monasterio, qui Comiti fauebant: qui Comes eis necessaria ministrabat. Quod cùm videret Abbas dictos quinque Monachos in malitia perseuerare, Episcopos Metensem & Tullensem adiit, & eis nunciauit quomodò dicti Monachi contra voluntatem suam & Conuentus, locum Senonien-sem occuparent. Episcopi verò consenserunt in hoc, quòd ipsi Monachi captiuarentur, quod & factum est. Episcopus quippe Metensis præcepit cuidam Præposito suo *Richerio* Spinalensi, vt dictos Monachos in turri apud Rambertiuillare captiuaret. Vnde quatuor ipsorum inuenti sunt, de quibus actum est sicut præcepit Episcopus. Quintus verò qui aberat non est tentus. Cùm se res ita haberet, quidam considerantes quòd nunquam Comes & Abbas pacificarentur, nisi priùs fratres Abbatis pacem cum Comite haberent. Vnde Comes cum iis pacem iniit; & vniuersa quæ eis abstulerat restituit, & ipsos liberauit; & super hoc Literas patentes eis contulit. Tractatum quippe est de pace inter Comitem & Abbatem, promisitque Comes Abbati, quòd vniuersa quæcunque ipse Comes Ecclesiæ Senonien-si abstulerat, restitueret. Sed Abbas talibus promissionibus deceptus ad Monasterium cum suo Conuentu reuersus est: & ita sub tali facto ex tunc amici facti sunt. Monachi verò, qui captiui tenebantur antea, dimissi sunt. Ædificauit quippe idem Vvidericus Abbas cameram inter portam anteriorem & Monasterium sitam.

Digitized by Google

Quomodò VVidericus Abbas Senonienſis ad regimen S. Apri Tullenſ. tranſiuit, & de electione Balduini Abbatis Senonienſis.

CAPVT XXIV.

ELapſo quippe non paruo tempore, cùm hanc Eccleſiam ſatis competenter rexiſſet, Eccleſia S. Apri Tullenſis tunc temporis orbata eſt proprio Paſtore. Fratres verò illius loci ad acquirendum ſibi Paſtorem diu laborantes, Epiſcopum *Rogerum*, qui tunc temporis ſedem obtinebat Tullenſem, vt de Abbate eis prouideret, adierunt. Epiſcopus verò quia valde Abbatem *VVidericum* huius loci diligebat, conſuluit vt ipſum Vvidericum ſibi peterent in Abbatem, quod & fecerunt. Abbas verò quoſdam cognatos Monachos ſuos in hoc loco habebat, de quibus vnum ad regimen huius loci promouere ſtudebat, quod Conuentus omninò recuſauit. Cúmque videret, eo ſe nihil proficere, Epiſcopum Metenſem & Tullenſem, ſcilicet Ioannem & Rogerum, necnon & Abbatem Vvillermum S. Manſueti Tullenſis, qui ei familiariſſimus erat, & alios quamplures Magiſtros & Clericos huc ſecum adduxit, credens per tot & tantos viros Conuentum huius Senonienſis loci ad deſiderium ſuum inclinare poſſe. Qui ſatis ſagaciter exhortationibus, precibus & minis, perſonas ſigillatim & Conuentum in vnum aggredientes, nullomodo ipſum Conuentum ab intentione ſua amouere potuerunt. Dicebat Conuentus ſe electione velle gaudere: Abbas verò è contra dicebat, quod nondum reſignauerat, ſed volebat in hoc loco Abbas remanere. Quid plura? Omnes imperfecto negotio receſſerunt. Abbas verò Vvidericus videns ſe ita nihil proficere, aliud iniit conſilium credens perſonas maiores muneribus ad ſe adtrahere poſſe. Contulit vni nanque Eleemoſynariam, alij Camerariam, alij Theſaurariam, alij Prioratum huius loci: aliis autem exteriores obedientias promittebat, dummodo

votis ſuis fauere vellent. Illi verò obedientias ſibi oblatas libenter ſuſceperunt, ſed nullomodo voluntati ſuæ acquieuerunt. Quid Conuentus faceret, qui tot impulſionibus terebatur? quia cunctis diebus aut per Epiſcopos aut per Abbates, ſeu etiam per milites & laicos, vt voluntati dicti Abbatis adquieſceret admonebatur? Sed nec ſic voluntas Conuentus immutata. Ipſe verò Abbas cùm videret quòd deſiderium ipſius effectum non haberet, laborauit vt electio noſtra duobus Epiſcopis dictis, quia ipſos propitios habebat, abſolutè conferretur. Et die aſſignata apud Bellumpratum conuenimus. Epiſcopi verò inſtanter petebant, vt voluntati ipſius Abbatis conſentiremus, quod minimè contigit. Epiſcopi verò videntes Conuentum noſtrum in hoc tam conſtantem, Abbatem nobis nominauerunt, Eleemoſynarium ſcilicet S. Vitoni Virdunenſis, qui venire contempſit. Aſpirabat enim ad Abbatiam loci illius, quia Abbas ille decrepitus erat & valde debilis. Cùmque Abbas Vvidericus videret quòd dictum Eleemoſynarium habere non poſſemus, rediuiuâ inſtantiâ nos ſollicitare cœpit, vt intentioni ipſius manus daremus, nec impetrare potuit, ſed fortiùs electionem noſtram impediebat. Nos verò in tanta anguſtia conſtituti, neceſſitate coacti penes nos deliberare cœpimus, ſi quoquomodo inſaniam ipſius mitigare poſſemus, Cellam noſtram Leonis-montis ei contulimus, & ſuper hoc literas ſigillo Conuentus ſigillatas ei dedimus. Et ita diem electionis conſtituimus. Qui ad ipſum veniens, partem ſuam Monachorum conſuluit: habebat enim ſeptem vel octo de Fratribus Conuentûs, qui parti eius fauebant; vnde nos in electione procedere non poteramus. Demum de electione tractantes arbitrati ſumus meliùs eſſe vt inter tres perſonas compromitteremus, quam per ſcrutinium, vel alio modo in electione procederemus. Quod & ipſe Abbas & complices ſui conceſſerunt; ita tamen quod vnus illorum trium de parte ſua acciperetur. Conuentus verò Nonnum *Ioannem*, & me Fratrem *Richerium* elegit: Abbas verò & fautores ſui *Fridericum* Priorem de Xures nobis duobus iunxerunt. Nos verò eidem Friderico omnes perſonas idoneas huius loci nominauimus; quas omnes re-

Digitized by Google

cuſauit. Obtulimus ei etiam Priores & alios idoneos viros, quos etiam repudiauit. Quod cùm idem Fridericus Abbati Vvidérico omnia verba noſtra retuliſſet, idem Abbas fertur dixiſſe: Si Monachi iſti nolunt conſentire, ego faciam quod ipſi miſerum Abbatem habebunt, & ita in Balduinum conſenſit qui tunc de nouo Prior Vvaringiuillæ effectus erat. Quem nos, vt debebamus, poſtulantes, eum Epiſcopo Tullenſi Rogero præſentauimus. Quem cum ingenti difficultate ſuſcepit, & tandem vix electionem confirmauit. Qui ad ſedem ſibi de nouo conceſſam circa Purificationem B. *Mariæ* Virginis veniens, cum grandi ſolemnitate & proceſſione à Conuentu receptus eſt. Abbas verò Vvidericus ad regimen, ad quod poſtulatus erat, perrexit: & quicquid in hoc noſtro loco & in appendiciis habere potuit, aſportauit: quia ei neceſſaria fuerunt in introitu ad S. Aprum. Nihil quippe in eodem loco in ſupellectili reperire potuit, excepto ſolo aſino qui ad coquinam Monaſterii quotidie ligna afferebat. Inuenit verò vniuerſam ſupellectilem ipſius Monaſterii S. Apri in toto alienatam: calices, cappæ ſericæ, & ornamentum Eccleſiæ cuidam mulieri Metenſi inuadiata erant. Curtes etiam & alia bona vel pignori detinebantur, vel ex toto alienata erant. Sed Deus omnipotens ei tantam in oculis omnium contulit gratiam, vt hæc omnia ſupradicta ſolerti prudentia & ſagacitate ad ius & proprietatem ipſius Eccleſiæ S. Apri in breui reuocauerit: & ita paruo tempore ipſam Eccleſiam bene rexit. Sed quia tali viro mundus dignus non erat, ab hac vita ſublatus eſt. Sepultúſque eſt in Eccleſia S. Apri in tumba eleuata lapidea, ſatis decenter ſculpta ad dexteram partem iuxta parietem Eccleſiæ, cui Deus omnipotens det æterna gaudia in cœlis per infinita ſæcula, Amen.

De Balduino Abbate Senonienſi, & moribus & actibus eius.

CAPVT XXV.

Reuertamur igitur ad noſtrum Balduinum, qui iam ſedem obtinet Senonienſem. Adhuc adoleſcens ætate & moribus, velox ad audiendum, nec tardus ad loquendum, nec tardus ad iram, proprio vtens conſilio, nulli niſi garrulis & adulatoribus credens, propriam gloriam quærens ſemper extitit. In primordio quoque ſui talis erat vſus ad nos loquendi: Fratres, vos videtis me eſſe iuuenem, & adhuc mores veſtros, vel Monaſterij vſum, vel demum ſtatum rerum minimè cognoui: ſiqua indecenter dixero vel fecero, arguite me, & docete. Sed tamen admonitus, pauca aut nihil emendabat. Tamen cùm primo anno ſui ingreſſus ad nos cognouiſſet quòd Abbas S. Apri, tunc viuens, Cellam Leonis-montis, ſicut ei contuleramus, obtinere vellet, ſtatim ad Viſitatores Prouinciæ Ordinis S. Benedicti in Prouincia Treuerenſi conſtitutos feſtinanter eucurrit, & ab eis impetrauit literas ad Abbatem Vvidericum S. Apri, vt ſtatim viſis literis cellam Leonis-montis quam occupabat, Eccleſiæ Senonienſi reſtitueret: aliter ſe ſciret excommunicatum. Ita Cella illa ad ius & proprietatem Eccleſiæ Senonienſis reuerſa eſt. Eccleſiam quoque de Columbario, quæ priùs ad donationem huius Eccleſiæ pertinebat, tempore ſuo acquiſiuit. Similiter Eccleſia de Fonteniers tempore ſuo acquiſita eſt, ſed ſub nomine S. Chriſtophori de Vico, licet idem Abbas Balduinus ipſam ſemper tenuerit, & fructus acceperit, & ipſam pignori obligauerit, Conuentu non conſentiente, immò contradicente: ſed nihil pro contradictione ipſius obmiſſum eſt. Præterea in ædificiis domorum erigendis & conſtruendis ſatis ſollicitus erat. Partem quippe clauſtri, quæ coram Eccleſia S. *Mariæ* eſt, ſicut deceſſor ſuus Vvidericus Abbas partem alteram conſtruxerat, cœpit ædificare. Habebat enim duos Lapicidas, vnum Conuerſum, & alium familiarem Præbendarium, qui operi-

Digitized by Google

bus huius Monaſterij diligenter inſiſtebant. Conſtruxit etiam quædam molendina de nouo, alia verò vetera reſtaurauit; vnum ſcilicet apud Reclonuille, pro quo inſtruendo quidam Simon Canonicus S. Deodati, cognomento Diabolus (quia filius eſſe dicebatur cuiuſdam nobilis militis, qui Therricus Diabolus dicebatur, hoc cognomẽ Diabolus acceperat) XV. libras Abbati contulit, vt partem in eodem molendino quandiu viueret, acciperet. Sed morte præuentus, dictas XV. libras pro remedio animæ ſuæ acquitauit. Abbas vero annuatim inſtituit in anniuerſario dicti Simonis de ipſo molendino Conuentui Senonienſi pro pitantia quinque ſolidos Tullenſes dari. Sed quia incertum erat quod in futurum dicti quinque ſolidi Conuentui ordinatè darentur, conſtitutum eſt quòd domus de Ogieuiller ad dictum molendinum ſine motura moleret, & dominus domus, ideſt Pitantiarius ſingulis annis in anniuerſario dicti Simonis Canonici S. Deodati V. ſolidos Tullenſes Conuentui Senonienſi pro pitantia perſolueret. Aliud verò conſtruxit molendinum apud Chaneſeres quod pertinet ad Eleemoſynariam. Tertium quoque inſtaurauit, quod priùs erat, ſed debilitatum, iuxta Meuruiler ſitum. Quartum quoque apud Lorefingue ſitum perfecit; quod Petrus bonæ memoriæ Præpoſitus de Anpſalmiuillare priùs inchoauerat. Alia etiam ædificia per domos inſtruxit. Si vniuerſos eius alios actus, ſicut prædeceſſorum ſuorum feci, ſcriberem, fortè mihi ad iniquitatem reputaret, vel hoc odii cauſa me feciſſe aſſereret: Vnde meliùs arbitror ſilere, quàm loqui, dicente Domino per Moyſen: *Verenda patris tui non reuelabis.* Sed ſi cum his, quæ benè geſſit, mores Ordinis copulaſſet, Monachos ſuos paternò affectu dilexiſſet, & eos tam indiſcretè non blaſphemaſſet, ſi officio diuino libenter interfuiſſet, & diuina ipſe celebraſſet, plùs ſolito & in agendis Monaſterii ſolicitior fuiſſet, & demum Conuentus ſui frequentiùs vſus fuiſſet conſilio, & in pluribus aliis articulis non tantummodò Monachum, ſed & Abbatem religioſum ſe demonſtraſſet, nullum præter eum Sedi Senonienſi optaremus præſidere. Sed quia plurima ſecùs fiunt, neceſſe eſt vt ad tempus ſuperſedea-

mus, præsertim quia idem Abbas eo tempore, cùm ego hæc scribebam, adhuc viuebat; Vnde facta scribere nequibam. Tamen quadam virtute præfulgebat, hospitalitates sectabatur, & præcipuè milites & clientes, aliásque honestas personas lætissimè hospitio suscipiebat; & etiam ioculatores gratanter videbat, vt hospites suos iocundiores redderet. Sed quia de Domno Balduino satis compendiosè scripsimus, quod de vita sua supersest, & quid in futurum acturus sit, Deo hoc relinquamus, qui vitam ipsius & actus, & etiam omnium nostrum bono potest concludere fine.

De Henrico de Danubrio, dicto de Salmis, & de iniqua morte eius.

CAPVT XXVI.

SEd ne malefactores huius nostræ Ecclesiæ preterire videamur, aliqua facta ipsorum, & vindictam quam meruerunt, breui stylo huic paginæ adnectere curauimus. Incipiamus igitur à Comite *Henrico*, qui dictus est de Salmis, qui & contemporaneus noster fuit, qui tempore Henrici Abbatis, de quo supra diximus, tallias & exactiones in hominibus Ecclesiæ plùs solito, de permissione tamen ipsius Abbatis Henrici, exercebat. Cuius tempore castellum in Bruscaualle in fundo huius Ecclesiæ, quod Salmis dicitur, tempore dicti Abbatis Henrici constructum est. Quod nomen à quodam castro quod in territorio Ardenæ situm est, vnde idem Comes & sui prædecessores orti sunt, accepit. Hic vxorem sortitus est, scilicet sororem Friderici Ducis Lotharingiæ, de qua genuit duos filios, primogenitum scilicet Henricum nomine, & alium nomine Fridericum. Cum igitur dictus Henricus ad ætatem perfectam peruenisset, accepit sibi vxorem de stirpe Comitis Barrensis, deinde petiuit à patre sibi dari partem Comitatus, qui contulit ei superius castrum de Danubrio * cum terra ad ipsum castrum pertinente, scilicet, centum mansos qui quondam à mensa Monachorum Senonensium ab-

* alias Vinario

scissi

ciſi ſunt, & collati ſunt Aduocato huius loci, vt ad cætera manum non extenderet. Quod tamen caſtrum Comes de Salmis ab Epiſcopo Metenſi obtinet. Idem verò Henricus diu cum vxore ſua ſine liberis fuit. Quod mulier ægrè ferens, quemdam Capellanum ſuum, qui ſe de Phyſicæ artis peritia iactabat, rogauit vt, ſi quid poſſet, laboraret vt de viro ſuo concipere poſſet. Capellanus verò potiones quaſdam dedit eis: illa concepit: vir quoque in infirmitatem decidit; de qua poſtea, vt fertur, interiit. Idem verò Henricus, quandiu vixit, iſti Eccleſiæ valdè moleſtus fuit. Erat quippe vir bellicoſus & ſuperbus, in iuuentute ſua & virtute vltra modum confidens, ita vt ad regnum Alemanniæ aſpiraret, debitis magnis obligatus, vnde vbique quaquaverſum poterat, Eccleſias moleſtabat, & earum res, vt poterat, diripiebat. Vnde contigit Vvidericum Albatem huius loci ad eum venire. Poſtulabat enim, vt res quaſdam ſibi ablatas reſtitueret. Vnde miles iratus reſpondit ei, iurando per B. Nicolaum (eramus quippe in capella Beati Nicolai cum eo, quæ in caſtro Danubrienſi habetur) dicens quòd ante feſtum S. Remigij, & in perſona & in rebus ita moleſtaret ipſum Abbatem, quòd mallet eſſe vltra mare, nunquam reuerſurus. Quod Omnipotens occulto ſuo iudicio quodam vindicare dignatus eſt: ſednon multò poſt luce clariùs patuit. Nam circa feſtum B. Remigij, quo tempore minatus fuerat ipſum Abbatem enormiter ſe læſurum, ipſe infirmitate prædictæ potionis adgrauatus decidit in lectum & mortuus eſt. Idem verò Henricus dum adhuc viueret, inter cætera mala quæ facere cogitabat, propoſuerat Comitem Henricum patrem ſuum & matrem Comitiſſam de Comitatu totaliter expellere, & in aliquo Monaſterio detrudere vt ipſe terram poſſideret. Cum igitur mater ipſum Henricum filium ſuum mortuum eſſe ſciuiſſet, rumore iamdicto mota filium ſuum quantocyùs apud Altamſyluam ferri & ſtatim ſepeliri fecit. Sequenti verò nocte audita eſt vox quaſi plangentis in ſepulchro. Mane autem facto aperientes ſepulchrum inuenerunt eum, quem reſupinum altera die ſepelierant, verſa facie ad terram iacere. Et ſic cognouerunt quòd quando ſepultus fuerat, nondum expirauerat. Vnde

cognoſci poteſt, quòd qui ſuperbe contra Deum agunt, vix aut nunquan dimidiabunt dies ſuos, quia frangit Deus omnem ſuperbum.

De Henrico de Albomonte Comite, & malis quæ Eccleſiæ Senonienſi fecit, & vindicta Dei.

CAPVT XXVII.

VEniamus igitur ad Comitem *Henricum*, de quo ſuperiùs ſcripſimus; qui tempore Vviderici Abbatis Eccleſiam Senonienſem intolerabiliter oppreſſit, & patrimonium *Ieſu Chriſti* ſibi vſurpare præſumens, homines S. Petri diuerſis moleſtiis affligebat, vnde à proprio filio à domo propria expulſus eſt & poteſtate. Nam cùm filius eius Fridericus miles effectus fuiſſet, & videret Comitem qui pater ſuus dicebatur, præ ſenio debilitari, quod frater ipſius, de quo iam mentionem fecimus, molitus eſt facere ſi vixiſſet, iſte effectui mancipauit. Expulit eum quippe à caſtro de Albomonte, & quod nefas eſt dicere, ſolo garcione contentum, pedetentim vſque ad caſtrum quod Pierepercie, dicitur, ire coegit; & inde vſque ad caſtrum Salmis eodem tenore perrexiſſet; Sed Abbas Balduinus ei equum conceſſit, & ita à filio honore & poteſtate priuatus eſt. Nec ab illa die, qua cum Abbate Vviderico litigauit, poteſtatis vel honoris ſui dignitate gauiſus eſt: Immò quandiu poſtea vixit, in egeſtate & miſeria exhæredatus perdurauit, & ſic Deus ſibi aduerſantes remunerare conſueuit. Poſtea non multis ſuperuixit annis, ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Petri iuxta ſepulchrum venerabilis Antonii Abbatis, vbi etiam poſteà vxor Domini Henrici militis de Bayon ſepulta eſt. In quibus ſarcofagis ego propria manu ſculpſi imagines, & flores, & verſus, ſicut hactenus apparet. Contulit quippe idē Henricus Comes pro remedio animæ ſuæ triginta ſolidos Tullenſes accipiendos in tallia Vallis Senonienſis annuatim, quouſque terra aſſignata fuerit, valens ſingulis annis precium ſupra dictum. Contulit etiam decimas Nouæuillæ penes Fonteniers ſitæ, & quoſdam cenſus: quæ omnia

Digitized by Google

adhuc Eccleſia Senonienſis minimè poſſidet, & hoc propter negligentiam noſtram tantùm.

De Matthæo Præpoſito de Albomonte, & vindicta Dei in eum.

CAPVT XXVIII.

ERat igitur tempore iſtius Comitis apud Albummontem vir quidam nomine *Matthæus*, ſatis locuples, ſed malitioſus valdè: qui Præpoſitus erat in tota terra ipſius Comitis, qui omnia, prout volebat, diſponebat, & ſine ipſo in tota terra illa nihil fiebat, quem multi dixerunt eſſe patrem iſtius Friderici, qui Comitem, vt ſupra dictum eſt, tam impudenter à ſedibus ſuis expulit. Ille, quandiu vixit, cum dicto Comite Eccleſiam Senonienſem & ruſticos Eccleſiæ intolerabiliter moleſtauit & oppreſſit: vnde Deus in præſenti ſeculo eidem Matthæo condignas pœnas pro malefactis ſuis redonauit, neſcio quomodo in alio ſeculo habeat. Enimuerò cùm dictus Fridericus poteſtatem regnandi poſt Henricum Comitem ſuum putatiuum patrem accepiſſet, & idem Fridericus circunquaque Eccleſias ſibi adiacentes immoderatè vexaret & moleſtaret, Altamſyluam ſcilicet, quam iniquè & indicibiliter oppreſſit, Eccleſiam S. Saluatoris, nec non & iſtam Senonienſem grauiſſimis iniuriis laceſſiuit, ipſum Matthæum ſemper in ſuis omnibus habuit conſiliarium & adiutorem. Sed in his actibus malis ſibi Deum oppoſuit aduerſarium. Erat quippe tot & tantis debitis oneratus, vt vix aut nunquam in tota vita ſua ab his abſolui potuiſſet. Deus enim pro maleficiis ſuis quodam occulto iudicio ſuo opprimebat. Quid plura? Manus miſit in Matthæum, & cuſtodiæ tradidit, & ab eo quamdam ſummam pecuniæ extorſit, & quod à poteſtate ſua non diſcederet vel à terra, fideiuſſores pro ducentis libris ſibi dari fecit. Matthæus verò videns quod ſub tam iniquo dominio diu degere non poſſet, furtiuè ſe ad Metenſes contulit, & quod ei remanſerat, expendit: &

ſic ad oppidum Saleborç ſe tranſtulit; & ibi pauper & dolens infirmitate detentus, mortuus eſt, nihil ſecum præter peccata aſportans, ſepultus eſt apud S. Saluatorem.

De Friderico filio Henrici de Danubrio dicti de Salmis, qui etiam de Salmis dictus eſt, & iniquis actibus eius.

CAPVT XXIX.

IGitur cùm *Fridericus* de Albomonte poteſtatem regnandi accepiſſet, cunctis ſibi ſubditis & vicinis nequam & iniurioſus, ſicut patri & cæteris exſtiterat, ſic adhuç eſſe non deſiſtit. Grauauit quippe Eccleſiam Senonienſem pluribus iniuriis, ita vt neceſſitate vrgente oportuerit Eccleſiam iſtam ipſum ſuper iniuriis abeo illatis conuenire Quod idem Fridericus graue ferens, tanto impetu Abbatem Balduinum & Conuentum aggreſſus eſt, vt non tantùm cedere compulſi ſint, immò etiam totam cauſam & querelas vniuerſas in manum ipſius Friderici reſignarent, & ſe arbitrio ipſius & voluntati ſubmitterent, & ſe peccaſſe contra eum aſſererent. Ille hoc audito gauiſus eſt valdè; & diem ſuper hoc aſſignantes, etiam literas ſuper hoc conſcripſerunt, continentes quòd Eccleſia Senonienſis duos carpentarios haberet, vnum coquum, adcratatorem vnum, lauandarium vnum, ſutorem vnum, piſcatores duos: cæteri verò omnes in valle Senonienſi ei pro voluntate ſua ſeruirent. Et ita Abbas & Conuentus puſillanimes & effœminati tam citò victi, voluntati Aduocati ſe miſerabiliter ſubdiderunt. Ego verò non eram præſens, nec vellem adhuç interfuiſſe. Mirum, quòd in tali actu non conſiderauerunt Abbas & Conuentus, quòd Eccleſia Senonienſis Epiſcopi eſſet Meronſis cum appendiciis ſuis: & quicunque ſit Abbas Senonienſis abipſo Epiſcopo temporalia recipere tenetur, & ob hoc homagium illi facit: ergo non licuit eis tam miſerrimam tranſactionem de feodo Epiſcopi ſine ipſo Epiſcopo facere. Attamen vſque ad tempora Henrici dicti de Salmis nepotis dicti Frederici quic-

Digitized by Google

quid Abbas & Conuentus de omni familia ſua & piſcatoribus facere voluit, ſicut antea, ſine contradictione fecit. Sed Deus omnipotens, qui reddit vnicuique ſecundum opera ſua, iſti Friderico immoderatæ malitiæ ſuæ in præſenti ſæculo condignas rependit vices: nam à tempore quo cœpit Comes appellari vſque ad extremum vitæ ſuæ diem nunquam vno anno compos ſui eſſe potuit: aut pro debitis ſuis Meti à creditoribus ſuis per aliquos annos detinebatur, vel valida febre, aut aliis infirmitatibus intolerabiliter vexabatur, vel à nepote ſuo domino de Raposteim, quia exigebat partem hæreditatis, captiuus detentus eſt. Deinde quia videbat ſe ita debitis obligatum, caſtrum de Albomonte cum burgo ſuo quod allodium ſuum prius erat, Epiſcopo Metenſi pro aliquanta pecunia vendidit, & ab eo in feudo recepit. Et ita Deus ipſum de caſu in caſum corripiebat. At demum ſuſcitauit ei aduerſarium fortem Henricum ſcilicet nepotem ſuum, filium fratris ſui Henrici, qui petebat ſecum diuidi partem Comitatus de Albomonte. Ille verò per multas ambages illudebat nepotem: tandem compulſus partem ſuam dedit ei, ſcilicet Morehenges, Vinieres, & caſtrum Pierepercio & Salmis. Ipſe verò Fridericus ſibi retinuit Albummontem, & ſuperius caſtrum de Danubrio, quod tamen mater dicti Henrici quandiu vixit, obtinuit, quia dos eius erat. Fridericus verò tot aduerſis calamitatibus oppreſſus, in nullo eſt correctus, ſed de die in diem deterioratus paucis ſuperuixit annis, & iuuenis mortuus eſt, dicente Prophetæ: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.*

De Henrico filio Henrici de Danubrio dicti de Salmis.

CAPVT XXX.

HEnricus verò de Salmis (ita enim appellabatur) Aduocatiam Vallis Senonienſis & de Plannia, & Vipodicella, quæ ei ſorte deuenerant, ſatis inepte tractare cœpit, & homines illius terræ acerrimè talliis & exactio-

nibus, ſeruitiis & aliis oppreſſionibus affligere cœpit; adeò vt vix ſuſtentari poſſent. Nec mirum, quia debitis detinebatur perquammaximis. Nam, ſicut patruus eius Fridericus ſæpè fecit, à quodam ciue Metenſi creditore ſuo ſæpius in hoſtagiis detinebatur, nec habebat vnde redderet. Vnde coactus eſt iuramentum, quod dicto creditori ſuo ſuper hoc præſtiterat, impudenter infringere. Nam quadam die ſuper equum ſuum aſcendit, illicentiatus furtim de ciuitate receſſit; & ſicut patruo de Albomonte contigit, ita & iſte ob inopiam caſtrum ſuum de Morchenges, quod allodium erat, pro pecunia Duci Lotharingiæ dedit, & ab ipſo in feudo recepit. Eccleſiam denique Senonienſem tantùm oppreſſit, quòd in nemoribus noſtris, & aquis, & etiam in valle tota foreſtarios ſuos poneret & piſcatores, nobis verò non licebat niſi ſolum habere piſcatorem, quod ante nunquam fuerat, ſed tamen quotquot volebamus in aquis noſtris habebamus piſcatores. Homines etiam cogebat de fundo Eccleſiæ coram eo, vel coram Balliuo ſuo placitare: ſed ſi quis ruſticorum Eccleſiæ aduerſum nos aliquam querelam haberet, pro ipſis litigabat, & eis contra nos fauebat. Si quis verò ipſorum Conuerſus volebat fieri, ab ipſo ſecuritatem accipiebat, quod Conuerſus non fieret: ſi verò contingeret quemquam illorum Conuerſum fieri, vel ſi de hac vita ſine hæredibus decederet, vel ſi de valle ad habitandum aliàs exiret, quicquid de mobilibus talium inuenire poterat, omnia vi rapiebat. Placita verò quæ Abbas ſine Aduocato, ſicut hactenus fecerat, tenere debet: impediebat, dicens ſe debere intereſſe pro vi facienda. Villicos verò, Decanos, foreſtarios, & alios miniſteriales noſtros, quos Abbas inſtituere & deſtituere pro voluntate ſua debet, ſicut & alios ruſticos ſibi ſeruire cogebat, quod facere non debuerat. Tandem in quodam monte iuxta villulam quæ Grandisfontana dicitur, minam ferream idem Henricus de Salmis quibuſdam adulatoribus referentibus reperit, & ibi fornaces ferrarias erigi fecit, & fabros, qui ferrum conficerent, inſtituit. Quod audientes Abbas & Conuentus ipſum aduocatum Adierunt, ſcire volentes quare in fundo Eccleſiæ Senonienſis fornaces illas

contra iuſtitiam conſtruxerat. Reſpondit montem illum ſui iuris eſſe, quia Aduocatus erat loci : vnde ſuperſedere neglexit. Abbas autem hæc audiens Epiſcopum Metenſem *Iacobum* adiit, & ei hæc omnia expoſuit. Epiſcopus verò fabricas illas ſtatim confringi fecit. Ipſe enim Henricus ante hos dies fontem ſalis iuxta caſtrum de Morehenges inuenit, & ibi puteum fodit, volens ibi ad coquendum ſal ſedes ſalinarias conſtituere: quod idem Epiſcopus fieri prohibuit, & omnia ſicut inchoata erant, penitus deſtrui fecit. Et quia de iſto Henrico nihil dignum relatione reperi, niſi quòd adhuc Eccleſiæ Senonienſi aduerſari non deſiſtit: & ita ad audiendum delectabiliora tranſeamus.

De B. Eliſabeth, & de conuerſatione eius.

CAPVT XXXI.

CItra Rhenum in regno Alemanniæ quoddam caſtrum ſitum eſt quod Marporch appellatur, quod quidam Miles nobilis poſſidebat. Ille habebat vxorem generoſitate ſibi non imparem nomine *Elizabeth*, quæ tanta morum honeſtate, tanta ad Deum deuotione, tanta ad pauperes eleemoſynarum largitione pollebat, vt potiùs Sanctimonialis quàm alicuius dominii dignitate prædita dici poterat. Hæc duos de viro ſuo genuerat filios, quos magnarũ ſuarum poſſeſſionum & diuitiarum hæredes vterque parens ſibi fieri gaudebat. Contigit enim illum nobilem virum extremæ ſuæ vitæ debitum exſoluere. Cùm igitur illa nobilis matrona Elizabeth ſui iuris fuiſſet effecta, tanto ſe amore Deo conſtrinxit, vt nec mandatorum Dei vnum iota auderet præterire. Enimuerò temporibus illis Ordo Prædicatorum & Minorum per vniuerſum mundum cognoſci cœpit: noua enim tunc erat eorum plantatio. Erat enim temporibus illis quidam Frater de ordine Fratrum Minorum *Conraldus* nomine, ſatis honeſtus & religioſus. Hic illi fœlici matronæ familiaris erat, qui eam ad viam ſalutis quotidie animabat: cuius conſilio illa benigna Eli-

zabeth freta, & promiſſis diuinis diligenter intenta, dicentibus: *Si quis reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit*: Statim relictis filiis, & mumitionibus in quibus dominabatur, & poſſeſſionibus vniuerſis, habitum Fratrum Minorum ſibi aſſumpſit. Erat enim ſub caſtro illo Marporch quoddam Hoſpitale, quod à prædeceſſoribus ſuis conſtructum fuerat; in quod ſe illa deuota matrona conferens, vigiliis, ieiuniis, & orationibus intenta, pauperibus, claudis, & omnibus indigentibus ſuperuenientibus, propriis manibus pedes lauabat, & cibaria, prout cuique videbat expedire, præparabat & eis diſtribuebat. Quid plura? In tantum illi officio inſiſtebat, vt mirum eſſet quòd mulier tam delicata in tanto labore tot ſuperuenientibus ſeruiendo perſeuerare poterat. Et cùm ſic officio diuino inſiſteret; Deus eam remunerare volens, quia multò plura quam dixerim pro Chriſto ſuſtinuerat opprobria, ab hac vita ſubſtracta, ad Deum migrauit, ſepultaque eſt in Capella quæ in eodem Hoſpitali habetur. Et non multò poſt idem ille Conraldus qui eam conuerti fecerat, ab hac vita decedens, in ipſa Capella in alio latere ſepultus eſſe dicitur. Ex tunc igitur innumerabilis multitudo ad ſepulchrum B. Elizabeth vndique confluere cœpit: & inter illam multitudinem, claudi, cœci, ſurdi, muti, & aliarum infirmitatum vtriuſque ſexus homines oppreſſionibus detenti, ibi curabantur. Poſt hæc cùm vix duobus annis illa beata mulier, priùs nobilis viuendo, modò Deo nobiliter, in ſepulchro iacuiſſet, famaque vitæ eius & miraculorum, quæ omnipotens Deus eius interuentu in populis operabatur, ad Dominum Papam Magnatibus referentibus peruenisſet, Dominus Papa corpus eius de ſepulchro leuari permiſit, & ipſam in catalogo Sanctorum aſcribi fecit: & vt in Eccleſia Catholica celebris haberetur. Eadem verò die, qua eius ſanctum corpus de tumulo leuatum eſt, ex omnibus regionibus circùm adiacentibus multi Magnates conuenerunt; Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii nobiles viri, Marchiones, Principes, & etiam multi Abbates, & communis vulgi innumerabilis multitudo. Interfuit interea ille Fridericus quondam Imperator

perator (quem Innocentius IV. Papa congregatâ Synodo Epiſcoporum & Abbatum apud Lugdunum ab Imperatoria dignitate depoſuit : hic ſcyphum aureum in quo ſolitus erat bibere, obtulit Beatæ Elizabeth in quo & caput eius reconditum eſt. Ipſa enim Beata Elizabeth cognata ipſius Friderici fuiſſe dicebatur. Vbi ex tunc illa ſancta Matrona tantis miraculis clareſcere cœpit, vt nullus Sanctorum in partibus illis ſecundus ei eſſe videretur.

De Iudæis Colonienſibus, & de miraculis Crucifixi.

CAPVT XXXII.

CVm per vniuerſum mundum vniuerſa flagitia à Iudæis, etiam poſtquam Chriſtum crucifixerunt, facta fuiſſe comprobentur, adhuc tamen ſi non audent ore, corde & horrendis operibus ipſum Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, & ſuos Chriſtianos inceſſanter blaſphemare & vituperare contendunt. Vnde de quibuſdam Iudæis horribilia & inaudita facta huic noſtro libello inſerere non pigebit. In ciuitate Colonienſi Iudæorum multitudo habitare dicitur. In eodem vero vico quidam ciuis Chriſtianus domum fertur habuiſſe, quæ domibus Iudæorum inſerta erat, nullus tamen in ea habitabat. Quod cùm quidam textor non de ciuitate, ſed extraneus, comperiſſet, acceſſit ad illum ciuem cuius illa domus erat, & conuentione cum ipſo facta, quod per annum in ea maneret, cum familia ſua ipſam domum intrauit. Et in quadam ſtupa eiuſdem domus ea quæ adminiſterium ſuum pertinebant, erigens cœpit operari & texere. Sed quia domus illa inter domos Iudæorum ſola ſtabat, & à conuerſatione Chriſtianorum, & ab Eccleſia longè erat, vltra modum indoluit, præſertim quia non poterat ad officium diuinum tam celeriter ſicut volebat accedere. Quid faceret ille Chriſtianus qui inter inimicos Chriſti ſolus habitabat? Cogitat enim intra ſe, ſi non poſſet ad Eccleſiam cùm vellet accedere, tamen ſi poſſet aliquam memoriam de Chriſto habe-

re, ſecurius in eadem domo habitaret; accerſito ſibi pictore imaginem Crucifixi in loco vbi operabatur, in fronte parietis depingi fecit, & hinc inde duas imagines *Mariæ* & Ioannis, ſicut mos eſt Chriſtianorum, adaptauit, vt imagines illæ honeſtiùs tegi poſſent, pannum mundum deſuper appendi fecit, & oſtiolum ſub quo imagines illæ ſeruarentur diligenter adhibuit. Nolebat enim quòd omnes ingredientes eam tangerent, vel inſpicerent, ne fortè deleretur, aut vilior haberetur. Sed cùm orare volebat, oſtiolo aperto & linteo leuato, genuflexo & imagini capite inclinato, Deũ cœli in ipſa imagine exorabat, & oratione facta ipſam imaginem linteo & oſtiolo diligenter contegebat, & ſic ad opus ſuum reuertebatur. Sed cùm annus præteriiſſet, nolens vlteriùs inter illos infideles habitare, ſibi domum prope Eccleſiam & inter Chriſtianos comparauit. Deus enim, quia fidelis & iuſtus erat homo ille, ſibi ſubſtantiam multiplicauerat. Ipſe verò relicta domo in qua per annum habitauerat, ſumptis vniuerſis vtenſilibus ſuis, domum illum, quam emerat vt ibi habitaret, intrauit: relicta tantùm imagine quam ſecum portare non poterat. Accidit autem eodem tempore quemdam Iudæum de extraneis partibus ad habitandum Coloniam deueniſſe. Et cùm inter Iudæos deueniſſet inquirebat ſi domum ad habitandum inuenire poſſet. Alij verò Iudæi læti effecti monſtrauerunt domum, in qua ille Chriſtianus habitauerat. Ille verò ad ciuem accedens conuenit cum eo, vt ibidem habitaret: & congregata multitudine Iudæorum introiuit in domum illam, & cum eis cum magno tripudio epulatus eſt, ſed cùm in eadem ſtupa in qua textor ille texere ſolebat, poſt prandium reſiderent, quidam eorum aſpiciens oſtiolum ſub quo imago illa latebat, mirabatur quid eſſet: & concito ſurgens ad oſtiolum acceſſit, & aperto oſtiolo, leuatóque linteo, vidit imaginem noſtri Crucifixi, toruis oculis eam reſpiciens, conſpuit eam, & altis vocibus clamare cœpit: Accedite, inquit, Iudæi, & conſpicite illum proditorem, qui vos de terra veſtra expulſos in vniverſum orbem exules diſperſit. Illi clamore audito, omnes accurrunt, & viſa cruce cum Crucifixo fremebant dentibus in eum. Quid plura? Chriſtus in Cruce à Iu-

Digitized by Google

dæis iterum irridetur, iterum conſpuitur, iterum pugnis & alapis cæditur. Quid dicam? Ipſæ mulieres Iudææ, quod in prima crucifixione facere non audebant, in iſta ſecunda tam proteruè ibi operabantur; vt turpiùs imaginẽ illam conſpuerent, furioſiùs pugnis tunderent, ſæuiùs vnguibus dilacerarent, quàm vnquam patres eorum in illum verum Crucifixum priùs feciſſent: & ita cùm illi infœliciſſimi Iudæi & Iudææ tam lethaliter in illam ſanctam imaginem Crucifixi deſæuirent, vnus illorum qui audacior erat cæteris, dixit eis: Suſtinete & diſcedite omnes, quia ego jam vindicabo vos omnes de iſto nefario *Ieſu*: & accepto cultro acuto, quem penes ſe habebat, ad imaginem Crucifixi acceſſit, & vibrato ictu Crucifixum illum in latere percuſſit, in eodem loco in quo latus Chriſti noſtri Saluatoris lanceà perforatum eſt. Cúmque ille Iudæus cultrum ad ſe traxiſſet, vt iterum feriret, tanta abundãtia ſanguinis de vulnere illo effluxit, vt vultum illius Iudæi & cunctas veſtes eius conſpergeret, cúmque Iudæi illi euidens miracul vidiſſent, timuerunt timore magno, alij in terram ceciderunt, alij pectora tundebant, alij exeuntes quod factum fuerat, ſilere non poterant. Mox rumor facti ciuitatem occupat, accurrunt Magnates, accurrunt Clerici, accurrunt ſenes cum junioribus, viri cum mulieribus, cernere cupientes quæ per Deum tam noua facta ſunt mirabilia: Chriſtus enim ibi ſuæ Paſſionis miracula innouauerat. Venientes autem Clerici & ciues ad locum illum vbi hæc fiebant, videntes eam imaginem crucifixi, inuenerũt adhuc ſanguinem de latere eius manantem. Et vt illi magno miraculo certior fides adhiberetur, ſanguis ille tandiu de latere huius imaginis manare non ceſſauit, quouſque non modicum vaſculum de eo impleretur, & ita manare deſiit. Vniuerſitas verò illius ciuitatis tam Clerici quàm laïci habito conſilio omnes Iudæos illos quotquot inuenire potuerunt, captiuauerunt, & ſubſtantiam illorum diripuerunt. Si qui eorum conuerti voluerunt baptizati ſunt, alij verò trucidati: Cæteri enim fuga lapſi, in ciuitate vltra non ſunt viſi. In loco verò vbi hæc acta ſunt, Eccleſia in honore ſanctæ Crucis præclaro opere fabricata eſt, in qua ipſa imago Crucifixi, per quam hoc miraculum factum

est, in summa veneratione habetur, & à fidelibus in ea Christus adoratur. Hoc igitur miraculum à quodam Iudæo, qui eidem facto Coloniæ interfuit, qui etiam viso miraculo Christianus effectus est, audiui: & sicut illud mihi de verbo ad verbum retulit, ita & huic paginæ annotare curaui.

De Iudæis qui apud Haguenouniam in præstigiis suis tres pueros interfecerunt.

CAPVT XXXIII.

CVm Iudæorũ nefandissimos actus nemo tacere debeat; vt ea, quæ in Saluatore nostro egerũt, semper ad mentẽ redeãt, ad correctionẽ hominum & ædificationem quotidie retractare conuenit; vt præsumptio eorum Iudæorũ confutetur, & gloria Christi augmentetur. In oppido quod Hagonovvia dicitur, in territorio Alsatiæ multi Iudæi habitabant eo tempore quo Fridericus quondam Imperator regni Romanorum Monarchiam obtinebat, qui postea ab Innocentio Papa I V. dictante iustitiâ à dignitate Imperij apud Lugdunũ depositus est. Cum idem Fridericus apud Hagonovviam moraretur, contigit Iudæos qui in eodem oppido manebant secundum eorum legem festum Paschæ celebrare, eo tempore quo & nos Pascha celebramus nostrum: non tamen illa die, sed quartadecimâ lunâ, quâ & Christus crucifixus est. Illi verò Iudæi nescio quomodo procurauerunt, quòd acquisierunt sibi tres pueros septennes & Christianos, & cùm festum eorum celebrarent, de ipsis quædam ludibria in domibus suis egerunt. Sed inter hæc iidem pueri mortui sunt. Et cùm Christiani hæc fortè percepissent, intrantes domos Iudæorum inuenerunt pueros nudos, sed mortuos. Imperator verò Fridericus fortè non erat præsens: Christiani verò pueros illos vsque ad aduentum Imperatoris reseruare decreuerunt. Iudæi quippe cùm viderent periculum sibi imminere, inito consilio disposuerunt Imperatorem placare muneribus: & accedentes ad Imperatorem tantis muneribus illum excœcauerunt, vt gratiâ ipsius potiti

Digitized by Google

ad domos ſuas læti rediret. Cùm igitur Imperator ad Hagonovviã rediiſſet, Chriſtiani illos tres pueros præſentauerunt, & intimauerunt ei quia Iudæi ita eos interfecerant. Imperator reſpondit: Si mortui ſunt, ite, ſepelite eos quia ad aliud non valent. Chriſtiani verò hoc audientes, confuſi ab eo diſceſſerunt. Et ita iſte infœlix Imperator vnum ſuæ infidelitatis articulum promulgauit, quia & Iudæi in pace dimiſſi ſũt, & Chriſtianis de tam nefario facto nulla eſt exhibita iuſtitia. Et hæc de Iudæis dicta ſufficiant, quia ſi iſte miſer Imperator Iudæos pro tam iniquo facto non puniuit, ille potentiſſimus arbiter & hunc & hos in clauſtris inferni punire non obmittet.

De quodam milite, Rambaldo nomine, hæretico de Kercenuelt in partibus Alſatiæ.

CAPVT XXXIV.

CVm eſſem in Argentina & ſcholas frequentarem, erat quidam Magiſter apud S. Thomam nomine Henricus, qui etiam phyſica arte imbutus erat. Hic cùm Prior apud Trouthenhouze effectus fuiſſet, narrauit mihi quòd quidam miles, Rambaldus nomine, de Kercevvelt cùm graui infirmitate teneretur, ipſum Priorem vt ſui curam gereret, inuitauit. Ille vero cùm ad eum veniſſet, inuenit eum ad extrema jam appropinquantem. Qui Prior ait: Si mihi creditis, Domine, vos priùs confitebimini peccata veſtra, & recipietis corpus Chriſti, antequam ego apponam ad curandum vos, quia illud erit major veſtra curatio. Cui ille: Ego multoties confeſſus ſum, & multa talia corpora comedi. Magiſter Henricus reſpondit, Ha! nolite ita loqui, quia vbicunque conſecretur corpus Chriſti, non plura ſunt corpora, ſed vnum corpus Chriſti. Ille reſpondit: Quomodo hoc poteſt fieri, quia ſi illud corpus tam magnum fuiſſet, ſicut ingens mons, jam millies deuoratum à populo fuiſſet. Magiſter Henricus dixit: Bone domine mi, ego jam vos video grauiter infirmitate opprimi, rogo vos, vt quicquid vſque huc credideritis obmittatis, & corpus Chriſti fideliter credendo

recipiatis, & sic saluus eritis. Cui ille: Et quomodo tantillum panis me saluare poterit? Sed quia infestus estis, ego amore vestro paniculum illum manducabo, & tunc videbitis quomodo me saluare possit. Et verum dixit: Quia post pauca manifestauit Deus, qua credulitate ille sanctissimum Christi corpus auderet percipere. Magister verò Henricus, qui eius salutem desiderabat, credens aliquid fidei in eo remansisse, accersito Presbytero qui cum corpore Christi aduenerat, fecit ei corpus Christi dare. Ille verò os aperuit, & Sacerdos corpus Domini in os eius immisit; sed ille os claudere non potuit. Corpus verò Domini ita iuxta palatum stetit, vt plenè palatum non tangeret, nec ad linguam descenderet. Cùm ille subitò balbutiendo quia os claudere non poterat, magna voce clamare cœpit: Subuenite, carissimi, subuenite, quia jam ardeo, jam me infernus tenet: afferte aquam, & refrigerate os meum. Et hoc sæpiùs clamando, ei attulerunt aquam, & in os eius miserunt. Ille verò multò magis clamabat: Tollite, tollite aquam, quia dupliciter ardeo. Illi verò qui aderant, quia ferè tota villa aduenerat, amarissimè flebant; pugnis pectora sua tundentes, lamentabantur eum, quia videbant eum tam infœlici morte mori. Nam securi erant quia anima eius æternis suppliciis traderetur. Et cùm jam per duas ferè horas torqueretur, inter ipsas angustias, emisit spiritum. Et cùm Sacerdos ita videret eum mortuum, mittens manum, corpus Christi ita incontaminatum & inuiolatum de ore illius extraxit, sicut priùs illud imposuerat. Et repositum in pixide cum summa reuerentia, comitantibus viris & mulieribus ad Ecclesiam prout debuit, reportauit. Cuius facti fama per totam Alsatiam innotuit, ad hæreticorum confusionem, ad laudem verò & gloriam Domini nostri *Iesu Christi*.

Digitized by Google

De S. Petro Mediolanenſi nouo Martyre.

CAPVT XXXV.

QVia temporibus noſtris, & nouiſſimis ſæculi diebus, ſicut per Prophetam promiſit Dominus, Deus innouat ſigna, & immutat mirabilia: vnum de iiſdem ſignis nouis mox recitare non pigebit. In Longobardia eſt quædam ciuitas quæ Mediolanum appellatur, in qua Fratres Prædicatores habitare dicuntur. Cum illis verò Prædicator quidam Petrus nomine habitabat, vir egregius & ad prædicandum doctiſſimus. Hic etiam Petrus, vt talentum ſibi creditum cũ multiplici fœnore Domino ſuo reportaret, quotidie officio prædicationis inſiſtebat. Enimuerò quia apud Mediolanum à priſcis temporibus hæretici habitare conſueuerant, iſte Frater Petrus, quia adhuc videbat in eadem ciuitate quoſdam tribulos hæreticorum pullulare, quotidie eoſdẽ hæreticos in prædicatione ſua viriliter impugnabat. Et vt eos ad viam veritatis reduceret, modò blandimentis vel exhortationibus, modò increpationibus vel vituperiis corripiebat. Sed quia dicente ſcriptura, *In maleuolam animam non intrabit ſapientia*, cordibus induratis ſicut aſpis ſurda contra incantatorem; ita & iſti hæretici contra prædicationis incantationem obturabant aures ſuas: ſed ſicut Iudæi in B. Stephanum, ita & iſti in Fratrem Petrum dentibus fremebant: & ſi eum extra ciuitatem inuenire potuiſſent, non minùs quàm Iudæi Stephanum, iſti Petrum lapidarent. Quid plura? arcum ſuum intenderunt, vt ſagittarent in occulto immaculatum, id eſt, inſidiabantur ei, vt eum morti traderent ſi poſſent. Veruntamen, quia in aperto ei nocere non audebant, diſpoſuerunt ei inſidias ponere. Erat enim quidam vicus in ciuitate, per quem ire, & redire ſolebat, cùm ad prædicationem iret vel rediret. Et cùm Deus famulum ſuum inuictũ veritatis pugilem donatiuo gloriæ cœleſtis remunerare vellet, *rapiens eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam ipſius.* Et verè

raptus ; nam cùm quadam die à ciuitate serò reuerteretur, & per vicum illum, sicut solebat, transire vellet; illi miseri, qui arcum insidiarum tetenderant, quasi sagitta de occultis insidiarum prosilientes, sagittauerunt Petrum illum immaculatum, id est armis suis interfecerunt. Et ita *consummatus in breui compleuit tempora sua : placita enim erat Deo anima ipsius*. Fratres verò Prædicatores audita morte illius vltra modum indoluerunt: quia potentior omnibus erat in sermone. Et peractis debitis exequiis tumulo honesto cum canticis & hymnis spiritualibus eum sepelierunt. Et vt Deus Martyris sui merita mundo declararet, & vt illi infœliciſſimi hæretici confunderentur, tantam ei gratiam conferre dignatus est, vt quicunque debiles quibuscunque infirmitatibus detenti ad tumulum ipsius Martyris accederent, à malis omnibus liberarentur. Et ita Deus temporibus nostris seruos suos magnificare non dedignatur.

De Prioribus de Danubrio, Mernauille, & de Xuris.

CAPVT XXXVI.

CVm diuina scriptura quoslibet ad benefaciendum inuitet, & Dominus in Euangelio nos admoneat, vt homines *videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum qui in coelis est*: Et si nos desides bonis operibus insistere non valemus, bona tamen ab aliis facta & diligenter considerare, & ad lucem producere debemus. Vnde quædam bona opera quæ quidam Fratres nostri in cellis nostris egerũt, scripto commendare debemus, vt legentes zelo illorum ducti, bonis operibus insistere, & ea adimplere iugiter festinent. Quidam igitur Monachus noster Senonensis *Hugo* nomine Prioratum de Danubrio xx. & eo amplius annis rexit, & Prioratum ipsum muro circũdedit, & in eo muro inclusit stagnum & molendinum & furnũ, & Capellam S. Catharinæ; quę omnia ego, cùm essem Prior eiusdẽ loci, construxi. Fecit enim ille Hugo cameras satis ad habitandum habiles. Potuisset etiam fecisse, si ei datum fuisset desuper, multa alia

bona

Digitized by Google

bona, quæ omnibus diebus illi loco potuiſſent profeciſſe; quia multas adunauerat pecunias, quæ in non neceſſarios vſus conuerſæ ſunt, & ſic ſine effectu mortuus eſt. Reuertamur igitur ad Prioratum de Meruauille, cui vir diſcretus *Rennerus* ſeptem præfuit annis, qui etiam illi loco infra ſeptem iſtos annos multùm profuit: nam majorem partem Eccleſiæ B. *Mariæ*, excepto cancello conſtruxit, altare majus à venerabili *Gilone* Epiſcopo Tullenſi in honore B. Mariæ conſecrari fecit, & cimiterium benedici, curiam quoque muro optimo circundedit; agros, prata multa illi loco adiecit; Et Aduocatos de Aſeraule à frequẽtatione de Meruauille quantùm potuit reſtrixit: & adhuc eo tempore ad meliora anhelabat. Veniamus igitur ad Prioratum de Xures, cui præfuit vir nimiùm exercitioſus *Fridericus* nomine. Hic cancellum Eccleſiæ ſuæ ampliauit, pulchro opere ad perfectionem perduxit, & picturis & feneſtris vitreis decorauit. Majus quoque altare S. Iacobi in ipſo Cancello erexit; & illud imaginibus ſculptis auro & çoloribus in circuitu adornauit. Clauſtrum quoque ex latere cocto & plumbato inuſitato opere conſtruxit, domos etiam & ædificia omnia lapidea erexit: Curiam ipſam muro forti clauſit. Parochias omnes ad Prioratum ipſum pertinentes de lateribus cooperuit. Sedes etiam ſalinarias ipſius Prioratus apud Mediumvicum in domibus lapideis incluſit. Et cùm hæc omnia bona feciſſet, inuidia & odio mediantibus, immeritæ ſunt ei redditæ vices, quia humana miſeria ita bonos remunerare ſolet.

De lite inter Prædicatores & Clericos Pariſius orta.

CAPVT XXXVII.

SVperiùs de Ordine Prædicatorum ſecundùm Prophetiam ſanctæ Hiltegardis Sanctimonialis aliquantulùm digeſſimus, qui in principio ſui magnæ auctoritatis habiti ſunt. Sed deinde à propoſito paulatim declinantes, proceſſu temporis à ſtatu ſuo paululùm deidere viſi ſunt, ſi-

Digitized by Google

cut multifariis modis ipſorum actibus comperiri poteſt: & præcipuè in controuerſia quadam, quæ Pariſius de nouo orta eſt; de qua, ſi placet, in hoc Opuſculo noſtro aliquid inſerere curabimus. Contigit igitur inter Clericos Pariſius commorantes antiquitus & Prædicatores de nouo venientes, de diffinitione quæſtionum, & Magiſtrorum legentium approbatione periculoſam controuerſiam emerſiſſe. Nam Prædicatores dicebant ab eis quæſtionum diffinitiones debere proferri, quia potior ſcientia in perſonis Ordinis ipſorum vigeret, & dignitas prædicationis eis auctoritatem diffiniendi prærogare videbatur. Clerici verò è contra aſſerebant ſe antiquitus Magiſtros & diffinitores habuiſſe, qui ſcholarum & ſcholarium Rectores exſtiterunt: quos etiam Dominus Papa eis ſcribendo, Rectores ſcholarum eos appellaſſe comprobatur, nec eorum Ordini aliud aliquid commiſſum eſt, niſi vt prædicationi & animarum ſaluti ſine intermiſſione intendant. Sed cùm aliquandiu fuiſſet inter eos decertatum, & inter ſe pacificari non poſſent, ad Papam appellauerunt. Prædicatores verò quendam librum Euangeliorum compilauerunt, in quo dicebantur aliqua contineri, quæ contra fidem eſſe videbantur. Clerici verò neſcio qua arte procurauerunt, vt copiam ipſius libri haberent, ex quo omnia capitula fidei contraria decerpſerunt, & ea ſcripto commendantes ſibi retinuerunt. Elegerunt quoque ſibi quemdam virum diſcretiſſimum *Vvillelmum* nomine, qui præ cæteris magnus Philoſophus habebatur: quem cum libro illo ad Curiam mittentes, procuratorem ſuum contra Prædicatores ſtatuerunt. Et cùm coram Papa veniſſent, diu inter ſe diſputauerunt, & inter cætera Magiſter Vvillelmus librum illum quem Prædicatores conſcripſerant, Domino Papæ fertur porrexiſſe. Papa verò cùm librum legiſſet; ſtatim eum damnauit, & comburi iuſſit: Magiſtro Vvillelmo, quia facundiſſimus Orator erat, nec ei aliquis in ſermone reſiſtere poterat, ſilentium impoſuit, & nondum cauſa illa finem acceperat. Clerici omnes qui Pariſius ſtudebant, tunc ab ipſa ciuitate receſſiſſe ferebantur.

Ea ſiquidem tempeſtate, qua, vt dictum eſt, Prædica-

torum ſtatus deteriorabatur, non minus infortunium eis euenisſe perhibetur. Rex enim Franciæ, qui alio anno à tranſmarinis partibus reuerſus fuerat, eiſdem Prædicatoribus valdè familiaris erat: & cùm quotidie quia valde religioſus erat, domum ipſorum frequentaret, cogitauerunt eum ad Religionem ſuam poſſe deuenire. Et cùm quadam die de diuinis ſcripturis & de Filio Dei confabularentur, vnus eorum qui cæteris audacior erat, dixit Regi: Nunquid Domine velles tantùm de Filio Dei inter manus tuas quotidie poſſe tenere, quantùm vterus Beatiſſimæ Virginis *Mariæ* quondam in ſe comprehendiſſe perhibetur? Rex hæc audiens & admirans ait; Quis eſt qui hoc recuſaret? Ignorabat enim quòd de ſacramento corporis Chriſti diceret. Prædicator reſpondit: Si placet, docebo te quomodò tibi hoc concedetur. Rex reſpondit: Placet ſanè. Frater ille dixit: Nunquid audis Dominum in Euangelio dicentem; *Siquis reliquerit patrem vel matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit*? Rex ait: Audio & benè ſcio. Frater dixit; Domine mi Rex, tu habes hæredes, filios & fratres qui regnum tuum bene regent: tu etiam pro Deo multos labores ſuſtinuiſti, & etiam vitam tuam periculis mortis expoſuiſti; & ita nihil aliud reſtat, niſi quod relinquas omnia, & aſſumas tibi crucem noſtram, id eſt habitum noſtrum: & ita de gradu in gradum ad Sacerdotium promoueberis, & Filium Dei in manibus accipere mereberis. Rex verò hæc audiens, conſternatus intra ſe cogitare cœpit, proponens ſibi tribulationes huius mundi, & immenſos labores, & etiam regni ſollicitudinem: è contra occurrunt ei illæ ſupradictæ Euangelicæ promiſſiones & illud Dominici corporis deſiderabile & delectabile ſacrificium, & ad ſe reuertens dixit Fratribus: Si iſta vera ſunt quæ audio, immò quia veriſſima eſſe credo, conſiliis veſtris acquieſcam. Sed priùs vadam & indicabo Reginæ, & ab ea impetrabo huius facti licentiam. Rex verò cùm ad Palatium veniſſet, introiuit ad Reginam, & omnia narrauit ei, quod ei & filiis ſuis regnum relinquere vellet, & quod habitum religionis ſuſcipiendo ſacerdos fieret; & pro ipſis, & pro ſtatu regni Deum exorare non

ceſſaret : vnde peto vt ad hoc faciendum licentiam mihi do-
nare velis Regina verò mirabiliter ſtupefacta nihil reſpõdit
ei: ſed ſtatim mittens, fratrem Regis Comitem de Aniou ad
ſe vocari iuſſit ; filiósque accerſitos ita fertur allocuta fuiſſe :
Quid melius eligitis, an appellemini filii Sacerdotis, vel filii
Regis ? Illi audientes ſtupefacti neſciebant quare hoc dice-
ret. Mater ſtatim ſubſecuta eſt, dicens : Illi Prædicatores
Regem ad hoc induxerunt vt nobis relictis & regno Prædi-
cator & Sacerdos fiat. Comes verò cùm hæc audiſſet, in
furorem verſus eum impudentiſſimè obiurgabat, & Præ-
dicatoribus minabatur. Filius verò Regis primogenitus,
qui poſt Regem regnare debebat, Prædicatores etiam quo-
modò poterat, vituperabat. Rex verò conuiciis eorum com-
motus filio ſuo fertur alapam dediſſe. Filius verò ait Patri;
Domine quia pater & Dominus meus eſtis, non ſum vobis
ingratus ; ſed iuro per B. Dionyſium patronum noſtrum, ſi
aliquando me contigerit Deo annuente gubernacula re-
gni obtinere, ego omnes iſtos Prædicatores à regno ex-
pelli faciam. Cúmque Rex hoc iuramentum audiſſet, vl-
tramodum indoluit, quia ſciebat eum animo ferum eſſe.
Comes verò frater Regis præcepit, ne Prædicatores in toto
regno Franciæ de cætero prædicare præſumerent. Fertur
etiam præcepiſſe ne quis Prædicatoribus aliquid conferre au-
deret. Illud etiam Regem potiſſimum offendiſſe dicebā-
tur quia omnes ſcholares, qui in ciuitate Pariſiẽſi morabãtur,
exeuntes de ciuitate per diuerſa loca ſe collocauerunt, &
hoc in opprobrium ipſius Regis. Enimuerò quia hæc ſupra
ſcripta facta eo tempore quo hæc ſcribebamus, ad nullum
certum finem deuenerant, aliquid vlteriùs ſcribere ne-
quiui.

Digitized by Google

LIBER V.

DE SACERDOTE APVD ZABERniam interfecto.

CAPVT I.

SIcvt nota & certa ſcriptis commendata legentibus & audientibus ædificationem generant, ita incerta & dubia ſcriptoribus & auditoribus in vitiũ eſſe comprobantur: vnde & ignota prætermittere nos dubia & certa, & cognita ſcribere curauimus. Fuit igitur in Alſatiæ partibus in Epiſcopatu Argentinenſi, in oppido quod Zaberniadicitur, quædã matrona jam quodam Milite viro ſuo viduata ſed prole ſatis nobili admodum locupletata: habebat enim quatuor filios, quorum duo militaribus ſacramentis implicati erant. Alij verò duo ad hunc honorem nondum peruenerant. Et licet ipſa matrona tali prole gauderet, tamen laſciuo adhuc detinebatur animo: habebat enim quendam Sacerdotem, quem ſibi Capellanum fecerat, qui eidem matronæ inhoneſta familiaritate, vt ſe fama habebat, ineptè iungebatur. Cúmque fama ipſa ad aures filiorum peruenisſet, nimio tacti dolore matrem ſuam dictam matronam ad hoc induxerunt, vt ipſum Capellanum à domo ſua eliminaret. Ipſe verò Capellanus ad alias partes ſeceſſit. Peracto itaque aliquanto tempore, cùm idem Capellanus infamiam illam, quæ de ſe & de matrona illa habita fuerat, totaliter crederet eſſe ſopitam, diſpoſuit ipſam matronam iterum viſitare, ſed non habitu quo agnoſci poſſet. Decreuit igitur indui non Sacerdotalibus, ſed veſtimentis quarundam mulierecularum, quæ in partibus iſtis Beguinæ, in Alemannia verò Kuherin, ideſt pœnitentes appellantur, domi-

næ ſuæ vt non agnoſceretur præſentari voluit. Aſſumptis quippe dictis veſtimentis domum dictæ matronæ clam ſubintrauit, & in ea aliquanto tempore ſub ſpecie mulieris habitauit. Aliæ ſiquidem mulieres ipſius Religionis domum dictæ dominæ intrare ſolebant: inter quas vna Sacerdotẽ illũ, qui eiſdem veſtibus indutus erat, vt diximus, ſubtiliùs intuens cognouit quod ipſe Sacerdos eſſet, de quo ipſa domina diffamata erat, à quo petiuit vt ab eo aliquid acciperet, Capellanus ei ineptè quod petebat denegauit: Beguina verò irata ad filios illius matronæ acceſſit, & quòd Capellanum illum ſub ſpecie muliebri in domo matris illorum inuenerat, intimauit. Qui nimia verecundia commoti domũm matris cum magno ſtrepitu intrauerunt, & ipſum Sacerdotem tam enormiter fuſtibus & pugnis tutuderunt, vt ferè ſpiritum exhalaret; & tandem de domo eiicientes, & eum per vicos intolerabiliter deducendo, etiam naſum amputauerunt, & ipſum extra portam ipſius oppidi, in colliculo quodam ſemiuiuum proiecerunt; qui paruo tempore in ipſa mortis anguſtia ſuperuiuens ibidem mortuus eſt & ſepultus. Cùm igitur fama referente id factum ad aures *Henrici* Epiſcopi Argentinenſis peruenisſet, ipſe Epiſcopus nimio dolore perculſus vltra modum ingemuit; & ſtatim accerſitis nunciis, dictæ matronæ filios ad ſe venire præcepit, quos ipſe Epiſcopus, licet inuiti veniſſent, ita alloquitur: O viri ſtolidi & ſtulti, quis ad hoc vos animauit, vt manum in Chriſtum Domini mittere præſumeretis, & ipſum interficere, & ineptè ſepelire auderetis? Illi verò conſternati matris iniuriam & ſuum pudorem proponebant. Epiſcopus ergo interogabat, ſi ille Sacerdos matri ipſorum vim aliquam intuliſſet: illis è contra dicentibus ſi vi vel voluntate hoc factum fuiſſet, tamen eis ingens dedecus & pudibunda fama per eundem Sacerdotem exorta fuiſſet & illata. Epiſcopo verò dicente quòd non eis iuſtitia defuiſſet, ſi ab eis de Sacerdote illo aliquid inclamatum fuiſſet, præſertim cùm ipſe in eodem oppido & ſpirituali & materiali potiretur iuſtitia. Oppidum Zabernia ſui iuris eſt, & in Epiſcopatu Argentinenſi ſitum. Illis igitur nihil contrà reſpondentibus, quæſiuit ſi pro facto illo mandato Eccleſiæ & ſuo vellent

obedire: illi conſiderantes quòd ipſe Epiſcopus, & ſpiritualis & temporalis eorum dominus erat, & quòd iudicium ipſius declinare non poſſent, ipſius Epiſcopi ſe ſubdiderunt mãdato. Epiſcopus verò iuramẽto ab eis præſtito præcepit vt ſine mora in eodẽ loco, vbi Sacerdos inhoneſtè, vt diximus, ſepultus fuerat, ſepulchrum honeſtum propriis ſumptibus conſtruerent, & ibidem Capellam ædificarent, & illi Capellæ de ſuis redditibus tantum conferrent, vt Presbyter aliquis in eodem loco diuina in perpetuum celebrare poſſit: quod & factum eſt. Igitur Epiſcopus fratres dictos iterum ad ſe vocans, & ſagaciter de ſalute ipſorum tractans, ait. Vos filioli, qui tam enorme factum ſub iuramento vos expiaturos promiſiſtis, vt video, mandato Eccleſiæ ſatis parati eſtis obedire: iam ſatis competenter pro interfecti Sacerdotis remedio aliquid actum eſt, de peccato tamen commiſſo quæ vobis incumbit pœnitentia adhuc nulla iniuncta eſt; quia vobis in ſpirituali & temporali iuſtitia prouidere tenemur, ſub iuramento Eccleſiæ & nobis ſuper hoc præſtito diſtrictè præcipimus, quatenus vos quatuor fratres pro tanto peccato diluendo transfretare, & ſepulchrum Domini viſitare maturetis: & inde antequam mandatum noſtrum acceperitis, ad propria non redeatis. Dicti verò fratres, quia nullam penitus aliam viam ſine ingenti diſpendio ſui & rerum ſuarum inuenire potuerunt, & iter aggredientes ad tranſmarinas partes properauerunt: ſed de reditu ipſorum nihil audiui.

De alio Sacerdote Parocho ab excommunicato interfecto apud Barram Alſatiæ.

CAPVT II.

IN Alſatiæ partibus, in Epiſcopatu Argentinenſi, habetur villa quædam, quæ Barra dicitur, viris honeſtis referta; in qua quidam Sacerdos iuuenis & honeſtus degebat, qui in eadem villa Barra ita deſeruiebat. Manebat itaque in eadem villa vir, qui plùs debito gulæ deſeruiebat: erat ei

Digitized by Google

quippe mos, vtſi quando Aduentus Domini, vel Quadrageſimæ, vel alij ieiuniorum dies in reuolutione anni occurrerent, ipſe nullo modo ieiunare volebat, ſed aſſumebat ſibi duos vel tres, qui etiam gulæ illecebris detinebantur; tabernam intrabant, & ibidem in aperto coram omnibus comeſſabantur vſque ad ebrietatem. Cúmque dictus Sacerdos, qui curam parochiæ illius gerebat, hanc in eo conſuetudinem videret, voluit eum priùs inter ſe & ipſum ſolum arguere, vt tam nefario facto abſtineret, quia ipſe alios ſeum peccare faciebat; & multi in eum ſcandalizabantur. Ipſe verò è contra Sacerdoti dicebat, quòd ieiunare nollet, quia Deus panem & vinum & cætera cibaria fecerat, vt homines eis, vt vellent, vterentur. Cùm igitur Sacerdos eum ſuper hoc ſæpiùs admonuiſſet, nec admonitionem ſuam aliquid videret proficere, ipſum vocare decreuit, vt in facie Eccleſiæ de commiſſo illius à parochianis iudicaretur. Ille verò ad Eccleſiam veniens, nihil excuſationis prætendit, ſed dicebat ſe velle vti bonis à Deo collatis quando vellet, & quomodò vellet & vbi. Quòd cùm milites & alij prudentes viri, quibus tunc referta erat Eccleſia, hæc verba ab eo audiſſent, eum arguebant quòd tam inepta in facie Eccleſiæ verba proferre auderet. Sacerdos igitur eidem viro præcepit vt mandato Eccleſiæ ſtare deberet: & eum ſemel, ſecundò & tertiò diligenter admonens, cùm videret quòd nihil proficeret, ſecundum morem Eccleſiæ vt inobedientem excommunicauit, & eum ab Eccleſia exire compulit. Contigit deinde non multum poſt temporis in vigilia ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ Sacerdotem ad Eccleſiam pergere, vt ibi diuina perageret. Erat autẽ prope Eccleſiam taberna ſita vbi ille excõmunicatus cũ quibuſdam complicibus ſuis in introitu cellarij illius tabernæ manducans & bibens, & de ſententia in illum lata inter ſe conferebant. Cúmque Sacerdos per illum locum tranſiſſet, & in cemeterium introiſſet, quidam illorum qui cum excommunicato comeſſabantur, imperabat illi, quare ſententiam in ipſum datam in Sacerdotem non vindicaret. Excommunicatus circumſpiciens dixit ſe non habere armaturam præ manibus, qua Sacerdotem moleſtare poſſet. Cui

vuns

vnus ex illis diabolico veneno inflammatus dixit: Accipe telum meum quod ad hoc peroptimum eſt. Excõmunicatus verò ille telum accipiens concito curſu ad Sacerdotem venit, & antequam Sacerdos illum venientem percepiſſet, miſer ille Sacerdotem telo perfodit. Sacerdos verò ſentiens ſe intolerabiliter vulneratum, manu telum tenuit: & cùm videret percuſſor, quòd telum nequiret ad ſe retrahere, vt iterum feriret, dimiſſo telo cultellum acutum, quo erat accinctus, de vagina extrahens, Sacerdotem etiam vulnerauit quouſque ad terram cadens mortuus putaretur. Miſer ille ſacrilegus homicida à loco & villa diſcedens non comparuit. Sacerdotes igitur circumadiacentes hoc factum audientes accurrerunt, & adhuc eum palpitantem inuenientes, corporis & ſanguinis Domini Sacramentis eius exitum munierunt: qui accepto Sacramento, non multùm pòſt verè Martyr ſpiritum cælo reddidit, & in eadem Eccleſia in qua deſeruiebat tumulatus eſt. Quidam enim cognatorum ſuorum qui aderant, tunicam ipſius Sacerdotis telo & cultro in pluribus locis perforatam, & ipſius ſanguine infuſam ſibi reſeruauit, arbitrantes debere eam Epiſcopo Argentin. monſtrare. Quod & factum eſt. Nam in craſtino Animarum * Synodus omni anno Argentinæ celebratur. Ad quam illi cum tunica Sacerdotis venientes, in qua ipſe Epiſcopus cum Canonicis ſuis & Sacerdotibus & Clero multo, militibúſque, & aliis plurimis viris reſidebat. Silentio igitur facto, illi cum tunica extenſa perforata & ſanguinolenta flebilibus vocibus hunc verſum, Epiſcopum intuentes, decantabant: *Vide ſi tunica filij tui ſit, an non?* Quibus Epiſcopus perfuſus lacrymis: Tunica filij mei Ioſeph hæc eſt. Et ſtatim omnes qui aderant cum ingenti clamore & gemitu reſponſum ſubiungentes, cantauerunt: *Videns Iacob veſtimenta filii ſui Ioſeph ait: Fera peſſima deuorauit meum filium Ioſeph.* Quantum ibi lacrymarum effuſum, & quantus dolor, & timor omnes qui præſentes erant, inuaſerit, vix lingua aliqua docere poſſet. Facto tamen quoquomodo ſilentio, Epiſcopus Clero hinc ita loquitur: Fratres mei dilectiſſimi, iam diabolus petiit nos vt tentaret, & cribraret ſicut triticum, vt de morte Fratris noſtri dolentes, &

** Id eſt dici 2. Nouemb. in quo Eccleſia preces fundit pro fidelibus vita functis*

scandalizatos nos redderet : nos verò in Deitate Dei Patris spem fiduciámque habentes, *qui non permittit vos tentari super id quod potestis, sed dabit cum tentatione proventum, vt possitis sustinere*, cum ipsius adiutorio disponamus quomodo hoc factum in perpetuum cum vindicta sua ad posteros transmittatur. Decernimus quippe vt auctor ille sceleris à gremio sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ cum complicibus & fautoribus suis excommunicetur, excluſus separetur, & cum Iuda traditore æternalibus pœnis, nisi satisfecerit, obnoxius sine fine teneatur. Matricem verò Ecclesiam illam, infra cuius atrium ille dilectissimus noster Sacerdos pro iustitia vsque ad mortem persecutionem passus est, honore suo priuamus : ita vt honor pariter & nomen matricis Ecclesiæ ad capellam suam Berchem transferatur, nec in ipsa Ecclesia de cætero diuina celebrentur ; excepto quòd ob reuerentiam illius fœlicissimi Sacerdotis, qui pro iustitia occubuit, & ibidem sepultus est, à Plebano de Berchem procuretur, vt ibi diuina ter in hebdomada celebrentur. Acta sunt hæc tempore illo quo annus Domini voluebatur millesimus ducentesimus quinquagesimus octauus. Hæc sunt acta vt supra sub Episcopo *Henrico* de Strahelerh antiqui Sueuiæ Comitatus tertij. Sub eodem Prædicatores fuerunt fundati subterraneo fundamento ab Argentinensibus Canonicis : in quo fundamento primarium lapidem ipse Henricus Episcopus * & sub eo Henrico sunt receepti Prædicatores intra mœnia vrbis Argentinensis in locum quem hodie habitant ; qui dederunt locum Monasterij in domibus Fridericus & Haualo Præpositus Vldaricus de Thalmasigen, & Ioannes de Alba vterque Canonicus Argentinensis.

1258.

* *Hic deest posuit*

De Clerico à milite captiuato, & ab ipso Episcopo Argentinensi clementer liberato.

CAPVT III.

QVia de venerabilis Episcopi Argentinẽsis *Henrici* factis quædam nostro Libello adnotare curauimus, tamen adhuc vnum dignum memoria legentibus aperire maturabi-

Digitized by Google

mus. Erat quidam Clericus in dicto Epiſcopatu Argentinenſi, qui quendam nobilem virum eiuſdem diœceſis, qui ſuper quibuſdam rebus ei iniuriabatur, trahebat in cauſam, & ipſum militem in Eccleſiaſtico foro multùm moleſtabat, & eum multipliciter ad iudicium trahendo ſatis eum vexabat; quod idem nobilis vir valdè moleſtè ferebat, ſed neſciebat quomodo hoc in ipſum Clericum vindicare poſſet. Qui diu ita vexatus animo torquebatur, & inter multimodas cogitationes animo fluctuabat. cùm igitur diu hac & illac excogitaſſet, tandem corde audaciam concipiens ipſum Clericum immiſericorditer moleſtare diſpoſuit. Tandem opportunitate accepta, accerſitis ſecum ſociis armata manu venit ad inimicum ſibi Clericum, hac illac quæritat, tandem Clericus inuenitur, cæditur, ſpoliatur, & vinctus ab ipſo milite deducitur. Sed quia idem miles dictum Clericum captiuum in ipſo Epiſcopatu Argentinenſi detinere non audebat, ad quoſdam amicos ſuos in Epiſcopatu Baſilienſi longè manentes ipſum Clericum vinctum captiuum cuſtodiendum deduxit, quatenus in vinculis offenſas & vexationes quas ei intulerat, miſerabiliter lueret. Sed quia Deus ipſius militis malitiam, & famuli ſui ſcilicet Clerici captiuitatem diutiùs occultari noluit, fama, quæ velocior eſt vento, hoc enorme factum illius venerabilis Epiſcopi Argentinenſis auribus innoteſcere maturauit. Cùm igitur idem Epiſcopus ſeriem rei audiuiſſet, accerſito Notario, dicto militi ſcripſit, vt Clericum ſuum quem malè tractauerat, cum vniuerſis rebus ablatis ipſi Epiſcopo reſtitueret; & de iniuria tam præſumptuoſè illata ad ipſius Epiſcopi præſentiam veniendo ſatisfaceret, & condignas pœnas de tam enormi facto meritò reportaret. Perlectis igitur miles Epiſcopi literis nimio terrore perterritus, non eſt auſus ad preſentiam Epiſcopi, vt præceperat, accedere: ſed nec acceſſit, nec ipſum Clericum, vt ei iniunctum fuerat, Epiſcopo reſtituit. Epiſcopus ſiquidē memorandus cū audiſſet ſcripta ſua in hoc facto nihil prodeſſe, cogitauit quia ſi ipſe dictum militem in foro Eccleſiaſtico conueniret, ipſe captiuus Clericus in vinculis diu torqueretur, & ob hoc ei ſalubriori ſuccurſu moras præuenire decreuit. Adunato ſiquidem non modico pugnatorum e-

xercitu, dimiſſo foro Eccleſiaſtico, materiali mucrone ad voluntatem ſuam maturandum vti voluit velociori. Vertens ſiquidem ad domum militis gradum cum exercitu ſuo, cùm adhuc non longè eſſet, militum ſuorum vſus conſilio, miſit ad dictum militem, mandans & præcipiens vt ei Clericum ſuum reſtitueret, & de tam peſſimo facto ad ipſum veniret ſatisfacturus; alioquin ipſum militem dignâ captiuitatis pœnâ multaret, vniuerſa ſua vbicunque inuenta immiſericorditer diriperet. Quo audito dictus miles cum magno timore Epiſcopo ſe velociter præſentauit, & ipſum Clericum & ſibi ablata reſtituit, & cauſam pro qua idem Clericus captiuatus fuerat in manus Epiſcopi reſignauit, & quod ipſi Epiſcopo iuxta formam Eccleſiæ ſatisfaceret & obediret, ſecuritatem quam Epiſcopus dictauit coram omnibus affirmauit. Si quidem quis velit huius facta Epiſcopi diligenter perſcrutari, ſtatim inuenire poterit quo ſpiritu ducebatur, qui tam celeriter inimicos Eccleſiæ ſanctæ & Cleri cum tanta diſcretione Deo ſatisfacere compelleret, cùm ita aſperè illos duos Sacerdotes, de quibus ſuperiùs mentionem fecimus, ſatis apertè vindicauerit, & pro ſolo Clerico armatos adunauerit, & militem ipſum qui Clericum captiuauerat, non quaſi Epiſcopus, ſed quaſi Princeps militiæ ad ſatisfactionem condignam compulerit. Sed de ipſo Epiſcopo cùm alia plurima memoriæ digna ſcribi poſſint, hæc dicta ſufficiant.

De conflictu coram Epiſcopo Metenſi inter Eccleſiam Senonienſem & Dominum de Salmis.

CAPVT IV.

ANno Domini M.CCLI. tempore *Iacobi* Metenſis Epiſcopi, Dominus *Balduinus* & Conuentus Senonienſis conuenerunt Dominum *Henricum* dictum de Salmis coram dicto Epiſcopo, ſuper iniuriis quas inferebat Eccleſiæ Senonenſi. Ille verò volens declinare iudicium, dixit quòd ipſe vel prædeceſſores ſui pro ipſo Epiſcopo vel prædeceſſo-

Digitized by Google

ribus eius nihil vnquam defecerant, & ita à iudicio diſceſſum eſt. Dictus igitur Henricus Dominus de Salmis tali exceptione fultus multas & graues Eccleſiæ Senonienſi intulit iniurias. Habebat enim quendam fratrem, quem pater eius in partibus Burgundiæ de quadam muliere fertur genuiſſe, qui ad omnia mala & actus peruerſos valde exercitioſus erat. Idem quibus poterat machinationibus Eccleſiam Senonienſem ſedulò opprimebat, vnde Dominus Balduinus Abbas ipſi Iacobo Epiſcopo dictas moleſtationes coactus eſt ſæpiùs intimare. Quapropter idem Epiſcopus cuidam Præpoſito ſuo Therrico nomine per literas ſuas patentes diſtrictè præcepit, vt quotiens querimonia Abbatis Senonienſis ad ipſum perueniret, totiens de rebus Domini de Salmis acciperet, ſi gratiam Epiſcopi vellet retinere; quod & ipſe Præpoſitus facere ſtuduit. Sed de his omnibus in vtilitatem Eccleſiæ Senonienſis nihil deuenit.

Quòd Dominus Henricus de Salmis Duci Lotharingiæ allodium Morehanges vendidit.

CAPVT V.

IGitur cùm hæc ita ſe haberent, contigit Dominum de Salmis magnis debitis detineri: & cùm non haberet vnde redderet, neceſſitate coactus Friderico iuniori Duci Lotharingiæ caſtrum ſuum Morehanges dictum pro ſeptingentis libris Metenſiũ vendidit; quod allodium ſuum priùs erat, & hoc ab eodem Duce in feodo accepit, vt ſi quando ipſi Duci neceſſitas occurreret, illud caſtrum abſque vlla contradictione redderetur. Quod cùm Epiſcopus Metenſis audiſſet, majori ex tunc indignatione exarſit contra ipſum Dominum de Salmis, & ex tunc cœpit eum duriùs impellere. Contigit præterea Dominum de Salmis penes Morehanges fontem ſalinarem reperiſſe, in quo ædificando multas expendit pecunias: & licet ab Epiſcopo prohibitus, tamen ad conficiendum ſal ille fons nihil valuit. Sed nec debitorum pondere, nec expenſarum dicti fontis perditarum

caſtigatus, ad deteriora ſpirans, Eccleſiam Senonienſem quomodò poterat, moleſtare non ceſſabat. Nam conſilio Renaldi ſupradicti, qui & Balliuus ipſius Domini de Salmis tunc temporis erat, in quodam monte in poſſeſſione Eccleſiæ Senonienſis ſito iuxta Grandē fontanā fabricam ad ferrum conficiendum fieri iuſſit. Nam ibidem lapides reperiuntur, de quibus fit ferrū, quos vulgo minam ferreā vocant. Abbas verò, cmmhæc comperiſſet, ſtatim Epiſcopo Metenſi indicare maturauit, dicens quòd Dominus de Salmis fundum Eccleſiæ ſuæ inuaſerat, ſicut prædictum eſt, quod antea nullus prædeceſſorum ſuorum fecerat. Epiſcopus verò iratus præcepit Præpoſito ſupradicto quòd ſine mora penitus deſtrueret, quod & factum eſt. Nam ipſe Præpoſitus non tantùm fabricas ipſas deleuit, ſed vniuerſa vtenſilia fabrorum & ferrum quod fecerant aſportauit. Et ſic Dominus de Salmis viuente Iacobo Epiſcopo in fabricis illis non eſt auſus quicquam operari: attamen in quibus poterat Eccleſiam Senonienſem quotidie non ceſſabat moleſtare.

De eo quòd idem Henricus de Salmis indigentia ductus Epiſcopo Iacobo Metenſi duo caſtella Pierepercie & Salmis vendidit.

CAPVT VI.

IGitur cùm hæc fierent videns Dominus de Salmis ſeſe triplici modo intolerabiliter vexari: primò quia Epiſcopi Metenſis iram ſibi ſentiebat plus ſolito inceſſanter imminere: ſecundò quòd à creditoribus ſuis tædiabiliter vrgebatur: tertiò quia facultas non ſuppetebat, qua poſſet Domini ſui Epiſcopi iram mitigare, vt creditoribus ſuis ſatisfaceret, & egeſtatem ſuam releuaret. Cùm igitur idem Dominus de Salmis tot afflictionibus quateretur, nec aliquam euadendi viam reperire poſſet, conſiderauit ſibi duo tantùm caſtella ſupereſſe: Pierepercie ſcilicet, quod allodium eſſe ferebatur, & aliud caſtellum de Salmis dictum, quod Comes *Henricus de Albomonte* auus iſtius Henrici de Salmis,

Digitized by Google

in fundo Eccleſiæ conſtruxit; dequibus anguſtias ſuas ſe credidit poſſe mitigare. Adiit ſiquidem Epiſcopum Metenſem, & ei ipſa caſtella vendidit eodem tenore quo & Morehanges Duci Lotharingiæ antea vendiderat. Epiſcopus verò accerſitis ſecum viris diſcretis, ad vtrumque caſtellum acceſſit, & ibi pernoctauit, & cuſtodes turrium & portarios portarum inſtituit: & ſuper his omnibus priuilegia facta ad Epiſcopium ſuum reportauit; & ita Epiſcopus Domino de Salmis ex tunc mitior fuit: Sed tamen reparandi fabricas ferreas licentiam non accepit: ſed de die in diem nunc huc, nunc illuc, nunc coram ipſo Epiſcopo, nunc coram Conſiliariis Epiſcopi, ad pacem componendam nos inuitabat, Et cùm nos pluries de loco ad locum pertraxiſſet, nihil tamen de pace fuit ordinatum. Et cùm inter Dominum de Salmis & Balduinum Abbatem & Conuentum Senonienſem ferè per quatuordecim annos ita fuiſſet decertatum, nec ipſum certamen peccatis noſtris exigentibus ad vllum finem deueniſſet; Omnipotens redditor delicta noſtra duriùs ferire voluit. Nam permittente Deo Dominus de Salmis tam crudeliter opprimere non timuit, vt crederes eum eſſe Nabuzardam Principem coquorum Regis Babyloniæ, qui muros Hieruſalem deſtruxit, ſicut poſteà pleniùs exponemus.

De demiſsione ſacrarum imaginum; & proclamatione quæ quotidie fiebat pro Domino de Salmis & fautoribus eius.

CAPVT VII.

CVm igitur Dominus de Salmis Eccleſiam noſtram Senonienſem tã miſerabiliter affligeret, nec ipſa aliquem verum haberet defenſorem, habito venerabilis Patris *Gilonis* Epiſcopi Tullenſis, & aliorum prudentum virorum conſilio, cum magno fletu & altis ſuſpiriis ſacratiſſimas imagines Redemptoris noſtri, & etiam Beatiſſimi Simeonis Con-

feſſoris, ſeptimi à Beato Clemente Metenſis Epiſcopi multismiraculis decorati, de locis ſuis ad terram ſuper ſpinas depoſuimus, cum lacrymis ad Dominum clamantes & dicentes: *Suſtinuimus pacem & non venit: quæſiuimus bona, & ecce tribulatio. Cognouimus Domine peccata noſtra, ne in æternum iraſcaris nobis Deus Iſraël.* Deinde quia priuilegia Apoſtolicorum virorum Romanorum Pontificum omnes malefactores Eccleſiæ noſtræ excommunicant, & à gremio ſanctæ Eccleſiæ ſeparant, & à communione ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Domini IESV Chriſti alienant, & in die diſtricti examinis diuinæ vltioni ſubiiciunt; ita & nos Dominum de Salmis, & omnes fautores ſuos ſingulis Dominicis diebus & feſtiuis in facie Eccleſiæ ipſas ſententias manifeſtabamus incurriſſe; ac demum ad maiorem Miſſam ante Agnus Dei omnes pariter genua flectentes à Diacono quotidie ante altare proclamatio illa in ſpiritu humilitatis recitabatur. In qua ipſe Henricus Dominus de Salmis cum fautoribus ſuis apertè nominabatur. Quâ finitâ, Chorus reſponſorium *Aſpice Domine* cum verſu decantabat. Deinde omnes proſtrati, Pſalmum, *Deus miſereatur noſtri, Kyrie eleyſon, & Pater noſter*, deuotè dicebant. Presbyter verò qui Miſſam celebrabat, flexis genibus ante corpus & ſanguinem Domini ſubiungebat, deinde verſum *Exurgat Deus*, & Collectam, *Eccleſiæ tuæ preces*, vel aliam tempori tribulationis competentem; deinde Miſſa finiebatur: nec adhuc propter hoc Dominus de Salmis cum ſuo *Renaldo* à læſione noſtra ceſſabat.

De morte Iacobi Metenſis Epiſcopi; Et de direptione bonorum Eccleſiæ Senonienſis ſacrilega per Dominum de Salmis.

CAPVT VIII.

ENimuerò quia nondum tempus miſerandi noſtri aduenerat, vt nobis clariùs pateſceret quia *melius eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine: & quia maledictus eſt qui ponit*

ponit carnem brachium ſuum dicto citiùs auxilium Epiſcopi Iacobi nobis extemplò ſubſtractũ eſt. Et quia in ipſo Epiſcopo plurimùm confidebamus, experti ſumus planè, quia *bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus.* Nam cùm nos ſperaremus de manibus Domini de Salmis ab ipſo Epiſcopo liberari; ipſe decidit in lectum, & fluxu ventris ingraueſcente mortuus eſt, & nos ita ſpe adiutorij fraudati ſumus. Cùm igitur Canonici Metenſes mortem ſui Epiſcopi percepiſſent, tulerunt corpus eius & ſepelierunt illud ante quoddam altare in Eccleſia B. Protomartyris Sthephani. Sed quia de mortis eius vilitate vel paupertate diutiùs loqui pudet, breuiter tamen dico quòd qui in vita ſua cunctos in poteſtate ſua poſitos, Clericos, Monachos, Laïcos, rebus propriis ſpoliauerat, ipſe in morte ſua ita ſpoliatus inuentus eſt, vt circa eum vix inueniri potuiſſet, vt audiui, quo corpus eius valeret cooperiri. Quædam tamen de ipſo Epiſcopo, dum adhuc viueret, laudabilia facta referuntur. Præcepit ſiquidem vt omnes captiui tempore ſuo detenti laxarentur, & rapinam ſalis, non quod rapuerat, ſed quod ſecum ferre non poterat, reddi iuſſit. Et de redditione ipſa priuilegia conſcribi fecit, quæ paruo tempore valuerunt, ſicut in ſubſequentibus clariùs patebit. Cùm igitur Dominus de Salmis mortem Epiſcopi comperiſſet, credidit ſe poſſe Monaſterium noſtrum & res eius ſuæ ſubiicere poteſtati; cœpit nos & res noſtras duriùs impugnare. Accerſito quippe ſuo Renaldo cum quibuſdam aliis, miſit eos ad nos; & conuocatis Fratribus ſic ait, Dominus meus me miſit ad vos: vt ſi vultis ipſe proteget vos contra omnes, & ſuper hoc habeatis conſilium. Nos verò intrantes Capitulum ei alia pro aliis reddebamus. Quidam noſtrum dicebant, quia Abbas non erat præſens, bene poteramus hanc protectionem ad tempus acceptare, ſi Abbati placeret: Alij verò non acceptauerunt. Et ita quod nobis bonum erat recuſauimus, quod poſtea verè ſenſimus. Milites verò illi indignanter recedentes Abbatiam noſtram & omnes grangias noſtras ſaiſiuerunt. Canonici verò Metenſes conuenientes vt Epiſcopum eligerent, ſed non ſunt concordati, licet ſæpiùs ad eligendum conuenirent, quia Comes Bar-

renſis, vt ferebatur, eorum impediebat electionem. Tandem conuenientes, duos elegerunt. Pars verò vna elegit quemdam Philippum, qui dicebatur de Florehanges, qui & cognatus Ducis Lotharingiæ erat, & Præpoſitus S. Deodati, & Theſaurarius Metenſis. Altera autem pars elegit quemdam Canonicum ſuum Theobaldum nomine de Porcellis, diuitem nimis, ſed groſſum & grauem corpore. Inter quos diu de Epiſcopatu litigatum eſt. Dominus quippe de Salmis cùm videret ſibi tempus malefaciendi arridere, fabricas quæ priùs fractæ fuerant, inſtaurauit, & nemora noſtra ad prunas faciendas incidi fecit, & fabros ad ferrum ibidem inſtituit. E contra Conuentus noſter ſupradictas excommunicationes & proclamationes in ipſum Dominum de Salmis, & in coadiutores ſuos non ceſſabat promulgare. Quod ipſe Dominus de Salmis vltra modum ægrè tulit: & mittens ſatellites ſuos cum ſuo Renaldo armatos, abſtulerunt omnes res noſtras quas inuenerunt, equos, boues, oues, vaccas, & porcos: & ea quæ voluerunt, deduxerunt. Similiter & in grangiis noſtris idem fecerunt. Sed & in eadem die Cellam noſtram in Bruſcaualle, & domum noſtram Anſelmiuillare idem tyrannus eadem die omnibus bonis ſpoliari iuſſit, & hoc factum eſt ſabbatho proximo ante Septuageſimam. Sed cùm crederemus eis ſufficere quod fecerant, mane facto idem Renaldus cum complicibus ſuis venientes inuenerunt portas Clauſtri & oſtia clauſa, & petentes ſe intromitti, non eſt eis conceſſum: ſed ſcalas muro applicantes tranſierunt, & deſcendentes ante cameram Abbatis, Clauſtrum intrauerunt, & tollentes ſibi claues Eccleſiæ & Clauſtri, & Cellarij, vniuerſam ſuppellectilem Monaſterij poteſtati ſuę ſubdiderũt. Deinde accerſitis curribus puluinaria, ollas æreas, & patellas coquinæ, & omnia quę in eleemoſynam pauperibus diſtribuenda erant, in curribus ſuis aſportauerunt. Deinde vaſſallos ſuos ad turres cuſtodiendas deputauerunt. Matthæus verò Prior bonæ indolis iuuenis, & cæteri Fratres, hæc videntes conſiderauerunt ſe hîc locum manendi non habere: cruce præuia omnes ordinatè Monaſterium exierunt, plorantes & deprecantes vt Deus omnipotens greſſus ipſorum in viam ſalutis dirigeret: & ſic

Digitized by Google

procedentes ea nocte apud Medianum-Monaſterium pernoctauerunt. Deindead præceptum Abbatis ad diuerſa tranſierunt. In Clauſtro verò Senonienſi nemo Monachorum remanſit,excepto me & quodam Fratre noſtro Bertrando, qui graui detinebatur infirmitate. Sed quia Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat; hunc dirum noſtræ Eccleſiæ vaſtatorem, ſatis digna correctione ammonere voluit. Nam vxori ſuæ prægnanti tempus pariendi aduenit, & peperit filium, proh dolor! antequam naſceretur,mortuum. Vnde à pluribus per infortunium, immò vindicta Dei luculenta, maximè à parentibus plangenda fuit triplici modo. Primò quia abortiuus natus & non baptizatus creditur regnum Dei non poſſe poſſidere. Secundò quòd parentes eius abortiui tam miſerabiliter perdiderunt ſibi futurum ſucceſſorem & hæredem; quia eis nunquam natus fuerat maſculini ſexus puer. Tertiò, nec tam apertè caſtigati à malitia ſua ceſſauerunt: ſed familiam totam Monaſterij ſcilicet carpentarios, furnerium, lauandarium, piſcatores, ille diaboli ſatelles Renaldus bonis ita omnibus ſpoliauit, vt vix in domibus eorum parietes erecti ſubſiſterent.

De Gillone Epiſcopo Tullenſi & ſententia per eum in Dominum de Salmis promulgata.

CAPVT IX.

DEnique cùm cor noſtri vaſtatoris contra nos, ſicut cor Pharaonis contra populum Dei in Ægypto fuiſſet induratum, nos in tanta tempeſtate non inueniebamus conſolatorem. Quid plura? Canonicos Metenſes conſuluimus, auxilium eorum inſtãtiſſimè implorauimus: ſed quid dicam? Non fuit qui adiuuaret. Igitur cùm Dominus de Salmis nos & Eccleſiam noſtram, vt ſupra dictum eſt, inſtanter moleſtaret,poſt diutinas alterationes, electi Metenſes, *Philippus* ſcilicet & *Theobaldus* ad præſentiam Archiepiſcopi Treuerenſis vocati ſunt. Cuius induſtriâ neſcio quo pacto

dicti Electi ita pacificati sunt, vt ipse Theobaldus cederet, & Philippus confirmaretur Episcopus, & postea consecratus Episcopatum obtinuit. Dominus verò Abbas *Balduinus*, & quidam fratrum nostrorum ipsum Episcopum adierunt, & ei omnes calamitates nostras de verbo ad verbum, sicut supra dictum est, intimauerunt. Qui Episcopus ita rudis & segnis à nostris inuentus est, vt crederes eum nullius vigoris virum esse: sed tamen quædam verbis promisit, quæ facta non fuerunt. Fratres verò nostri venerabilem Gilonem Episcopum, quem Deus omnipotens sanctæ Sedi Tullensi Rectorem concesserat, dolentes petierunt, & ei quæ facta fuerant exposuerunt. Episcopus hæc audiens valdè indoluit; & accersito Notario scripsit Alexandro Abbati Mediani-Monasterij, vt ad domicilium Domini de Salmis personaliter accederet, & eum diligenter admoneret vt de perpetrata tam enormi iniquitate resipisceret, & ablata restitueret, & de tam impio facto Deo & Ecclesiæ satisfacere non differret. Accepto igitur Abbas mandato Episcopi, non segniter, sed zelo domus Dei spoliatæ ductus sibi iuncta accelerare properabat. Veniens igitur ad Villam quæ Baudouiller dicitur, inuenit illum Angelum Sathanæ Renaldum Balliuum Domini de Salmis in malitia nimis exercitiosum, qui interrogauit Abbatem quid quæreret. Abbas verò ei indicauit mandatum Episcopi sibi commissum. Ille ergo audiens iratus misit manus in eum, & tenuit eũ & tradidit eũ satellitibus suis in domo quadã custodiendũ, qui sedulò custodiebant eum, & expensas magnas in custodiendo Abbate faciebant, ita vt in duobus diebus & noctibus octo solidos Tullensium expenderent: putabant enim quod Abbas omnia persolueret. Fratres igitur Mediani-Monasterij audientes quòd Abbas ipsorum captiuus teneretur, cucurrerunt ad Præpositum Ducis Lotharingiæ *Godefridum* nomine, & indicauerunt ei quòd Abbas ipsorum captiuus teneretur: Præpositus verò assumptis secum armatorum cuneis properabat ad villam illam vbi Abbas tenebatur, sed mediâ viâ consuluerunt ei ne vlteriùs procederet, nisi priùs inquireret si aduersarij ei Abbatem Domini sui reddere vellent; alioquin quod vellet, rationabiliter facere posset.

Digitized by Google

Præpoſitus enim eorum conſilio acquieſcens miſit duos milites qui Abbatem requiſierunt. Balliuus audiens quòd Præpoſitus Ducis cum armatis ad ſe veniret, timuit, & Abbatem dimiſit. Abbas verò mandatum quod acceperat ſolemniter expoſuit, denuncians ab Epiſcopo Tullenſi excommunicatum, & ſecundum ſtatuta Concilij Treuerenſis ipſum Dominum de Salmis excommunicatum ac terram ſuam ſub interdicto poſitam affirmauit, excepto viatico mortuorum, & baptiſmate puerorum. Et ſic Abbas & Præpoſitus cum ſuis ad ſua redierunt. Epiſcopus quippe Tullenſis, qui ſe sẽper conſueuit prodomo Domini murũ ponere, zelo diuino animatus Domino Epiſcopo Metenſi ſupplicauit, vt quod ipſe contra Dominum de Salmis & terram ipſius in Epiſcopatu Tullenſi pro Eccleſia Senonienſi exercuerat, hoc ipſe in Epiſcopatu ſuo contra dictum Dominum denunciare ſatageret. Epiſcopus ergo Domino Nemerico Plebano de Vico ad hoc faciendum cum literis ſuis apud Morehanges deſtinauit. Qui cùm ad caſtrum ipſum deueniſſet, perlectis literis Epiſcopi ammonuit vt Dominus de Salmis Eccleſiæ Senonienſi ablata reſtitueret, & de commiſſis ſatisfaceret, alioquin ipſum Dominum, & totam familiam ſuam, & fautores, & coadiutores ipſius excommunicatos denuntiabat, & terram ipſius auctoritate Metenſis Epiſcopi, & ſtatuti Treuerenſis ſub interdicto poſitam conſtanter affirmabat. Familia igitur ipſius caſtri hæc audiens iniecit manus, & tenuit eum: & mittens eum in compedibus ferreis vinctum cuſtodiebat. Plebanus verò nolens longiùs ita detineri, hoſtagiauit ſe pro ſexaginta libris, & ſic receſſit, & veniens, nunciauit hæc Epiſcopo. Excommunicato quippe Domino de Salmis, & terrâ ſua ſub interdicto poſitâ, ita vt nec mortuis catholica concederetur ſepultura, nec ſententia in ipſum & fautores ſuos & in terram ſuam data ab Archiepiſcopo Treuerenſi, vt ſperabat, eſt infirmata. Et cùm ſuper hoc vltra modum torqueretur: ille ſuæ perditionis Balliuus, immo certè Antichriſti Renaldus inopinata damna, & moleſtias contra Eccleſiam noſtram excogitare cœpit. Nam aduenientе tempore veris, quo agricolæ ad colenda arua & hortos procedere

ſolent, illſe malorum adinuentor Renaldus prohibuit ne homines Eccleſiæ Senonienſis croadas debitas perſoluerent: nec agros nec hortos prout ſolebãt excolerẽt. Audi, ô lector, adinuentionis nefas permaximum: legimus in Annalibus hiſtoricis quarundam ciuitatum agros, & terras in circuitu ſuo adiacentes, ab aliarum ciuitatum obſeſſoribus & hoſtibus ſale ſeminatas, vt in ipſis terris ardor ſalis nullum ſemen germinare permitteret aut creſcere; vt cùm agri ſale ſteriles effecti, nullum fructum proferrent; habitatores illarum ciuitatum fame attriti, ſeipſos & vrbes ſuas inimicis ſuis tradere cogerentur: ſic & iſte nequiſſimus Balliuus ideo agros noſtros & hortos coli prohibuit, vt nos & Eccleſia noſtra penuriâ attriti voluntati Domini ſui velociùs ſubiiceremur. Sed in hoc dictus Balliuus ſuâ opinione fraudatus eſt: nam cùm vir ille venerandus ſemper Dominus *Gillo* Tullenſis Epiſcopus ſupradictam prohibitionem audiuiſſet, ſtatim datis literis præcepit eumdem Dominum de Salmis, & omnes adiutores & fautores, & etiam Balliuos ipſius ſingulis Dominicis diebus & feſtiuis per totum Epiſcopatum Tullenſem excommunicatos denunciari.

De tractatione pacis inter Eccleſiam Senonienſem, & Dominum de Salmis.

CAPVT X.

CVm igitur ipſe Dominus de Salmis videret, quòd neque per malitiam ſuam, neque Eccleſiam noſtram & & nos opprimendo, neque per Archiepiſcopum Treuerenſem inquo plurimùm confidebat, neque per ipſum Epiſcopũ Metenſem qui eumdem Dominũ de Salmis inuitus offendebat, neque demum per Iuriſperitos, & Aduocatos, quorum copiam ampliſſimis donis & muneribus ſibi acquiſierat, ſupradictam ſententiam non poſſe reuocari; conſiderans ſe in periculoſo ſtatu eſſe conſtitutum, cœpit de pace tractanda anxiè cogitare. Sed quia ea quæ in his agendis competebant videbat eſſe difficillima, tum pro rerum abla-

Digitized by

tarum reſtitutione, tum quia in iis reddendis ad plenum ei facultas non ſuppetebat, & præterea quia de tam nefario facto Deo & Eccleſiæ Senonienſi & nobis eum ſatisfacere pudebat. Quia Dux Lotharingiæ *Fridericus* iunior, qui tunc temporis de nouo poſt patrem *Matherum* regnum Lotharienſe regendum acceperat; nec non & Comes Vvadanimontis iuuenis, & alij quamplures milites ſua iuuenilia corda ſequentes, ipſum Dominum de Salmis ad mala potiùs quàm ad bona inſtigabant. Denique cùm idem Dominus de Salmis conſideraret quòd nec nos nec Eccleſiam noſtram moleſtando, nec Dominum Abbatem, nec Fratres noſtros per diuerſa loca ad componendum de die in diem trahendo, pacem ſibi competentem poſſet obtinere, Dominum Epiſcopum Metenſem *Philippum* pro ipſa pace rogaturus adire decreuit. Epiſcopus verò ipſum nolens offendere, parti ipſius magis fauere cœpit, quàm noſtræ. Habebat enim quemdam militem ſecum peritiſſimum loquacem, qui Albertus de Othoniſuilla dicebatur, qui aliquando Domini de Salmis conſiliarius exſtiterat. Huius conſilio pacem qualem voluit ordinauit: & comminatus eſt nobis quod ſi contra illam ordinationem venire vellemus, ipſe contra nos & Eccleſiam noſtram, immò certè B. Stephani, & ſuam, ſemper & in omnibus ſe acturum affirmabat. Quid igitur contra hoc facere poſſemus ignorabamus. Immiſit tamen Deus in cor Abbatis vt firmiter aſſereret, ſe nunquam ea quæ Epiſcopus de pace componenda ordinauerat, velle conſentire, niſi priùs Dominus de Salmis ablata reſtitueret vniuerſa, quod & Epiſcopus acceptauit, & data ſecuritate de reſtitutione faciẽda Dominus de Salmis diem etiam aſſignauit. Vnde incontinenti beneficium abſolutionis petiit, quod & Epiſcopus Metenſis libenter annuit. Semper verò reminiſcendus Dominus *Gillo* Tullenſis Epiſcopus aſſeruit ſe nunquam eum velle abſoluere, niſi priùs daret cautionẽ, quod pro tam oneroſo exceſſu mandato ſtaret Eccleſiæ. Dominus verò de Salmis videns ſe nullam declinandi viam inuenire poſſe; coram ipſis Epiſcopis, & Clericis, militibus, & aliis quampluribus corporali iuramento ſolemniter præſtito promiſit ſe mandato Eccleſiæ & volun-

tati Domini Gillonis Tullenſis Epiſcopi velle libenter obedire, & ita beneficium abſolutionis meruit, & eius terra ab interdicto eſt liberata. Deinde Dominus de Salmis credens quòd Conuentus ſtatim, & theſaurus, & res aliæ Monaſterij, quæ ad alia loca pro metu guerræ tranſlata erant, incontinenti ad Clauſtrum reduci deberent, præcepit vt homines Eccleſiæ noſtræ croadas & hortos, ſicut antea ſolebant, excolerent, & ea quæ Eccleſiæ debebant perſoluerent. Hoc præceptum datum eſt vltimâ ſeptimana Aprilis quæ fuit illo anno proximior Paſchæ. Balliuus igitur prædictus ad Clauſtrum veniens eiecit, ſicut promiſſum fuerat Epiſcopis à Domino ſuo, cuſtodes turrium & Monaſteriorum, & vniuerſam familiam Domini ſui à Monaſterij curia expulit. Et hoc factum eſt proximâ feriâ ſextâ ante Paſcha, quæ Paraſceue appellatur. Sed de rebus ablatis nihil eſt reſtitutum. Vnde Dominus Abbas ſatis ſagaciter hoc fertur egiſſe, quòd ante reſtitutionem rerum ablatarum noluit concedere, quod Conuentus ad Monaſterium reuerteretur: & ita in Monaſterio Senonienſi diuina omninò ſiluerunt à die Paraſceue vſque ad ſubſequentem vigiliam Natiuitatis Domini, & in Clauſtro noſtro nullus Monachorum degebat, excepto me Richero ſcilicet, & Bertrando qui graui detinebatur infirmitate, & quodam Monacho noſtro, Hugo nomine, qui valdè aſtutè diſperſa recolligebat; & aratra boum & caballorum ſatis ſagaciter inſtruebat, & omnia quæ obedientiæ ſuæ competebant ita prudenter diſpoſuit, vt nihil de omnibus pro poſſe ſuo ſineret deperire.

Quòd Dominus de Lietſtemberch deprædatus eſt terram Epiſcopatus Metenſis ſede vacante.

CAPVT XI.

ENimuerò, quia occaſio ſe ingerit vt à materia aliquantulùm diſgrediamur, & retrogrado curſu à morte bonæ memoriæ Iacobi quondam Metenſis Epiſcopi, ea quæ explicare volumus, initiare curauimus. Igitur defuncto dicto

Digitized by Google

cto Epiſcopo & ſede Metenſi adhuc vacante, quidam tyranni ſuis viribus confiſi terras Epiſcopatus inuadere & deprædari non timuerunt. Sicut ſupradictus Dominus de Salmis Eccleſiam noſtram Senonienſem crudeliſſimè pro poſſe ſuo, vt ſupra dictum eſt, opprimere, immò ad nihilum redigere conatuseſt. Similiter & Dominus de Lietſtemberch credens quicquid in ipſo Epiſcopatu mali facere voluiſſet, perpetualiter inultũ permanere; idẽ quippe Dominus de Lietſtẽberch vidẽs Epiſcopatũ Metẽsẽ ſine defenſore eſſe, accerſitis ſecum ſatellitibus ſuis acceſſit ad Clauſtrum, quod Nouum-villare appellatur, & fraude oppidum, quod ante ipſum Clauſtrum ſitum eſt, armata manu intrauit. Promiſerat quippe ſe illis nihil mali facturum; ſed promiſſionis ſuæ impudenter oblitus, ipſum oppidum rebus omnibus ſpoliauit, & domos funditus deſtruxit, & lapides & ligna domorum, & vniuerſa ſpolia ibi inuenta in curribus & in equis ſibi aſportari fecit; & cum his omnibus quendam montem aſcendit, qui ſitus eſt iuxta caſtrum quod Erneſte appellatur, ibíque in fundo Epiſcopatus caſtrum erexit, & de lapidibus & lignis quæ de oppido tulerat, illud ædificari iuſſit. Similiter & quamplures alij tyranni res & bona Epiſcopatus diripere non timuerunt.

De introitu Philippi Epiſcopi Metenſis cum exercitu ſuo in terram ipſius Domini de Lietſtemberch.

CAPVT XII.

IGitur cùm ita reſe haberent, & *Philippus*, de quo ſuprà diximus, Epiſcopatum Metenſem obtinuiſſet, & caſtra & munitiones, & terram ſibi ritè vendicaſſet, vocatis ad ſe Magiſtratibus ciuitatis Metenſis, ab ipſis requiſiuit quid de tyrannis illis, qui Epiſcopatum ipſo abſente inuaſerant, fieri deberet. Et reſponſum eſt ei, quia hæc iniuria Epiſcopatui illata ipſos ciues Metenſes ſicut Epiſcopum tangere deberet: ipſi verò pro iniuriis illis vindicandis, & ſe & ſua prout deberent exponere parati erant. Epiſ-

copus verò ſtatim miſſis nunciis màndauit Duci Lotharingiæ *Friderico* Iuniori cognato ſuo, vt cum exercitu ad ſe veniret, quia Dominus de Lietſtemberch ei multa damna & iniurias intulerat, quas in eum vindicare conabatur. Dux cùm hæc audiſſet, ſatis ei placuit, & miſſis nunciis accerſiuit ſibi Burgundionum & aliarum gentium grandem multitudinem. Epiſcopus verò mandauit Comiti Barrenſi vt in armis ad ipſum veniret, qui miſit Epiſcopo cuneum armatorum, Sed in propria perſona non venit. Idipſum Rex Nauarræ fecit. Congregato igitur exercitu Epiſcopus terram illius de Lietſtemberch cum gente ſua intrauit, & fixit ibi tentoria; æſtimatus eſt quippe exercitus ille ſuper omnes exercitus qui noſtris temporibus in Lotharingia exſtiterunt. Dominus igitur de Lietſtemberch videns terram ſuam à gente iſta occupatam, valde expauit, & Vvalterum adiens Epiſcopum Argentinenſem, rogabat eum vt ei ſuccurreret. Quod cùm audiſſet Epiſcopus, timuit ne Dux cum exercitu tanto terram illam intraret, ſic quippe fama ſe habebat. Idem verò Epiſcopus videns ſibi & terræ ingens periculum imminere, miſſis nunciis, adunauit ſibi non modicam multitudinem armatorum: & etiam ab Argentinenſibus auxilium petiit, qui non acquieuerunt, ſed dicebant ciuitatem ſuam ſe velle cuſtodire. Epiſcopus iterum mandauit eis, vt ſaltem exercitui ſuo mercatum miniſtrarent. Ciues reſponderunt quòd ad cuſtodiam ciuitatis ſuæ rerum facultas vix eis ſufficeret. Epiſcopus denique videns ſe à ciuibus ſuis fore derelictum, miſit in ciuitatem vt quaſdam res ſuas, quas intus habebat, ad ſe deduci faceret, quod & ciues non conſenſerunt, ſed nuncios Epiſcopi ad Dominum ſuum vacuos remiſerunt. Quod ipſis & toti Alſatiæ grande ſcandalum fuit. Denique Epiſcopus Argentinenſis deſiderans copiam armatorum habere, miſit ad Archiepiſcopum Treuerenſem, qui ei cognatione proximus erat, vt ei veniret in auxilium. Cùm ergo ipſe Epiſcopus adunaſſet quos potuit conuocare, videns quòd ipſe exercitui Epiſcopi Metenſis reſiſtere non valeret, cœpit de pace tractare, quæ ſic, vt fertur, eſt ordinata. Dominus quippe de Lietſtemberch contulit ſe ditioni & voluntati Epiſcopi Metenſis; erat enim homo eius. Denique promiſit Epiſcopo quòd op-

pidum illud ante Clauſtrum de Nouo-villari ſitum, quod ab eo ſuperiùs diximus fuiſſe deſtructum à fundamentis, in meliorem ſtatum per omnia reædificaret, & ſpolia ablata reſtitueret & caſtellum quod ædificauerat penitus deſtrueret. Hac igitur pactione per Magnates illius terræ ordinatâ, & per literas inde confectas, prout debuit, etiam condignam ſatisfactionem Domino Epiſcopo de perpetrato ſcelere, datis fideiuſſoribus, ſe facturum repromiſit. Vnde & caſtellum quod in fundo Epiſcopatus erexerat, incontinenti totaliter euerſum eſt & deſtructum. His ergo omnibus, vt ſupra dictum eſt, ordinatis, exercitus ab inuicem ſeparati ad ſua redierunt. Sed quia de Argentinenſibus & Epiſcopo eorum ſuperiùs mentionem feci; de cruenta guerra, quæ modica occaſione inter ipſos poſtea inualuit, ſicut à veridicis relatoribus didici, partem relatione dignam ad poſteros deſtinare curabo.

De initio guerræ Vvalteri Epiſcopi Argentinenſis contra ciues Argentinenſes.

CAPVT XIII.

IGitur cùm guerra Domini de Lietſtemberch talẽ vt dictũ eſt, finẽ percepiſſet, *Vvalterus* Epiſcopus Argentinenſis ad propria reuertens, cœpit Argentinenſes duriter calũniari, quare in tanta neceſſitate ei non ſuccurriſſent, cùm viderent eum contra aduerſarios patriæ bellum voluiſſe committere. Qui Argentinenſes reſponderunt: Si Epiſcopus pro defenſione Epiſcopatus ſui aliquam pateretur neceſſitatem, ipſi pro viribus ei ſuccurrere feſtinarent. Res igitur Epiſcopi ideo detinuerunt, quia audierant Ducem Lotharingiæ Alſatiam in manu forti velle intrare; vt ſi forte Dux eis nocere vellet, res illæ tam Epiſcopo quam ciuitati in ſubſidium forent. Epiſcopus verò hæc audiens reſponſum illorum non acceptauit; ſed miſſis Nuntiis omnes ciues excommunicatos denunciari præcepit, & ciuitatem illorum interdicto ſuppoſuit: Clerum vniuerſum exire coẽgit. Argentinenſes quo-

que cùm hæc audirent, miſerunt Prædicatores, Fratres Minores, & alios diſcretos viros ad Epiſcopum, ſi fortè aliquam formam pacis ab eo habere valerent, nec obtinere potuerunt: ſed & conſilio Domini de Gerohfeke, qui & pater erat ipſius Epiſcopi, hæc omnia fiebant: erat quippe in ſubſtantia & argento opulentiſſimus, & diues valde nimis: habebat enim idem de Gerohfeke citra Rhenum montesin terra ſua, è quibus argentum abundanter effodiebatur cuius adiutorio etiã ferebatur in Epiſcopatu Argentinenſi filiũ ſuũ Vvalterũ inthroniſaſſe. Idẽ verò Epiſcopus verbis patris animatus Argentinenſibus bellum indixit: & quòd ciuitatẽ obſideret, ſatis acriter cõminatus eſt. Argentinenſes verò propugnaculis & aliis defenſionibus neceſſariis ciuitatẽ ſuã munierũt. Epiſcopus quippe adunato exercitu ciuitatẽ obſedit ea parte quâ de ciuitate itur ad vicum, qui appellatur Kungushoue, & ibi tentoria fixit. At vbi Epiſcopus exercitum vidit in tanto negotio ſibi non ſufficere, miſſis Nuntiis mandauit Archiepiſcopo Treuerenſi: vt in armis ad ſe veniret: qui veniens adduxit ſecum cuneum armatorum ſatis honeſtum. Qui cum veniſſet iuxta ciuitatem, credidit aliquos de ciuitate elicere vt cum eis confligeret. Illi verò de ciuitate cùm vidiſſent Treuerenſes dictum vicum Kungushoue in equis intraſſe, gauiſi ſunt valde, quia ipſi trabes grandes ex tranſuerſo vici ipſius compoſuerant, ita vt equitantes ad pedites venire non poterant; pedites verò cum equitantibus pugnare valebant: vnde ipſi Argentinenſes ad arma cucurrerunt, & intrantes domos per oſtia, aut per feneſtras, alij perſubtus trabes lanceis equos perfodiebant: baliſtarij verò ſeſſores equorum ſagittis perforabant. Videntes igitur Treuerenſes ſe intolerabiliter læſos, alij pedes, alij in equis ad mortem vulneratis, vix vicum exierunt; & venientes in campum, quorundam equi vulnerati ſub ſe mortui cadebant. Feruntur ſiquidem in ipſo conflictu Treuerenſes centum & quadraginta equos perdidiſſe. Archiepiſcopus cùm vidiſſet tantum ſuorum damnum & rerum ipſorum tam inopinabiliter incurriſſe, Epiſcopo Argentinenſi valedicens ad propria eſt reuerſus cum ſuis. Epiſcopus Argentinenſis conſiderans, quòd nihil in obſidione ipſius ciuitatis proficeret,

Digitized by Google

cum exercitu ſuo ab ea receſſit. Attamen Epiſcopus in villis quibuſdam adiacentibus ciuitati armatorum cuneos poſuit, qui exitus ciuium de ciuitate diligenter obſeruarent: vnde contigit ipſos Argentinenſes de ciuitate incautè exire; quos milites Epiſcopi inuadẽtes, quoſdã trucidauerũt, quoſdã captiuauerunt, reliquiverò fugientes ad ciuitatem ſuã reuerſi sũt. Igitur Argentinenſes conſiderantes ſuos ideò cecidiſſe, quia ſicut oues errantes ſine duce ad prælium exierãt: vnde coacti ſunt cum comite *Rodulpho* de Habeſporch conuenire, quem ſibi Dominum & Ducem præfecerunt. Videns igitur Comes Rodolphus quia Epiſcopus Argentinenſis quædam oppida & villas Regis Alemanniæ in Alſatia cuſtodienda occupauerat, molitus eſt ea ſibi vindicare. Vnde quidam Comes *Godefridus* nomine, cognatus ipſius Rodolphi, eius fultus conſilio, oppidum, quod Columbaria appellatur, in Epiſcopatu Baſilienſi armata manu intrans inopinatè ita villam ſibi ſubegit. Quam Epiſcopus Argentinenſis ſibi cupiens reacquirere, cuneum armatorum ſignis armorum Comitis Rodulphi fraudulenter indutum miſit Columbariæ; vt ita per ſigna quæ acceperant, non poſſent agnoſci quia milites eſſent Epiſcopi. Milites verò Epiſcopi ita doloſè venerunt ad portam Columbariæ; mentientes ſe eſſe milites Rodolphi, petierunt ſe intromitti. Columbarienſes igitur cognoſcentes ſigna armorum Comitis Rodolphi, aperuerunt eis portam: qui relinquentes equos ante portam pede tenus Columbariam intrauerunt. Epiſcopus verò à longè cum exercitu ſuo ſequebatur eos, vt cùm illi villam introiſſent, ipſe ſubſequendo ipſam ſibi ſubiugaret: ſed Epiſcopus ſua opinione fraudatus eſt: nam cùm Colũbarienſes deprehendiſſent illos non eſſe quos ſe eſſe ſimulabant; Columbarienſes ad arma currentes illos inuaſerunt. Quidã verò Columbarienſiũ timens ne plures in adiutorium illorum ſubintrarent, aſcendit portam & portam colliſam ab alto ad ima dimiſit: & ita Colũbarienſes cũ militibus Epiſcopi confligentes, vniuerſos interfecerunt. Epiſcopus autem tandem veniens inuenit portam obſtructam, & audiens voces pugnãtium in oppidum confuſus receſſit. In quo conflictu de gente Epiſcopi pluſquàm quinquaginta feruntur interiiſſe.

De obsidione & captione oppidi de Mulnehuse à Rodolpho facta.

CAPVT XIV.

Comes igitur *Rodolphus* videns sibi fauere fortunam adunato non modico exercitu obsedit oppidum, quod Mulnehuse dicitur, in Episcopatu Basilienſi ſitum, quod & Rex Alemanniæ Episcopo Argentinenſi commiserat custodiendum. Homines verò illius oppidi obsidionem illam ægrè ferentes, comiti Rodolpho se vltrò contulerunt qui eos gratanter susceperit. Sed milites Episcopi, & Baliſtarij, qui erant in castello quod oppido præeminet, valde oppidanos molestabant: sed Comes Rodolphus nolens hoc diutiùs sustinere, cœpit castellum impugnare, quod tandem expugnauit, & castellanos deduxit captiuos, & spolia multa, quæ à circumadiacentibus villis in castello illo recondita erant, fecit asportari, & deinde ipsum castellum funditus destruxit: & ita Comes Rodolphus Mulnehuse obtinuit. Episcopus igitur Argentinenſis cùm audisset quia Mulnehuse & Columbariam, & milites suos, & terram quam à Rege Alemanniæ custodiendam acceperat, tam infeliciter perdidisset, habito consilio misit fratrem suum, vt terram Comitis Rodolphi vbicunque positam occuparet, & penitus deuastaret. Appellabatur enim idem frater Episcopi Aduocatus Alsatiæ. Qui adunato non modico exercitu intrauit Alberti-vallem, sed tempore incompetenti: erat enim vigilia Octauarum Christi; dispersitque exercitum suum per trifariam diuisionem vallis illius, & ita in valle illa pernoctauit. Mane autem facto domos & omnia quæ in eis erant igne combusserunt, & ita vallem totam destruxerunt. Eadem nocte niuium multitudo super terram cecidit. Eadem etiam nocte gens Episcopi de Bruscaualle armati terram Comitis *Rodolphi*, scilicet Sales, & Bruscam, & alias Villas in montibus illis inauserunt, & quæcũque spolia inue-

nerunt, ſecum aſportare curabant, ſed ruſtici illius terræ adunati in quodam monticulo ſubſtiterunt prædonum ſuorum reuerſionem præſtolantes. Et cùm viderent eos ſpoliis oneratos, ita vt vix diſcederent, irruerunt in eos; & interfecerunt ex ipſis triginta quinque, exceptis vulneratis, qui volentes fugere mortem, mortem inuenerunt; nam in vepribus & ſpinis, & ſyluis ſe abſcondentes, à niuibus congelati, mortui ſunt. Sed infortunium irrecuperabile Epiſcopi hominibus euenisſe creditur, quia tam enorme factum in tam ſacra ſolemnitate Octauarum Domini perpetrare præſumpſerunt; ſicut fratri contigit Epiſcopi, qui totam Albertiuallem eadem ſollemnitate expoliauit & igne conſumpſit. Igitur milites Epiſcopi dolentes ſuper his qui in dicta terra interfecti ſunt, adunato armatorum cuneo, venerunt ad villam, quæ Nouum-caſtrum dicitur, & illam igni tradiderunt. Inde ad Sales venientes fecerunt ſimiliter, & poſtea villam Bruſcam incenderunt. Quid dicam? *la Verne, Salacie, Stamdoimont Ranrumper*, cum Eccleſia S. Vincentij & Conretum totaliter igne conſumpſerunt, & ita ad propria redierunt. Non multo poſt ex vtraque parte, ſcilicet Argentinenſes in terra Epiſcopi & adiutorum ſuorum, & Epiſcopus in Argentinenſes & eis fauentes ita rapiendo, ſpoliando, inſidiis ſæuire cœperunt, vt tota Alſatia ita depopulata & vaſtata diu ſedere in triſtitia cognoſcatur: ſi enim vniuerſa incommoda, conflictus, villarum incendia, deprædationes villarum, terrarum vaſtationes ſigillatim huic paginæ noſtræ imprimere vellem, certè lectori faſtidium incutere viderer. Ipſa enim Alſatia tot calamitatibus oppreſſa, ſuam miſeriam gemitibus inenarrabilibus innoteſcere non ceſſat. Sed quia de infortunio guerræ Argentinenſium, & Epiſcopi eorum Vvalteri aliqua digeſſimus, veniamus ad malleum ipſius guerræ quod miſerabiliter ipſius tutudit Epiſcopum.

De conflictu Vvalteri Episcopi cum Argentinensibus & de interfectis & captiuis ab Argentinensibus.

CAPVT XV.

CVm igitur *VValterus* Episcopus in quodam castello suo quod Dakuestein appellatur, cum suo exercitu vndecunque adunato ad tutelam sui degeret, Argentinenses quodam die de ciuitate parati ad bellum exierunt. Episcopus hoc audiens cum suis armatis, Argentinensibus bellum indixit. Argentinenses verò contra Episcopum processerunt, &ita bellum inierunt. Argentinenses igitur sibi ascias fecerant fabricari, quos Franci *Haches Danoises* appellant, quibus Argentinenses exercitum Episcopi ita detruncauerunt, vt nec scutum, nec galea, neque lorica, nec demum alia armatura durare posset. Præterea cùm pugna ita ingraueſceret,& cæde intolerabili inter se confligerent, exercitus tamen Argentinensium crescebat. Nam quia bellum erat prope ciuitatem, illi qui in ciuitate custodiæ causâ remanserant, videntes suos in agone certaminis viriliter laborare, zelo victoriæ moti, cum ciuibus suis in succursum venire festinarunt, in exercitum Episcopi cum furore irruentes quotquot coram se inuenerunt morti tradiderunt. Videntes igitur Magnates exercitus Episcopi, & præcipui milites de eodem conflictu non posse euadere,elegerunt sibi potiùs cũ Argentinensibus captiui viuere, quàm cum ipsis confligẽ do mori:ita Argentinenses illos armis spoliatos captiuos in ciuitatem suã transmiserunt. Igitur Argentinenses considerantes Deum in hoc conflictu sibi fauere,irruentes in aciem in qua Episcopus erat cõsiderans suorũ interitum,ipsam totam deleuerunt,& equũ Episcopi interfecerunt,ita vt ipse Episcopus ad terram corrueret. Quidam autem milites qui circa ipsum erant, eum in equo leuauerunt, & de bello eum exire compulerunt. Argentinenses igitur quos voluerunt ex illis occiderunt, & alios in ciuitatem suam secum captiuos deduxerunt. Igitur in crastino Argentinenses de ciuitate

exeuntes

Digitized by Google

exeũtes ad locũ certaminis ad ſpolianda cadauera mortuorũ deuenerũt; & quidquid vnuſquiſque ſibi aſſumere potuit, ſecum aſportauit. Cùm igitur Argentinenſes per campum interfectorum ad rapiendum diſcurrerent, contigit quendam ipſorum quendam militem inuenire in campo iacentem, armis pretioſis armatum: Cúmque appropinquaſſet, vidit adhuc in ipſo animam eſſe, & interrogauit eum dicens: Quis es tu? Miles verò reſpondit: Ego ſum frater Epiſcopi Argentinenſis dictus Aduocatus Alſatiæ, & ſubiunxit: O ſi me ad tutum locum velles deducere & mihi vitam reſeruare, ego te omnibus bonis ditarem. At ille dixit: Ego verè mallem hîc potùs mori quàm te viuum dimittere; & ita ipſum interfecit: & cùm illum armis ſpoliaret, & lorica, qua indutus erat, ex euerſo ipſum exueret vſque ad manus, inuenit ipſas cathenulis, ſicut mos eſt armatis ligari, timuit ne malo ſuo ibi diutiùs remaneret, illi militi ambas manus cum lorica abſcidit, & ita illum militem detrũcatum mortuum reliquit in campo, & ſecum manus ipſius militis cum armis ſuis ad ciuitatem deportauit; & ita Argentinenſes alios mortuos rebus omnibus ſpoliatos reliquerunt; alios autem in ciuitatem ſecum captiuos deduxerunt, & in Clauſtro maioris Eccleſiæ in compedibùs ferreis miſſos detinuerunt, obſtruentes feneſtras & oſtia, ita vt nulli daretur exeundi vel introeundi facultas, exceptis his qui ipſis captiuis miniſtrabant. Captiuorum igitur numerus fertur octoginta extitiſſe, exceptis his qui in bello occubuerunt, quorum certus numerus inueniri non potuit. Sed quia Epiſcopus de fratre ſuo fuit ſollicitus, cùm diu quæſitus fuiſſet, tandem ita manibus abſciſſis, ſed vix cognitus, inuenitur inter quamplures interfectos qui in eodem campo iacebant: quem Epiſcopus in quodam Hoſpitali iuxta villam, quæ Thoroholtſe dicitur, cum pluribus militibus & aliis iuuenibus, qui in ſupradicto bello interfecti ſunt, ſepeliri fecit. Sed adhuc victoria ipſa Argentinenſes non fuerunt contenti, ſed terram Domini de Gerohefke, & etiã ipſius Epiſcopi, & vniuerſa bona militum eis fauentium, ſpoliis, deprædationibus, & rapinis, & tandem incendiis omnia vaſtauerunt. E contra Epiſcopus Argentinenſium bona omnia fautorum ipſo-

rum depopulatus est, vt ignis omnia consumeret, & gladius hominum carnes deuoraret. Sed cùm fortuna in tantis malitiis partibus arrideret, benignitas Diuina dictis bellatoribus aliquantulùm parcere volens, ipsum Episcopum infirmitate detineri tolerauit: & sic aliquo tempore eadem infirmitate detentus, viam vniuersæ carnis ingrediens defunctus est: & ita guerra illa ex vna parte finem accepit. Sed quia cùm hæc scriberemus, de futuris nihil adhuc percepe-ramus, potiùs silere, quàm falsa cudere voluimus.

Quòd Comes Barrensis procurauit depositionem ipsius Philippi de Episcopio.

CAPVT XVI.

IGitur quia fallaciæ Comitis Barrensis pluribus notæ sunt, quædam huic libello nostro inserere curauimus. Cùm igitur Comes Barrensis electioni Philippi Metensis resistere non valeret, mirabilem nocendi viam adinuenit. Et quia *Vrbanus* Papa IV. de nouo Sedem Apostolicã occupauerat, cui idem Comes plurimùm confidebat, eo quòd cùm idem Papa Episcopus fuisset Virdunensis, quo tempore idem Episcopus compater dicti Comitis effectus est. Qui Comes latenter iter arripiens Romam profectus est, quem ipse Papa libenter excepit. Sed quia idem Comes noluit publicè se Episcopo Metensi obiicere, per quosdam Canonicos Metenses ipsum Episcopum de vitio simoniæ aggressus est: & super hoc Archiepiscopum Remensem inquisitorem à Papa obtinuit: & sicut nihil profeciſſet, cum silentio ad propria redijt. Canonici verò qui hanc causam procurando susceperant, ad Archiepiscopum Remensem venerunt, & omnia ei indicauerunt. Archiepiscopus verò, prout potuit, ipsam inquisitionem fine debito non terminauit; sed ad fauorem Comitis quæcunque voluit Domino Papæ rescripsit, sed antequam causa ipsa finiretur, ipse Archiepiscopus iudicio Dei lecto decubuit, & mortuus est: similiter & vnus Canonicorum illorum qui causam terminandam susceperant, qui inter illos maior videbatur etiam in Curia Domini Papæ mortuus est. Episcopus verò Philippus videns sibi Epis-

Digitized by Google

copatus & honoris ſui periculum imminere, præſertim quia *Fridericus* Dux Lotharingiæ Iunior ipſum Epiſcopum ſuper magnis expenſis quas pro ipſo Epiſcopo ſe feciſſe aſſerebat, valde infeſtaret, inito conſilio, vt breuiter loquar, totius Epiſcopatus cuſtodiam Comiti Barrenſi contulit: & ita Metenſes cum Epiſcopo & Comite Barrenſi, corporali iuramento interpoſito dictum factum confirmarunt. Quo audito Dux Lotharingiæ inito conſilio cum cognatis Epiſcopi, qui etiam aliqua ab ipſo Epiſcopo exigebant, quaſdam munitiones Epiſcopatus occupauerunt, ſcilicet caſtra Homborch & Trikectei. Enimuerò quia Dux Lotharingiæ credebat Comitem Barrenſem ſibi velle aduerſari, ſeceſſit in partes Coloniæ, vt ibi à parentibus ſuis armatorum, quibus terra illa abundat, auxilium poſtularet. Sed antequam Comes Barrenſis cuſtodiam Epiſcopatus ſuſciperet, contigit Comitem Vvadanimontis cuneum armatorum adunaſſe: & quia terra Epiſcopatus nondum Comiti Barrenſi commiſſa erat, dictus Comes Vvadanimontis terram Epiſcopatus cum ſuis ſatellitibus inuaſit. Gens verò Epiſcopatus & etiam Ducatus adunati venerunt ad villam, quæ Vvaſſoncourt dicitur: cùm ſubitò Comes Vvadanimontis cum ſuis ordinatis aciebus illos inuaſerunt, & alios quidem vulnerauerunt, alios interfecerunt, alios verò captiuauerunt, & quod deterius eſt, ruſtici illi fugientes mortem occurerunt morti; & cùm crederent ſe in aquis ſaluari, in eiſdem aquis ſubmerſi ſunt; ita vt centum quadraginta Moſella diglutiuit, & ſic illi ad propria reuerſi ſunt. Balliui verò Ducis & Epiſcopatus audientes hoc infortunium, adunantes non modicos armatorum cuneos intrauerunt terram Vvadanimontis, & ſic eam igni tradiderunt, & quicquid ſpoliorum inuenire potuerunt, deportauerunt. Comes verò verſa vice quicquid inuenire potuit circa Bruiers & circa Spinal, totum igni conſumpſit.

Sed quia aliquantulùm ab hiſtoria digreſſi ſumus, ad depoſitionem *Philippi* Epiſcopi reuertamur. Cùm igitur Comes Barrenſium poteſtate Epiſcopatus totaliter potitus fuiſſet, ſubitò aduerſarij ipſius Epiſcopi cum literis ſuis ipſum Philippum de ſede ſua detruſerunt. Quid plura? Phi-

lippus accerſitis ſibi paucis Curiam petiit, ſed quid ſibi profecerit ignoramus. Papa verò cuidam Clerico Comitis Barrenſis conſanguineo Metenſem Epiſcopatum contulit, & cum literis Papalibus, vbi vellet, & quando velletin Epiſcopum promoueri fecit. Comes verò Barrenſis cùm videret ſe & terram ſuam, & Epiſcopatum à gentibus Lotharingiæ tam miſerabiliter vaſtari, igne eremari, & villas ſolo tenus irrecuperabiliter deſtrui, adunato exercitu magno caſtrum Ducis Lotharingiæ, quod Prigney vocatur, obſedit, & ibi quinque ſeptimanas ſedẽs nihil profecit, licet multa ibidẽ in num expenderet. Sed cùm Comes videret Ducem Lotharingiæ terram Epiſcopatus & ſuam miſerabiliter delere; conſiderans etiam quòd Magnatibus Franciæ & aliis militibus quos ad id opus aſciuerat, maxima donatiua, & victus neceſſaria oporteret dari, expauit, mandauit: vt fertur, Epiſcopo Metenſi ſi placeret tantum exercitum cum tam magnis ſumptibus diutiùs retinere: ille reſpondit, quia tota terra Epiſcopatus in manu ſua eſſet, quod expedire videret hoc faceret. Comes verò hæc verba ſilentio premens mandauit amicis, qui in exercitu Ducis erant, vt de pace tractarent.: quod & factum eſt: ſed de modo pacis vix aliquis certitudinem referre poteſt; & ſic iſta ita relinquamus. Sed tamen quoddam infortunium ſilendo ſupprimere non arbitramur. Comes quippe Vvadanimontis accerſito ſibi quodam milite de Burgundia, qui in furandis oppidis, villis & caſtris peritiſſimus erat latro; adhibitis etiam aliis ſatellitibus, in forma mercatorum arma ſua in ſaumariis ſuis occultauerunt, & ita ſparſim, non in vna acie, ſed globatim quaſi mercatores venientes interrogabant quoſlibet hoſpitium; & ita domos Nouicaſtri intrauerunt, & ſarcinas aruiorum in ſecretioribus cameris, ſicut moris eſt mercatorum, deputarunt. Cùm igitur hoſpites intenti eſſent ad neceſſaria procuranda, milites ad arma in interioribus cameris cucurrerunt, & ſigno facto quiſlibet hoſpitium ſuum ſpoliare cœpit. Et mirum cùm burgenſes omnes illius oppidi præſentes eſſent, & inermes, quòd nullus in eis miſit manus: illi autem effugerunt. Burgundiones verò aſportantes quæcunque inuenerunt, bigas, & currus ſuos onerantes ad ter-

Digitized by Google

ram ſuam redire cœperunt: ſed cùm prope terram Ducis deuenirent; quidam homines Ducis ibi adunati, aduentum eorum præſtolantes, in ipſos irruerunt, & quos voluerunt vulnerauerunt, & quos voluerunt interfecerunt, & quos voluerunt ligatos duxerunt.

HISTORIA

VIZELIACENSIS MONASTERII.

Auctore HVGONE Pictauino Notario GVILLELMI Abbatis Vizeliacensis, qui eam iussu Pontij Abbatis scribere aggressus est Anno MCLVI. *& sub ipso Guillelmo absoluit An.* MCLXVII.

LIBER PRIMVS.

Priuilegia & Chartæ Vizeliacensis Cœnobij.

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti. Incipit Instrumentum seu Testamentum GERALDI Comitis, Fundatoris Monasteriorum, videlicet Pultarienſis & Vizeliacensis, subsequentibus Priuilegiis Apostolicæ & Regalis authoritatis, ipsum Testamentum confirmantibus & corroborantibus in perpetuum.

Testamentum Gerardi Comitis.

OMNIBVS Christi fidelibus, pietate, amore, desiderióque feruenti beatam vitam expectantibus, & in vnitate Christianitatis sub obedientia præceptorum Dei vbique manentibus, siue his qui præsentes sunt, siue his qui futuri, atque in compage & vinculo caritatis victuri, & vsque ad consummationem sæculi in Ecclesia Sanctorum sibi inuicem sunt successuri. Ego GERARDVS diuinæ pietatis munere apud glorioſam Regalem manſuetudinem Comitis honore ſublimatus, ex communi voto & desiderio dilectissimæ Coniugis meæ atque amantissimæ BERTÆ, eo quòd no-

Digitized by Google

bis pariter vnanimitérque Domino inſpirante complacuerit, vt de rebus noſtris & poſſeſſionum noſtrarum titulis perennem memoriam Domino Deo noſtro, vbi laus eius aſſiduè fieret, ſtatueremus. Et quoniam largitionibus piis Dominorum & Seniorum noſtrorum qui nos liberaliſſimè honoribus & dignitatibus ampliauerunt, id eſt, Imperator & Senior noſter clementiſſimus LVDOVICVS, & glorioſa Domina & Regina IVDITH, filiúſque ipſorum æquè Senior atque Dominus noſter Rex KAROLVS, plurima nobis poſſidenda accreuerunt, iuſtiſſimè nobis viſum eſt, vt eorum amore incitati locum etiam ipſum fundaremus, vbi pro gratis muneribus ipſorum eſſet in orationibus ſolemnis & iugis ſupplicatio, & apud Deum continua pro ſalute ipſorum exoratio. Non immemores etenim ſumus eorum circa nos beneuolentiæ, ipſorum, id eſt, Domini Senioris Ludouici Auguſti, Iudith Dominæ & Reginæ, Karoli filij ipſorum ſimiliter Domini & Senioris qui nunc ſupereſt regnans. Sed & dignam rependentes genitoribus atque parentibus honorificentiam, ideſt, Leuthardi, & Grimildis, atque gratiſſimorum Hugonis & Bauæ, amabilibúſque filiis & filiabus ipſorum, ſiue qui iam dormierunt in Domino, ſiue qui adhuc viuunt conſanguinitate, affinitate & propinquitate etiam nobis iunctis, ideſt, Leufredi & Adalardi Comitũ præclariſſimorum, vt pro eis interceſſio & aſſidua deprecatio fieret, & peccatorum eorum acquireretur propiciatio, & in loco ipſo, quem iuuante Chriſto fundaremus, ſuccedentibúſque temporibus eſſet eorum permanens recordatio. Itaque & illorum quoque propinquorum, quibus & hæreditario iure eiſdem in rebus ſucceſſimus, necnon & reliquorum omnium, ſed & amicorum noſtrorum vniuerſorum, & fidelium generaliter omnium perpetualis duraret memoria, ibíque per æuum pro omnibus fieret communis oratio.

Fundatur Monaſteriũ Pulterienſe Monachorum.

Ego igitur GERARDVS, & coniux ſimul gratiſſimæ, pia & fideli deuotione conſtituimus atque conſtruximus Monaſterium & habitaculum ſeruorum Dei apto competentíque loco, & ex largitione atque oblatione facultatis & rerum noſtrarum, illic quicquid ad ſuſtentationem eo-

rundem Deo famulantium, quicquid ad religionis cultum neceſſarium extat, pia ac ſolerti prouidentia iuxta vires quas Deus tribuit, procurauimus, mentéque promptiſſima eadem ipſa quæ de manu ipſius accepimus, gratias beneficiis illius referentes obtulimus. Fundatus igitur atque conditus eſt locus deuotionis noſtræ in honore Domini noſtri IESV Chriſti, & veneratione Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſuper amnem Sequanæ præterfluentis, in agro reſpiciente ad villam, quam ex antiquo Pultarias * nominant, in pago Laticenſi in regno Burgundiæ, vt ibi venerabile orationis domicilium votis ac ſupplicationibus fidelium frequentetur, conuerſatióque cœleſtis ſub regulari diſtrictione, & inſtitutione B. Benedicti viuentium, omni deſiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur. Ibíque contulimus villa has: Ipſam eandémque, vbi è vicino Monaſterium ſitum eſt Pultarias; quicquid ibi ex hæreditate, quicquid præcepti ſui autoritate Senior noſter Carolus Rex nobis ibi contulit, quicquid alio legitimo pacto ibi rebus noſtris acceſſit, cum vniuerſis appendiciis ſuis, & quæ vbicunque ad ipſa reſpicientia ſunt. In pago verò Senonico Sextam cum omnibus ad eam reſpicientibus & vniuerſis appendiciis. Villam Manniſcam ſimiliter cum omnibus ad eam reſpicientibus & appendiciis ſuis. Veron etiam, & Villare in ſupradicto pago cum omnibus rebus ad eas reſpicientibus & appendiciis earum. Similiter & in eodem pago, in villa quæ dicitur Piſcatoria, quæ eſt ſita ſuper Hyonam Fluuium, totum & ad integrum quicquid de Ildino Vaſallo Dominico conquiſiuimus, & quicquid ad ipſam Piſcatoriam aſpicit, in omnibus duntaxat, in quibus ibidem noſtra videtur dominatio, vel eſſe ſcitur poteſtas; & quicquid ad ius noſtrum in pago Tricaſſino pertinet.

Vulgò, * *Pouteres.*

Neenon Vezeliacenſe Monialium.

Pari etiam ordine fundauimus aliud Monaſterium eodem ſtudio, eadémque devotione, vt habitaculum ancillarum Dei ſub diſtrictione regulari, & inſtitutione B. Benedicti viuentium, ibidem fieret in honore Domini noſtri IESV Chriſti, in loco vel agro qui dicitur Vizeliacus, * in pago Aualenſi, in regno Burgundiæ; vbi & contulimus Villas has: Eandem ipſam in qua ſitum ſacrum & venerabile Monaſterium

Gallicè, * *Vezelay.*

Digitized by Google

rium Vizeliacum, quam commutauimus cum Domina & glorioſa Iudith Regina, agente & impetrante apud piiſſimæ memoriæ Dominum & Seniorẽ noſtrum Ludouicum Imperatorem, quicquid idem clementiſſimus Imperator ad eandem villam reſpiciens ſub præcepti ſui confirmatione condonauit, nobiſque contulit, quæ vbicunque reſpiciunt ad eandem villam pertinẽtia prædicto Monaſterio conſignauimus. Villam denique Dorniciacum, villam Ciſternas, Fontanas, atque Molnitum; vel quicquid in nominato pago Aualenſi vel Tornodorenſi acquiſiuimus, cum vniuerſis appendiciis ſupradictarum villarum vbicunque vel in quocunque pago fuerint.

Totum ergo ex integro quicquid in ſupranominatis villis vel agris acquiſiuimus, & acquirere potuimus, ſacratiſſimis locis & Monaſteriis coadunauimus, & vnanimitati atque vtilitati eorum qui ibi Deo ſeruierint in perpetuo connexuimus; tantùm nobis, dum manemus in vita carnis, vſufructuario reſeruato; tuitionem quoque atque defenſionem prædictorum Monaſteriorum ſub noſtra cura habentes. Itaque quicquid præfato Monaſterio virorum noſtra religioſa oblatione collatum eſt, quicquid in rebus ſiue ſeruitijs, vel quibuſcunque ſpeciebus, Deo inſpirante contraditum additúmque fuerit, aut à quibuſcunque fidelibus, quolibet vnquam tempore oblatum abſque vllis exterioribus obſequiis, & obſequiorũ exactionibus, ſolis eorũ ſtipendiis & neceſſariis ſumptibus, qui illic Domino ſeruiunt, iugi præſentis noſtri Teſtamenti firmitate permaneat illibatum; excepto quòd pro benedictione annis ſingulis ad Reuerentiſſimam Sedem Beatorum Apoſtolorum, cui loca eadem ſubdidimus, Romæ offerantur B. Pontifici Vrbis libræ argenti duæ, & quæ vltronea voluntate caritatis atque humanitatis officio quotidiana beneficia docent exercenda; liberi tamen ab aliis exhibitionibus Monachi ſub quieto ſeruitio regulariter viuant, orationis obſequia ſolemniter offerentes Deo pro glorioſiſſimis Dominis & Senioribus noſtris Ludouico Auguſto, & Carolo filio eius, & præcellentis memoriæ Dominabus noſtris Iudith atque Hermengarde, necnon etiam & Senioris Caroli coniuge venerabili

Hermentrude: ſed & præclariſſimæ item recordationis genitorum genitricúmque, filiorum filiarumque ipſorum, qui ſiue viuunt ſiue dormierunt iam in Domino pro nobis etiam filiiſque ac filiabus viuentibus ſiue defunctis, cunctiſque amicis noſtris, omníque fidelium multitudine.

Monaſterium vtrumque Romano Pontifici ſubiicitur.

Hoc verò Monaſterium ſiue aliud ſupra nominatum, cum omnibus rebus ibi collatis, Beatiſſimis Apoſtolis apud Romam ſubdidimus, & teſtamentario libello dato, æternè ſanctis Pontificibus vrbis illius, qui vice Apoſtolica annis ſequentibus ſedem tenuerint, ad regendum, ordinandum (non tamen vt beneficiaria poteſtate cuiquam dandi aut procamiandi licentia ſit) diſponendúmque perpetuò commiſimus; vt eorum ſollicitis ſtudiis & vigili prouiſione iuxta noſtram deuotionem religio pietatis & honeſtatis ad gloriam Dei ſemper ibi excreſcat, & fructus apud Deum propenſior generetur. Illud præcipuè firmum volumus, vt quotiens Abbas vel Abbatiſſa de præfatis Monaſteriis reſpectu diuino à religione noſtra ſanctis Apoſtolis contraditis, ex hac luce migrauerint, congregationes ipſæ, quas venerabilibus locis Deus eſſe voluerit, habeant conceſſam ſibi poteſtatem cum interrogatione ſanctorúmque virorum conſilio alterum, vel alteram bonæ vitæ & boni teſtimonij auxiliante Domino è ſuo conſortio atque collegio electum, vel electam, præficiendi, proſequente Pontificis ſuper hac re probatione, qui ſedem Apoſtolicam tunc temporis meruerit. Sed & rerum quantitas in ſuſcipiendis Fratribus vel Sororibus ſemper attendatur, ne ſuperfluo numero congregationes ipſæ, quod abſit, fortè grauatæ, dilabantur. Illud quoque ſummopere monemus, & ſub obteſtatione etiam inhibemus, ne cui pietatis noſtræ votum liceat in perpetuum commutare, vel præpoſtero ordine irrumpendo perturbare. Quòd ſi quis, quod non credimus futurum, præſumpſerit, Domini & Senioris noſtri Caroli pij Regis præcepto damnatus, Domino Deo noſtro dignam facti ſui vicem ei reddente ex ſententia Sancti Pontificis Vrbis, vt ſacrilegus, & ſacrarum rerum fraudator à cœtu populi Dei extraneus, pœnam æternam, niſi reſipuerit incurrat. Sed & omnes vos ſanctiſſimi Patres & Epiſcopi per Redemptorem noſtrum

Digitized by Google

deprecamur, vt huic noſtræ deuotionis operi ſemper digne- * fautores.
mini factores * & adiutores in omnibus exiſtere: quod in fine monendum ſit, piis & cariſſimis noſtris ſeruis dictis Monaſteriis tam pio ſtudio à nobis fundatis degentibus, & pia & vigili cura deuotionis & religionis ſit, atque in omnibus ſe exhibeant ſicut Dei miniſtros, nemini dantes vllam offenſionem vituperandi religioſiſſimum & ſacrum ordinem miniſterij ſui, vt Apoſtolicæ Sedis Pontifex ſit eis Rector, aſſiduus conſolator & tutor, quatinus corpori & membris Eccleſiæ fideliſſima caritate, & religioſiſſima obedientia vniti, etiam capiti totius corporis, quod eſt Chriſtus, mereantur compage ſociari. Hoc autem Teſtamentum plena à nobis pietate & deuotione confectum, vt omni tempore irrefragabilem obtineat firmitatem, etiam manus noſtræ & Illuſtrium virorum ſuſcriptionibus ſanximus roborandum.

S. Gerardi Comitis. S. Bertæ coniugis, qui hanc oblationem Deo pro remedio animæ ſuæ obtulerunt, & teſtamento facto firmarunt, atque firmari iuſſerunt.

S. Evæ filiæ ipſorum, quæ voluntatem parentum, & oblationem Deo factam audiendo & firmando conſenſit, & conſentiendo confirmauit. S. Savnari. S. Tevderici. S. Bvnonis. S. Aiverti. S. Fanvel. S. Frederberti. S. Bavnarii. S. Radvlfi. S. Vvidberici. S. Gerardi. S. Sigiberti. S. Rotardi. S. Gislemari. S. Abbonis. S. Gavzselini. S. Avzgarii. S. Ayrbaldi. S. Optadi. S. Bernonis. S. Galfarii. S. Odolardi. S. Athonis. S. Odoberti. S. Ardvlfi. S. Avstorici. S. Bercharii. S. Amalberti. S. Raganavdi.

Digitized by Google

Epistola GERARDI Comitis ad NICOLAVM Papam De ditione & tuitione Apostolica.

DOmino Beatissimo & sacratissimæ Sedis Apostolico, atque peculiari Patri nobis NICOLAO GERARDVS misericordia Omnipotentis Dei apud Regalem Clemẽtiam Comitis honore sublimatus, vnà cum gratissima coniuge BERTA nomine.

Publicè notum esse volumus tam Beatitudini vestræ, quàm Clero & omni populo sacræ Vrbis, fidem in Domino nostro IESV Christo deuotissimam, & promptissimam oblationem ex largitione facultatũ nostrarum (latam enim possessionem rerum dedit nobis Dominus) propter amorem ipsius, & æternum animæ nostræ remedium; quia pariter atque vnanimiter, communique voto, nobis Domino inspirante, complacuerit, vt exceptis illis quæ posteritati generis ac prolis seruantur, de rebus nostris reliquis hæredem ipsum Deum, Beatósque eius Apostolos Petrum & Paulum faceremus, eósque apud ipsum perpetuos intercessores constitueremus, Et quoniam auxiliante ipso, qui omnium bonarum voluntatum largitor, & inspirator est omnis sancti voti, accessit huic nostræ deuotioni, vt eisdem facultatum nostrarum rebus apto & conuenienti loco Monasteria & habitacula Seruorum Dei construeremus, atque illic quicquid ad sustentationem eorumdem Deo famulantium & religionis cultum necessarium existit, pia ac solerti prouidentia iuxta vires quas Deus tribuit, procuraremus, & vt defensionem & tuitionem ordinis & religionis suæ perennem haberent, atque deuotionis nostræ fructus perpetuò maneret, sacratissimæ ac reuerentissimæ Vrbi, & loco, vbi Beatorum Petri & Pauli Apostolorum æterna memoria celebratur, decerneremus, subderemus, atque Dominationi sanctissimi Pontificis Vrbis ipsius committeremus; vt videlicet dispositionem siue statum ipsorum Ecclesiastica pietate & firmitate idem B. Pontifex ordinaret; ita tamen vt nul-

Gerardus subdita vult Monasteria à se condita iuri solius Romani Pontif.

Digitized by Google

li vnquam ea beneficiario dono concederet, nisi ipsis, quibus testamentaria largitione consulentes nosipsi concedendum esse signauimus, & inferiùs hæc eadem scriptura signabit. Implentes igitur promptissimam nostram deuotionem, & plenissimum in Christo desiderium, legitimè ac testamentario donationis iure Ecclesiam Dei rerum nostrarum constituentes hæredem, statuimus atque fundauimus venerabilem & sacrum oblationis nostræ locum in nomine Domini nostri IESV Christi, & veneratione Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, vt sit habitaculum Dei Seruorum sub regulari ordine, ac professione B. Benedicti degentium, super amnem præterfluẽtis Sequanæ in agro respiciente ad Villam, quam ex antiquo Pultarias nominant, in pago Laticense, in regno Burgundiæ, & in parrochia Lingonicæ ciuitatis, vt ibi venerabile orationis Domicilium votis ac supplicationibus fidelium frequentetur, conuersatióque cœlestis omni desiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur; cuique & res nostras & facultates possessionum nostrarum, quæ de parentum benignissima successione, seu affectuosissima largitione prouenerunt, vel benignissimus Rex Dominus & Senior noster Carolus per præceptum nobis conferre dignatus est, siue etiam quæ digna comparatione in nostrum ius transfusa sunt, Deo auxiliante, & plenè deuotionem nostram adimplente, legitimè scilicet ac testamentario donationis iure transposuimus atque refudimus. Hoc est agrum siue villam in pago Laticense, vbi è vicino Monasterium situm est, Pultarias; quicquid ibi ex parentùm hæreditate, quicquid præcepti sui auctoritate pius Rex ibi contulit, nobísque prouenit; quicquid alio legitimo pacto ibi rebus nostris accessit, cum vniuersis appendiciis suis, & quæ vbicunque sunt ad ipsam respicientia. In pago Senonico Sextam cum omnibus ad eam respicientibus, & vniuersis appendiciis suis; Magniscam villam similiter cum omnibus ad eam respicientibus appendiciis suis. Totum ergo, vt prætulimus, ex integro quicquid in supranominatis villis acquisiuimus & acquirere potuimus, sacratissimo loco & Monasterio seruísque Dei ibi militaturis coadunauimus, vnanimitati & vtilitati eorum seruitura in

Digitized by Google

perpetuum connexuimus, tantùm nobis, dum manemus in vita carnis, vsufructuario reseruato, tuitionem potiùs atque defensionem loci ferendo.

Itémque alium æquè venerabilem & sacrum locum sub honore eiusdem Dei & Domini nostri IESV Christi, & veneratione Genitricis ipsius B. Virginis Mariæ, in loco vel agro qui dicitur Vizeliacus in pago Aualense, & regno Burgundiæ, atque de rebus nostris communi voto similiter ditauimus atque dotauimus: ibíque contulimus villas has, ipsam in qua situm est sacrum & venerabile Monasterium Vizeliaci, quam commutauimus cum piissimæ memoriæ Ludouico Imperatore; quicquid idem clementissimus Imperator ad eandem villam respiciens sub præcepti sui confirmatione muniendo nobis ad vicem condonauit, quæcunque respiciunt ad eandem villam pertinentia prædicto Monasterio consignauimus, Villam denique Dorniciacum, villam Cisternas, villam Fontanas, atque Molnitum, vel quicquid in nominato pago Aualense vel Tornodorense acquisiuimus, cum vniuersis appendiciis supradictarum villarum, vbicunque vel in quocunque pago fuerit.

Quicquid itaque præfatis locis, Monasteriis, Ecclesiisue contulimus, quicquid ibi nostra oblatione collatum est, in rebus siue in seruitiis, vel quibuscunque speciebus à nobis Deo inspirante additum fuerit, aut à quibuscunque fidelibus quolibet vnquam tempore oblatum, absque vllis exterioribus obsequiis & obsequiorum exactionibus, solis eorum stipendiis & necessariis sumptibus, qui illic Domino seruiunt, iugi nostræ auctoritatis firmitate, & testamenti conscriptione permanere decreuimus, vsu nobis fructuario tantùm dum viuimus, reseruato; excepto quod pro benedictione annis singulis ad Reuerentissimam Sedem cui ipsa Monasteria subdidimus, offerantur B. Pontificj Vrbis ex vtrisque Monasteriis libræ duæ argenti; & quæ vltronea voluntate caritatis atque humilitatis officio quotidiana beneficia docent exercenda: nec quislibet temerarius, seu vlla quæcunque persona inde aliud vnquam præsumat affectare, aut inuadendo sacram donationem minuere, aut propriario iure in vsus suos illicitè transferendo vendicare, sed quod respectu

Digitized by Google

diuino à nobis profectum est, metuens tremendum iudicium sinat inconuulsum durare. Hæc itaque venerabilia seruorum Dei domicilia, vnà cum Deo ibi seruientibus siue seruituris, vobis, Beatissime Pontifex, successoribusque vestris propter reuerentiam Beatorum Apostolorum, quorum locum & vices sortiti in Christi Ecclesia tenetis, tota ante Deum animi deuotione commendamus, subdimus, & ad disponendum nostri desiderii votum stabiliter per Apostolatus vestri studium perpetuò committimus; vt ea paterna in omnibus & Ecclesiastica pietate, misericordissimáque dispositione gubernare, tutari, & defensare dignemini; ne cuiquam contra nostrum votum beneficiario dato tradantur, nisi his qui testamentaria scriptura designantur, & piis successoribus vestris sub diuinæ maiestatis obtestatione, & futuri iudicii tremenda contemplatione, vbi ante tribunal Christi vnusquisque nostrum absque dubio actus sui rationem reportabit, immobili firmitate, & canonica paternáque auctoritate seruandũ cõmendetis, toto conamine humilitatis prouoluti vestris sanctissimis vestigiis obtinere mereamur: vt videlicet de rebus nostris, quas Domino plena deuotione obtulimus, legitimo scilicet Testamento perfecto Serui Dei in præfatis Monasteriis à nobis constructis, vel Sanctimonialiũ congregatio de vestra benedictione semper pendens, iuxta deuotionem & desiderium nostrum licitè disponant, regularitérque sub suo jure per vos tutati & defensati viuant, nemini quicquam præter caritatem debentes, nulli nisi Principi Apostolorum, Vicarioque eius in seruitio obnoxij. Sed post discessum nostrũ (quandiu enim vita supereſt, eos sub nostra cura cum vestra benedictione manere cupimus) tam illis quàm omnibus quos illic diuina gratia vel aggregauit vel aggregatura est, & præsens & futura Deo miserante quies & tranquillitas procuretur. Et si quando ex congregatione ipsa, quam in venerabilibus locis Deus esse voluerit, Abbas vel Abbatissa ex hac luce migrauerint, congregationes ipsæ habeant concessam sibi potestatem cum interrogatione & sanctorum virorum consilio, alterum bonæ vitæ & boni testimonii, vel alteram auxiliante Domino ex suo cõsortio atque collegio electum vel electam

præficiendi, profequente B. Pontificis, qui tunc temporis ſedem Apoſtolicam meruerit, probatione qui vel quæ ſecundum regularem ordinem B. Benedicti intus foriſue liberè quæ ſunt iuris Monaſteriorum præuideant, & alacriter gratiam infundente Domino impleant. Quod verò nimis timemus, quia iniquitate abundante refrixit caritas multorum, & auaritia latè omnia occupauit, ſi poſt obitũ noſtrũ quælibet perſona, aut Diœceſis ipſius Epiſcopus, cui nec ordinatio aliqua, nec dominatio loci conceditur, ſeu aliquis potentiorum, vel alius aliquis congregationem ſeruorum Dei, vel ancillarum Dei, ſuaſu maligno impulſúque cupido perturbare tentauerit, aut regularem ordinem confundere, ſeu Abbatem, vel Abbatiſſam aliam quem vel quam congregatio regulariter elegerit, mutare contenderit, vel dominationes illicitas Monaſteriis vel rebus Monaſteriorum à nobis ſtabiliter ibi contraditis exercere præſumpſerit, obſecramus per Deum veſtram Reuerentiſſimam Paternitatem, vt opem quibuſque modis Beatitudo veſtra ferre non differat, piiſque ſucceſſoribus veſtris ſub diuinæ Maieſtatis obteſtatione, & futuri iudicii tremenda contemplatione, immobili firmitate, & paterna auctoritate ſanctitas veſtra ſeruandum commendet, & ipſum qui temerare tam ſacram Deo donationem auſus eſt, ſicut ſacrarum rerum fraudatorem & appetitorem à communione Eccleſiaſtica veſtra auctoritas ſuſpendat, & Apoſtolica ſeueritas vel cenſura illicò damnet, nec vnquam peruerſiſſimâ ſuâ inflammatus auaritia, aliquid de ſuperſcripta pia noſtra voluntate, & religioſa propter Deum deuotione, quam vobis coram Domino & ſanctis Apoſtolis eius fidentiſſimè commendauimus, poſſit euincendo permutare. Sed continuò expertus Canonicum & Apoſtolicum digniſſimum iudicium, ipſis Apoſtolis vicem iniquitatis ſuæ illi reddentibus, etiam mulcta trecentarum librarum auri, ſicut in teſtamento inſertum eſt, feriatur & damnetur.

Inſuper hoc vos (Sanctiſſime Paſtor) ſucceſſoreſque veſtros, proni & animo toti conſummiſſi per Chriſtum Dominum, perque Virginem Matrem ipſius, & per Beatos Apoſtolos Petrum & Paulum, omneſque qui ſuo ſanguine totam

Digitized by Google

totam Dei Ecclesiam illustrant, deprecamur, vt pio & feruenti studio semper habitatoribus Monasteriorum vestræ Paternitati & Reuerentiæ traditorum, peculiari quadam paternitate suffragium feratis, nec vnquam illa quæ sub vestra tuitione sub spe bona commisimus, aut beneficiari, aut procamiari patiamini: Sed & vos piè nostrum votum integrum seruare, & successoribus vestris, vt ipsi pari modo seruent, relinquere & mandare dignemini, benedictionibúsque piis Fratres & Sorores quos vel quas sub fiducia vestra ponimus munire, & contra incursantes defendere, & securos ad otium & quietem fructuosam reddere digne insistendo satagatis, recepturi mercedem ab illo qui sanctos suos æternâ remuneratione coronat, Iesu Christo Domino nostro.

Hanc autem Epistolam voluntatis, siue testamentariam oblationem, plena à nobis pietate & deuotione confectam vt omni tempore irrefragabilem obtineat firmitatem, etiam manus nostræ, et Illustrium virorum subscriptionibus sanximus roborandam, æternâ memoriâ Beatissimorum Apostolorum Bibliothecis etiam transmisimus seruandam.

S. Gerardi Comitis: S. Bertæ Coniugis, qui hanc oblationem Deo pro remedio animæ suæ obtulerunt, & testamento facto firmauerunt atque firmari jusserunt.

S. Evæ filiæ ipsorum, quæ voluntatem parentum & oblationem Deo factam audiendo & firmando consensit, & consentiendo firmauit. S. Savnari. S. Thevderici, S. Bvnonis. *S. Ayverti. S. Fanvel. S. Frederberti, S. Bavnari, S. Radvlfi, S. Vvideric, S. Gerardi, S. Sigiberti, S. Rotardi, S. Gislemari, S. Abonis, S. Gavzselini, S. Avzgarii, S. Airbaldi, S. Optadi, S. Bernonis, S. item Bernonis, S. Vvalfarii, S. Odolardi, S. Athonis, S. Odeberti, S. Ardvlfi, S. Avstorici, S. Bercharii, S. Amalberti, S. Raganavdi. al. * Dimonis.

Digitized by Google

Data in menſe Martio Anno XXIII. regnante glorioſiſſimo & ſereniſſimo Rege & Domino noſtro CAROLO.

Ego Gileramnus Clericus rogatus ſcripſi & ſubſcripſi.

Priuilegium NICOLAI Papæ.

NICOLAVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Religioſæ & Dedicatæ, quæ diuino nutu, diuinàque prouidentia in Monaſterio fuerit conſtituta, quod à vobis Gerardo ſcilicet clariſſimo filio noſtro illuſtriſſimo Comite, & nobiliſſima filia Berta in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, & veneratione beatiſſimæ Virginis MARIÆ Genitricis eiuſdem Dei & Domini noſtri IESV Chriſti, in loco vel agro qui dicitur Vizeliacus, in pago Aualenſi in finibus Burgundiæ, conſtructum eſt, opibú que ditatum, & omnibus quæ poſt eam in eodem Monaſterio Abbatiſſæ regimen tenuerint in perpetuum: de quo Monaſterio cum omnibus iure ad ſe pertinentibus pro remedio & futura retributione animarum veſtrarum hanc ſanctam hæredem Romanam feciſtis Eccleſiam, illudque per donationis paginam, B. Petro Apoſtolorum Principi contuliſtis. Quando * ea quæ Catholicorum virorum corda Pontificum ſunt monitis prouocanda, ita ardenti deſiderio, diuina præueniente clementia, ſuccenduntur, vt ab eis vltrò poſcantur, alacri & læto ſunt animo concedenda, quantò ea ipſa quæ cupiunt ſi nollent facere, peti debuerant: proinde iuxta veſtram petitionem Monaſterio in honore Domini noſtri IESV Chriſti quod in parrochia vrbis Auguſtodunenſis in loco & & regno prænominato à vobis religioſa deuotione fundatum eſt, huiuſmodi priuilegia præſenti noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis decreto indulgentes concedimus, confirmamus atque ſtatuimus, vt nulli Regum, nulli Antiſtitum, nulli quacunque prædito dignitate, vel cuiquam alii de his quæ eidem Monaſterio à vobis, vel à quibuſlibet aliis de proprio fuerint jure collata, ſub cuiuſlibet cauſæ, occaſioniſue ſpecie minuere, vel auferre, ſiue ſuis vſibus applicare, vel aliis quaſi piis cauſis pro ſuæ auaritiæ excuſatione liceat quocunque

adde. * ad.

Digitized by Google

modo concedere, ſed cuncta quæ ibi oblata ſunt, vel offerri contigerit, tam à vobis quàm ab eis quæ in eodem loco in officio Abbatiſſæ vel conuerſatione religioſa ſucceſſerint, ſeu qui pro animæ ſuæ remedio ibidem oblationes ſuas obtulerint, à præſenti tempore illibata & ſine inquietudine volumus, & Apoſtolica auctoritate præcipimus poſſideri, earum tantùm vſibus, pro quarum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa ſunt fuerintque, modis omnibus profutura, ea conditione vt nullus ſucceſſorum noſtrorum in ſancta hac Sede, cui auctore Domino deſeruimus, vnquam vel vſquam quiddam de eiſdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut ſub cenſu concedere, vel retinere, per futura tempora patiatur. Sed cenſum tantummodo in teſtamento traditionis veſtræ, quo ex eodem Monaſterio hæredem hanc ſanctam feciſtis Matrem Eccleſiam, vnam videlicet libram argenti annis ſingulis ſucceſſores noſtri accipientes, piæ paternitatis ſuffragium eidem Monaſterio, & Abbatiſſæ, ac Monachis ſub Regula S. Patris Benedicti ibidem degentibus, ſollicitudine paſtorali vigilanter contra omnes infeſtantes impendere ſtudeant. Item conſtituimus vt obeunte Abbatiſſa prædicti Monaſterii, non alia ibi quacunque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quam conſenſus Monacharum ſecundum timorem Dei & inſtitutionem Regulæ B. Benedicti elegerit, & huius Apoſtolicæ ſedis Pontifex præuiderit ordinandam, aut ſuggeſtione Monacharum conſenſerit ordinatam.

Hoc quoque Capitulo præſenti ſubiungimus, vt locum auaritiæ ſecludamus, nullum de Sacerdotibus, nullum de Regibus, vel quemcunque fidelium per ſe ſuppoſitamue perſonam de ordinatione eiuſdem Abbatiſſæ, vel Clericorũ atque Presbyterorum, vel de largitione Chriſmatis aut conſecratione Baſilicæ, aut de quacunque commoditate ſpecialis aut temporalis obſequii ſiue quibuſcunque cauſis ad idem Monaſterium pertinentibus, audere in auro vel alia qualibet ſpecie commodi vel exenij loco quicquam accipere, neque eandẽ Abbatiſsã ordinationis ſuæ cauſâ quicquã dare præſumere; ne hac occaſione ea quæ à fidelibus pio loco offeruntur, aut iam oblata ſunt, conſumantur. Neque Epiſcopus ciuitatis ipſius Parrochiæ, niſi ab Abbatiſſa ipſius

Monaſterii inuitatus, ibidem publicas Miſſas agat, neque ſtationes in Cœnobio eodem indicat, ne ancillarum Dei quies quoquomodo populari conuentu valeat perturbari, neque paratas, aut manſionaticos exinde præſumat exigere. Suſceptionem autem fidelium, & Religioſorum, ac Religioſarum, atque beneficentiam quam iubet Apoſtolus cunctis exhibendam pro poſſibilitate loci & facultatum non modò ibidem gratis fieri denegamus, verùm etiam ſuademus. Sed & modus in numero congregationis adeò conſeruetur, vt pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium deſtitutionem loci indicere valeat. Hæc igitur omnia quæ huius Præcepti Decretique noſtri pagina continet, cunctis poſt vos ſuccedentibus qui idem Monaſterium à vobis exſtructum, & S. R. Eccleſiæ traditum ſub vſufructuario retinetis, vel eis quorum intereſſe poterit, in perpetuum ſeruanda decernimus.

Si quis verò Sacerdotum, Iudicum, atque ſecularium perſonarum hanc Conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens contra eam venire tentauerit, poteſtatis honoriſue ſui dignitate, percuſſus Apoſtolico anathemate, careat, reùmque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & niſi vel ea quæ ab illo ſunt malè ablata reſtituerit, vel præſumpta correxerit, vel dignâ pœnitentiâ illicite acta defleuerit, à ſacratiſſimo corpore Dei & Domini ac Redẽptoris noſtri IESV Chriſti alienus fiat atque in æterno examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri IESV Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Scriptum per manum Sofronii, Regionarii & Scriniarij Romanæ Eccleſiæ in menſe Maio. Datum verò per manum Tiberii Primicerii Sedis Apoſtolicæ.

DIPLOMA *Caroli Calui, quod ſubſequi deberet, editum reperies in noſtris Obſeruationibus ad Guiberti Nouigentini Opera, pag. 657.*

Digitized by Google

Priuilegium IOANNIS *Papæ* VIII.

IOANNES Episcopus S.S.S. Dei *Eudoni* Venerabili Abbati Vizeliacensis Cœnobii, omníque Congregationi eiusdem Monasterii in perpetuum. Quotiens illa tribuimus à nobis optantur, quæ rationi incunctanter conueniunt, animos decet libenti concedere, & petentiũ desideriis congruum inpertiri suffragium. Atque ideo quia postulasti à nobis quatinus priuilegium sedis Apostolicæ Monasterio Vizeliaco, cui præesse dinosceris, quod constat olim à Gerardo nobilissimo & Christianissimo viro, necnon & Berta vxore eius, in honore Domini & Saluatoris nostri IESV Christi & venerationeBeatissimæ semper Virginis *Mariæ* Genitricis eiusdem Domini nostri IESV Christi constructum; in Regno scilicet Burgundiæ, in pago Aualensi, quòdque à præfatis fundatoribus B. Petro Apostolorum Principi pia deuotione & testamenti pagina collatum est, facere deberemus: inclinati precibus tuis libenter fieri decreuimus, per quod mimirum Apostolicæ sedis priuilegiũ confirmamus, atque statuimus, vt nulli Regum, nulli Antistitum, nulli Comitum, nulli cuiquam alii liceat ipsum Monasterium perturbare, vel ea quæ ibi à iam dictis Fundatoribus, vel ab aliis fidelibus oblata sunt vel in futurum offerri contigerit, sub cuiuslibet causæ, occasionisue specie, minuere, vel auferre, siue suis vsibus applicare, sed sine inquietudine in sustentatione eiusdem Monasterii, & vsibus Abbatum & Monachorum sub regula sancti Patris Benedicti ibi Deo militantium volumus ea & præcipimus possideri: ea videlicet conditione, vt nullus successorum nostrorũ Pontificum in hac sancta Sede, cui auctore Deo seruimus, vnquam vel vsquam quiddam ex eisdẽ rebus cuiquam beneficiare, cõmutare, aut sub censu quolibet concedere per futura tempora patiatur, sed censum tantummodò in testamento traditionis à Fundatoribus qui ex eodem Monasterio hanc sanctam hæredem Romanam fecerunt Ecclesiam, etiam delegatum, vnam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes per paternitatis suffragium eidem Monasterio sollicitudine pastorali vigilan-

Confirmat Pontifex immunitates Monasterii Vizel.

ter contra omnes infestantes inpendere studeant. Item con stituimus, vt obeunte Abbate prædicti Monasterii, non aliu sibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem con sensus Monachorum secundùm timorem Dei, & institutio nem Regulæ S. Benedicti elegerit, & huius Apostolicæ sedi s Pontifex præuiderit ordinandum, aut suggestione Monachorum consenserit ordinatum.

H Hoc quoque Capitulo præsenti subiungimus, vt locum auaritiæ secludamus, nullum de Regibus, nullum de Episcopi is vel Sacerdotibus, vel de quibuscunque fidelibus, per se, st ppositamue personam, de ordinatione eiusdem Abbatis, vel Clericorum, aut Presbyterorum, vel de largitione Chrisi matis, aut consecratione Basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem Monasterium pertinentibus, audere in qualibet sp ecie exenii loco quicquam accipere, neque eundem Abba tem pro ordinatione sua aliquid dare præsumere, ne hac occasione, ea quæ à fidelibus pio loco offeruntur consumantur. Neque Episcopus ciuitatis ipsius Parrochiæ nisi ab Abbate ipsius Monasterii inuitatus, ibidem publicas Missas agat, neque stationes in eodem Cœnobio indicat, ne seruorum Dei quies quoquo modo populari conuentu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium & religiosorum virorum atque beneficientiam, quam iubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci & facultatum non modò ibidem fieri denegamus, verùm etiam suademus: sed & modus in numero congregationis adeò conseruetur, vt nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci indicere valeat. Priuilegium quoque à prædecessore nostro piæ memoriæ Papa Nicolao eidem Monasterio collatum nostra auctoritate confirmamus, excepto duntaxat quod ipse sub nomine ancillarum Dei quæ ibidem pro crebris infestationibus seculi nunc ordinabiliter manere nequeunt, illud delegauit: nos verò aptioris vtilitatis gratiâ sub habitu Monachorum esse congruenter decernimus. Si quis verò Regum, Episcoporum, Sacerdotum, Abbatum, Iudicum, Comitum, aut secularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentauerit, percus-

Digitized by Google

ſus Apoſtolico anathemate, poteſtatis honoriſue ſui dignitate careat, reúmque ſe coram diuino iudicio cognoſcat, & niſi ea quæ à ſe malè acta ſunt defleuerit, à ſacratiſſimo corpore Domini noſtri IESV Chriſti alienus fiat, atque æterno examini diſtrictæ vltionis ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus ſit pax Domini noſtri IESV Chriſti, quatinus & hîc fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Datum per manum Vvalperti humillimi Epiſcopi ſanctæ Portuenſis Eccleſiæ III. Kalend. Octob. Anno VI. eiuſdem Domini Ioannis Papæ VIII. Indict. XII. Scriptum verò per manum Georgij Notarij Regionarij & Scriniarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Priuilegium STEPHANI Papæ.

STEPHANVS Epiſcopus S.S.S. Dei Eudoni Venerabili Abbati Monaſterii Vizeliacenſis omnique Congregationi eiuſdem Monaſterii in perpetuum. Quotiens illa &c. *vt ſupra in priuilegio Ioannis Papæ.* Scriptum per manus Samuel Notarii & Scriniarii S. R. Eccleſiæ menſe Ianuario Indictione. XV.

Datum X Kalend. Februarias per manum Samuelis Notarii & Scriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Imperante Domino noſtro Landeberto piiſſimo Auguſto à Deo coronato, magno Imperatore Indict. XV.

Priuilegium IOANNIS Papæ.

IOANNES Epiſcopus S.S.S. Dei; Aymoni venerabili Abbati Vizeliacenſis Cœnobii, omnique Congregationi eiuſdem Monaſterii in perpetum. Quotiens illa tribui à nobis optantur &c. *Vt ſupra in Priuilegio Stephani Papæ.*

Scriptum per manum ANDREÆ Scriniarii S. R. E. in menſe Ianuario Indict. VI.

Datum verò VI. Idus Ianua. per manum GREGORII Deo amabilis Sacellarii S. ſedis Apoſtolicæ, anno III. Deo propitio, Pontificatus Domini noſtri IOANNIS ſummi Pontificis & vniuerſalis XI. Papæ in ſacratiſſima ſede BB. Apoſtolorum.

Priuilegium MARINI Papæ.

MARINVS Episcopus S. S. S. Dei Guidoni Religioso Abbati sancti Vizeliacensis Cœnobiij omnique Congregationi &c. *vtin Priuilegio Ioan. Papæ 8.* Vnde & constituimus & Apostolica auctoritate censemus, atque per hoc nostrum Apostolicum priuilegium confirmamus, vt nullus Rex, aut Pontifex, vel Abbas, aut Comes, vel qualiscumque magna paruáque persona, auaritiæ cupiditate corruptus, aut diabolica suggestione deceptus, audeat vel præsumat contra tuum honorem, ô Venerabilis Vvido Abba, qualicunque modo insurgere in tua vita, aut de tuo honore tibi molestias inferre, vel de omnibus rebus Monasterij quæ tibi tuisque prædecessoribus à nobis nostrísque antecessoribus, per paginã priuilegij concessa atque firmata sunt, aliquas inuasiones vel rapinas siue violentias inferre, si non vult, auctoritate Dei & S. Petri & nostra Apostolica excommunicatione à corpore & sanguine Domini IESV Christi, & ab ingressu Ecclesiæ disiunctum esse: Hoc quoque capitulo præsenti subiungimus vt locum auaritiæ &c. *vt supra in præfato priuilegio.*

Scriptum per manum AZZONIS Scriniarij S. R. E. in mense Februario Indictione I.

Data II. Nonas Februar. per manum BENEDICTI Episcopi & Bibliothecarii S. Sedis Apostolicæ, anno Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Marini summi Pontificis & vniuersalis Papæ in sacratissima sede B. Petri Apostolican. I in mense Februar. Indict. I.

Priuilegium BENEDICTI VI. Papæ.

BENEDICTVS Episcopus. S. S. S. Dei; ELDRADO Religioso Abbati Sancti Vizel. Cœnobij &c. *vt in Priuilegio Marini Papæ, vsque ad hæc verba*: Non modò ibidem denegamus fieri, verùm etiam suademus &c. De cætero notum fieri volumus, quia deuenerunt ad nos deprecatoriæ litteræ

GERARDI

GERARDI Epiſcopi Auguſtodunenſis Eccleſiæ, pro decimis quatuor Eccleſiarum, S. videlicet Petri, & S. Chriſtophori, Sanctique Germani, necnon ſancti Leodegarij, quas ipſe prædictus Abbas ab eodem Epiſcopo impetrauerat, ſicuti anteceſſores eius ab Epiſcopis ipſius ſedis per ſuccedentia tempora ordinatis feciſſe noſcuntur, vt ſub confirmatione noſtri priuilegij corroboraremus, quod & fecimus, excommunicantes, vt nullus Auguſtudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus aliquam calumniam Abbati eiuſdem loci ſiue Monachis de ipſis inferat Eccleſiis, ſiue de decimis, tam ipſe quàm aliqua emiſſa perſona valeat minuere, aut in aliam tranſferre parrochiam. Si quis verò Regum &c. *vt ſuprà.*

Scriptum per manum STEPHANI Nolani Epiſcopi, & Scriniarij S. R. E. in menſe Nouembri Indict. II. Datum IV. Kal. Decemb. per manum Ioannis Epiſcopi * ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, anno I. Pontificatus Domni Benedicti Sanctiſſimi VI. Papæ Imperante Domno Ottone à Deo coronato magno Imperatore, anno VI. Indict. II.

* Bibliotecarij.

Priuilegium BENEDICTI Papæ VII.

BENEDICTVS Epiſcopus S.S.S. Dei, ELDRADO Religioſo Abbati &c. *vt in præcedenti.*

Scriptum per manum BONIFACII Notarij Regionarij atque Scriniarii S. R. E. Datum II. Idus menſe Decembrio per manum Ioannis Epiſcopi: Deo propitio, imperante Domno piiſſimo Auguſto Ottone à Deo coronato magno Imperatore anno VIII. in menſe & Indictione IV.

Priuilegium IOANNIS Papæ XV.

IOANNES Epiſ S. S.S. Dei, Dilecto filio *Eldrado &c. vt ſuprà* Indictione XIV.

Priuilegium SILVESTRI II. *Papæ.*

SILVESTER Epiſcopus S.S.S. Dei Dilecto filio ROBERTO religioſo Abbati ſancti Vizeliacenſ. Cœnobij, omníque

Congregationi eiuſdem Monaſterij in perpetuum. Quotiens illa à nobis tribui ſperantur quæ rationi incunctanter conueniunt, animo nos decet libenti concedere, & petentiũ deſiderijs congruũ impertire ſuffragium: atque ideò quia poſtulaſti à nobis quatinus Priuilegium ſedis Apoſtolicæ Monaſterio Vizeliaco, cui præeſſe dinoſceris, quod conſtat olim à Gerardo nobiliſſimo & Chriſtianiſſimo viro, necnon & Bertha vxore eius, in honore Domini & Saluatoris noſtri IESV Chriſti, & veneratione Beatiſſimæ MARIÆ Genitricis eiuſdem Domini noſtri, conſtructum in regno Burgundiæ in parrochia Auguſtudunenſi, in pago Aualenſi; quódque à præfatis Fundatoribus B. Petro Apoſtolorum Principi liberali deuotione, & teſtamenti pagina collatum eſt, facere deberemus, veluti à prædeceſſoribus noſtris piæ memoriæ Nicolao Papa atque Ioanne iamdũdum factum fuiſſe; inclinati precibus tuis libenter fieri decreuimus; per quod Apoſtolicæ auctoritatis Priuilegiũ confirmamus atque ſtatuimus, vt nulli Imperatorum, nulli vnquam Regum, nulli Antiſtitum, nulli quacunque prædito dignitate, nulli cuiquam alij de omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quæ eidem Monaſterio à iam dictis Fundatoribus, vel ab alijs quibuſcunque perſonis collatæ & conceſſæ, vel in futurum à quolibet de proprio fuerint iure donatæ, ſub cuiuſlibet cauſæ occaſioníſue ſpecie liceat minuere vel auferre, neque ſuis vſibus applicare: ſed cuncta quæ ibi oblata ſunt, vel offerri contigerit à præſenti XIV. Indictionis tempore illibata, & ſine inquietudine, in ſuſtentatione iam dicti Monaſterij, & vſibus Abbatum, & Monachorum ſub Regula Patris Benedicti ibi Deo militantium, volumus atque præcipimus poſſideri; ea videlicet conditione, vt nullus ſucceſſorum noſtrorum Pontificum in hac Sancta Sede, cui Deo auctore ſeruimus, vnquam vel vſquam quiddam de eiſdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut ſub cenſu quolibet concedere per futura tempora patiatur: ſed cenſum tantummodo in teſtamento traditionis à Fundatoribus, qui ex eodem Monaſterio hanc Sanctam Sedem Romanam hæredem fecerunt, etiam delegatum, vnam videlicet libram argenti annis ſingulis ſucceſſores noſtri accipientes,

Digitized by Google

piæ paternitatis ſuffragium eidem Monaſterio, & tibi, ſucceſſoribúſque tuis ac Monachis ſub iam dicti Patris regula jbidem degentibus, ſollicitudine paſtorali vigilanter contra omnes jnfeſtantes jmpendere ſtudeant. Item conſtituimus, vt obeunte Abbate dicti Monaſterij non alius ibi quacunque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quem conſenſus Monachorum ſecundùm timorem Dei, & inſtitutionẽ regulæ B. Benedicti elegerit, & huius Apoſtolicæ ſedis Pontifex prouiderit ordinandum. Vnde conſtituimus, & Apoſtolica auctoritate cenſemus, atque per hoc noſtrum Apoſtolicum Priuilegium confirmamus, vt nullus Rex aut Pontifex, vel Abbas aut Comes, vel qualiscunque magna paruaque perſona auaritiæ cupiditate corruptus, aut diabolica ſuggeſtione deceptus audeat vel præſumat cõtra tuũ honorem, ô Venerabilis Roberte Abbas, qualicunque modo inſurgere, vel in tuo loco aut de tuo honore moleſtias tibi jnferre, vel de omnibus rebus Monaſterij quæ tibi tuíſque deceſſoribus à nobis noſtríſque anteceſſoribus per paginã priuilegij conceſſa atque firmata ſunt, aliquas jnuaſiones, vel rapinas ſiue violentias inferre; ſi non vult auctoritate Dei, & S. Petri & noſtra Apoſtolica excommunicatione, à corpore & ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti, & ab ingreſſu Eccleſiæ nouerit ſe eſſe diſiunctum. Hoc quoque Capitulo præſenti ſubiungimus, vt locum auaritiæ ſecludamus, nulli vnquam liceat de Regibus, nulli de Epiſcopis vel Sacerdotibus vel de quibuſcunque fidelibus, per ſe ſuppoſitàmue perſonam, de ordinatione eiuſdem Abbatis, aut Clericorum vel Prebyterorum, aut de largitione chriſmatis, vel de conſecratione Baſilicæ, vel de quibuſcunque cauſis ad idem Monaſterium pertinentibus audere in qualibet ſpecie exenii loco quicquam accipere, neque eundem Abbatem pro ordinatione ſua aliquid dare; neque Epiſcopus ciuitatis, ipſius parochiæ, niſi ab Abbate ipſius Monaſterii inuitatus jbidem publicas Miſſas agat, neque ſtationes in eodem Cœnobio indicat, ne ſeruorum Dei quies quocunque modo populari conuentu valeat perturbari, neque manſionaticos exinde præſumat exigere. Suſceptionẽ autẽ fideliũ, aut religioſorũ virorum atque beneficientiam, quam jubet Apoſto-

lus cunctis exhibendam, pro possibilitate loci & facultatum, non modo ibidem fieri denegamus; verum etiam suademus Siquis verò Regum, &c. *vt in precedenti:*

Priuilegium LEONIS IX. *Papæ.*

LEO Episcopus S. S. S. Dei, GAVFRIDO Abbati Vizeliacensis Cœnobij, quod est in honore Domini nostri IESV Christi, & veneratione eiusdem Genitricis, & BB. Apostolorum Petri & Pauli, & B. Mariæ Magdalenæ, eiúsque successoribus in perpetuum. Quoniam postulastis à Romana sede, cui Deo auctore deseruimus, vobis confirmari priuilegia ab antecessoribus nostris vestræ Ecclesię collata, dignum duximus vestram petitionem adimplere. Proinde Monasterium prædictum in pago Aualensi in finibus Burgundiæ constructum, opibusque ditatum quorundam Sanctæ Ecclesiæ *, Priuilegio nostrę Apostolicæ auctoritatis decreto indulgentes, vobis concedimus, confirmamus, corroboramus vt nulli Regum, nulli Antistitum, nulli quacumque prædito dignitate &c. *vt in precedenti priuilegio Stephani Papæ, seu Ioan. Papæ VIII.*

Deest aliquod verbum

Data V. Kal. Maij per manus Petri Diaconi, & Bibliothecarij Sanctæ sedis Apostolicæ anno II. Domini Leonis IX. Papæ, Indict. III.

Priuilegium GREGORII VII. *Papæ*

GREGORIVS Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto in Christo filio BERNONI Abbati Vizeliacensis Cœnobij quod est in honore Domini nostri IESV Christi, & venerandæ eius glorioſæ Genitricis, & BB. Apostolorum Petri & Pauli, & B. Mariæ Magdalenæ, in pago Aualense, in finibus Burgundiæ constructum, & vestris successoribus inperpetuum *Cætera desunt in Mſ.*

Digitized by Google

Priuilegium PASCHALIS II. Papæ

PAſchalis Epiſcopus S. S.S. Dei, Dilecto Fratri Altardo Abbati Vizel. Cœnobii, eiuſque legitimis ſucceſſorbus in perpetuum. Quia documentis &c. *Extat hoc Priuilegium in Notis V. C. Andreæ Ducheſne ad Bibliothecam Cluniac. pag.* 133.

Epiſtola PASCHALIS Papæ II.

PASCHALIS Epiſcopus S. S.S. Dei, Clericis, Militibus, & cæteris Laïcis per Gallicanas Eccleſias, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Audiuimus & vix credere potuimus, quod Confrater noſter Eduenſis Epiſcopus & Archidiaconi eius vel Archipresbyteri, non iuſtitia ducti, ſed æmulatione compulſi, vobis interdixerint Vizeliacenſe Cœnobium gratiâ deuotionis adire, Eccleſiam introire, & ad Sepulchrum Beatæ Mariæ, quod in eadem Eccleſia celebratur, accedere, aut aliquas oblationes apponere. Noua profectò, noua hæc eſt interdictio Sacerdotum cùm ad deuotionem vocare, non à deuotione reuocare ſacerdotalis officii debitum videatur. Porrò nos interdictum hoc Sacerdotali officio diſſoluentes, ſcire vos volumus, quia ſiue Epiſcopus, ſeu Miniſtri eius niſi ab hac præſumptione deſtiterint, Apoſtolicæ ſedis indignatione plectentur. Datum Laterani III. Kal. Nouembris.

Soluit interdictum iniuſtè ab Epiſc. Eduenſi latum

Epiſt. II.

PASCHALIS Epiſcopus S. S.S. Dei Dilecto filio ROBERTO Vizeliacenſi Abbati Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Et diuinarum & humanarum legum inſtitutionibus edocemur, & ipſa etiam naturalis ratio nos exhortatur, vt non ſolùm familiares & domeſticos, ſed vniuerſos quoque diligentes nos diligere debeamus. Quia ergo in Chriſto, fili cariſſime Roberte Abbas, dudum Romanæ Eccleſiæ familiaris ac domeſticus comprobaris, & quia in ipſo B. Petri allodio conſtitutus es, præcipua te dilectione complectimur

In ſuam tutelam accipit Rob. Abbat.

Digitized by Google

& B. Petri munimine confouemus; interdicimus enim, vt nullus omnino perſonam tuam, vel commiſſum tibi officium cõturbare vel inquietare præſumat, ſed quietè permaneas, vt liberè omnipotenti Deo debitum poſſis ſeruitium exhibere. Si quis autem contra iſta præſumpſerit, Dei omnipotentis, & ſedis Apoſtolicæ indignationem ſe nouerit inuenturum. Qui verò obediens & obſeruator extiterit, Domini Dei noſtri & Apoſtolorum eius gratiam conſequatur. Datum apud Tranſtyberim VIII. Kal. Nouemb.

Epiſt. III.

Monet Comitẽ vt moleſtiam Monachis Vizel. non afferat.

PASCHALIS Epiſcopus S.S.S. Dei, GVILLELMO Illuſtri viro Niuernenſium Comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non parua de te apud nos fama eſt, & nos ita credimus & credidimus, quòd Dei timorem habeas & amorem, quòd iuſtitiam diligas, & quòd in cæteris, ſicut tantum decet virum, per Dei gratiam honeſtè te habeas. Monemus igitur, vt vicinas tibi Eccleſias ab oppreſſionibus liberas facias, nec aliquas eis moleſtias irroges: illis maximè quæ ad B. Petri tutelam aut patrocinium pertinent, quemadmodum Vizeliacenſe Cœnobium; in quo exactiones aut vſurpationes aliquas per te vel quorumlibet præſumptione inſtitui omnino prohibemus, & interdicimus: immò ſicut à noſtris prædeceſſoribus Apoſtolicæ ſedis Pontificibus ſancitum eſt, nóſque ſancimus, vt idem Monaſterium ſecundúm Conſtitutionem teſtamenti nobilis memoriæ Gerardi Comitis, B. Petri iure quietum liberúmque dimittas. Alioquin in B. Petrus aduerſum te dominii ſui exeret vltionem, & nos locum noſtrum Apoſtolica auctoritate tuebimur. Datum Prænefte XII. Kal Ian.

Epiſt. IV.

Vt benevolos ſe exhibeant Epiſcopi erga Vizeliacenſes rogat.

PASCHALIS Epiſcopus S. S.S. Dei, Venerabilibus. Fratribus & Coëpiſcopis DAIMBERTO Senonenſi, HVGONI Niuernenſi, STÆPHANO Eduenſi, IOCERANNO Lingonenſi, HVGONI Autiſiodorenſi, Salutem & Apoſto-

Digitized by Google

licam benedictionē. Ex fundatoris illuſtris memoriæ Gerardi Comitis oblatione Vizeliacenſe Monaſterium B. Petri iuriseſſe, veſtra, vt credimus, notitia non ignorat. Verùm quidam, ſicut accepimus, loco eidem exactiones imponere, & graues moliuntur iniurias irrogare. Rogamus ergo fraternitatem veſtram, & monemus vt pro veſtri officii debito locū ipſum protegere ſtudeatis: & ſi quis ei moleſtias fecerit ab Abbate vel Fratribus requiſiti, ita inde iuſtitiam faciatis, vt à B. Petro, & à nobis gratias habeatis. Datum Prænesſte XII. Kal. Ianuarij.

Epiſt. V.

PASCHALIS Epiſcopus S.SS.Dei. Venerabilibus, Fratribus Epiſcopis Galliarum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sacerdotalis ordinis caritati vehementer indignum videtur, quòd facinoroſas perſonas quas pro criminibus ſuis perſequi deberetis, fouere dicimini. Interfectores enim Vizeliacenſis Abbatis in quorundam veſtrum parrochiis licenter habitare dicuntur: vnde fraternitatem veſtram digna redargutione corripientes præſentium lierarum auctoritate præcipimus, vt eos qui Dominum ſuum Presbyterum & Abbatem tam nequiter occiderunt, ſecundum dignum pœnitentiæ modum in exilium detrudatis: & ſi noluerint obedire, excommunicationi ſubiicite, nec vnquam vel Vizeliacenſi Abbati, vel Præpoſito alicui facultas ſit eiſdem homicidis, vel eorum hæredibus, de his quæ ad Eccleſiam pertinent aliquid dimittere: eos verò quos huius homicidij fuiſſe conſtat auctores, niſi dignam egerint pœnitentiam, ab Eccleſia alienos efficite. Datum apud Guardaſtallum. VIII. Kal. Nouembris

Abbatis interfectores præcipit in exilium propulſari.

Innocentij Papæ II. Epiſt. I.

INNOCENTIVS Epiſcopus S. S.S. Dei, Venerabili Fratri STEPHANO Eduenſi Epiſcopo, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quemadmodum tua nouit fraternitas Vizeliac. Monaſterium pro Paſtoris abſentia tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus maximum ſuſtinuit detrimentum

Abbatem inſtituit.

Digitized by Google

Ne igitur ipsum Monasterium propter hoc diutiùs fatigetur dilectum filium nostrum Al. Suppriorem Cluniacensem eiusdem loci Monachis in Abbatem dedimus. Ideo fraternitati tuæ mandamus quatinus ei vice nostra manum benedictionis imponas. Datum VI. Kal. Februarij.

Epist. II.

Abbati mandat vt Eccl. fix Vezel. seruet consuetudines.

INNOCENTIVS Episcopus S. S. S. Dei, Venerabili Fratri H. Eduensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Sicut tua nouit Fraternitas Vizeliacũ Monasterium cum omnibus appendiciis suis B. Petri iuris existit, & ad eius proprietatem & defensionem specialiter pertinet, vnde tibi est iniuncta necessitas ipsum Monasterium, & Fratres ibidem Domino seruientes defensare, & manutenere, & in suis opportunitatibus adiuuare. Quocirca per præsentia tibi scripta mandamus, & mandando præcipimus, quatenus dilectum nostrum P. Abbatem, & Fratres suos in nullo grauare vel infestare præsumas, & de parrochianis tuis à quibus eorum querimoniam acceperis remota dilatione eis iustitiam facias. Clericos verò eorum, quos contra tenorem priuilegiorum sedis Apostolicæ diceris ab ordinibus suspendisse, in officiis & ordinibus restituimus.

Epist. III.

Eiusdem argumenti.

INNOCENTIVS Episcopus S. S. S. Dei, Dilecto filio PONTIO Abbati Vizeliacensi, Salutem & Apostolicam benedictionem. Per alia tibi scripta mandasse meminimus, vt Stephano Altissiodorensi Canonico in præsentia Venerabilium Fratrum nostrorum Godefridi Lingonensis Episcopi, & BERNARDI Clareuallensis Abbatis, de querimonia sua responderes, & quod ipsi exinde statuerent, firmiter obseruares. Verùm quoniam literis & Nuncio tuo postea significasti illud, vnde controuersia agitur, Vizeliac. Ecclesiam iam per XXX. annos & eo ampliùs quietè tenuisse, & iuxta antiquam Ecclesiæ tuæ consuetudinem nulli in tua Curia te debere respondere, præter consuetudinem Ecclesiæ tuæ te super hoc

Digitized by Google

hoc inquietari nolumus, nec quod à beatæ recordationis Papa P. prædecessore nostro exinde statutum est, immutari. Datum Latera. II. Non. Maij.

Epist. III. eiusdem argumenti.

INNOCENTIVS Episcopus S. S. S. Dei Venerabilibus Fratribus GODEFRIDO Lingonensi Episcopo, & BERNARDO Clareuallensi Abbati, salutē & Apostolicam benedictionem. Per Apostolica vobis scripta mandasse meminimus, vt querimoniam Stephani Altissiodorensis Canonici aduersùs dilectum filium nostrum Pontium Abbatem Vizeliaci audiretis, & fine debito terminaretis. Verùm quia idem Abbas literis & Nuncio suo postea nobis significauit, illud vnde controuersia agitur Vizeliacensem Ecclesiam iam per XXX. annos, & eò ampliùs, quietè tenuisse, & iuxta Ecclesiæ suæ antiquam consuetudinem, &c. *vt supra.*

Lucii. Papæ Epist. I. Iubet seruū incarceratum Vizel. Abbas Autissiodor. liberet.

LVCIVS Episcopus S. S. S. Dei. Dilecto filio Abbati S. Germani Altissiod. Salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectus filius noster Pontius Vizeliacensis Abbas ad nostram præsentiam veniens, questus est quòd in quodam nemore tibi & ipsi communi homines suos capi feceris, & seruientibus Comitis Niuernensis incarcerandos tradideris: quos cùm à te requisisset, & habere non posset, pro eorum liberatione tibi fideiussores dedit, & textum Euangelij tradidit: quod quia contra religionem & fraternæ caritatis vinculum factum fuisse cognoscitur, per præsentia tibi scripta mandamus, quatinus dilatione remota, & textum Euangeliorum tam inordinatè susceptum ei restituas, & fideiussores suos absoluas: postmodum verò, si quam aduersus ipsum te confidis habere iustitiam, in præsentia Venerabilis Fratris nostri GODEFRIDI Lingon. Episcopi quod iustitia dictauerit, obtineas; ea quoque quæ Guiberto seruienti tuo ob maliuolentiam ipsius, abstulisti, ei restituas. Datum Latera. XI. Kal. April.

Epist. II. Exulare vult interfectores Artaldi. Abb.

LVCIVS Episcopus S. S. S. Dei, Dilectis filijs PONTIO Abbati Vizeliac. eiúsque Fratribus, salutem & Apostolicam benedictionem. Prædecessor noster fœlicis recordationis Paschalis, sicut ex scriptis ipsius intelleximus, Episcopis per Galliam præcipiendo mandauit, vt interfectores Abbatis Artaldi Vizeliac. quia Dominum suum & Presby-

terum & Abbatem tam nequiter occiderunt, ſecundùm pœnitentiæ dignum modum in exilium detruderent, & ſi obedire nollent, eos excommunicationi ſubijcerent. Prohibuit etiam vt nunquam Vizeliacenſi Abbati vel Præpoſito alicui facultas ſit eoſdem homicidas in eodem Monaſterio ad habitandum ſuſcipere. Nos itaque præceptum confirmantes ipſius ſuper hoc, Apoſtolica auctoritate prohibemus, vt nec ipſi vel eorum hæredes, nominatim Stephanus Altiſſiodorenſis Clericus, qui cum te dilecte in Domino fili Abbas in præſentia Venerabilium Fratrum noſtrorum GODEFRIDI Lingonenſis Epiſcopi & BERNARDI Clareuallis Abbatis ſuper hoc in cauſam traxiſſet, eorum iudicio ſicut accepimus à cauſa decidit, Monaſterium ipſum vlteriùs inquietare præſumant interdicimus. Et ne cui Abbati vel Præpoſito eos in Vizeliacenſi Burgo de cætero ad habitandum ſuſcipere liceat, prohibemus. Datum Lateran. VI. Idus April.

Epiſt. III. Hortatur Comitem vt ſtratam Vizel. reſtituat.

LVCIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Dilecto in Chriſto filio G. Comiti Niuernenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad Nobilitatem tuam pertinet venerabilia loca cum ipſis perſonis diuino famulatui mancipatis diligere & fouere, & ſuam eis juſtitiam conſeruare. Ideóque per Apoſtolica ſcripta Nobilitati tuæ mandamus, atque in peccatorum tuorum remiſſionem jniungimus, quatinus antiquam ſtratam, quam de Vizeliaco diceris abſtuliſſe & aliàs diuertiſſe, ad prædictum locum reſtituas. Datum XI. Kal. Iunij.

Epiſt. IIII. Scribit Bernardo vt Comitem ad bonam frugem reducere conetur.

LVCIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Cariſſimo in Chriſto filio BERNARDO Clareuallenſi Abbati; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectionem tuam ignorare non credimus quòd Vizeliac. Monaſterium B. Petri juris exiſtit, & ad eius proprietatem & defenſionem ſpecialiter pertinet. Nunc autem, ſicut accepimus, G. Niuernenſis Comes contra juſtitiam & ſedis Apoſtolicæ auctoritatem à dilecto filio Pontio ipſius loci Abbate violenter exigit vt de qualibet querimonia in perſona ſua cum hominibus ſuis in Curia ſua reſpondeat. Quod quidem nec ipſe Abbas nec p rędeceſſores ſui hactenus feciſſe noſcuntur. Ideóque per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatinus eumdem Comitem ex noſtra

Digitized by Google

parte diligenter commoneas, vt pro B. Petri reuerentiâ, cuius iuris idem Monaſterium eſſe dinoſcitur, ab huiuſmodi exactione deſiſtat, aut in præſentia Venerabilium Fratrum noſtrorum A. Hoſtienſis, & I. Tuſcul. Epiſcoporum Apoſtolicæ ſedis Legatorum, iuxta tenorem ſedis Apoſtolicæ priuilegiorum quod iuſtitia dictauerit, ab eodem Abbate recipiat; quòd ſi hoc recipere noluerit, ipſum Monaſterium tã iniuſtè opprimi pati non poterimus, & quod noſtri intereſt officij, auctore Domino faciemus. Datum Lateran. XIII. Kal. Decembris.

Eugenij Papæ II. Epiſt. I. Comitem monet vt iura Vizeliac. vltra non vſurpet.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Dilecto filio GVILLELMO Niuernenſi Comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Venerabilia loca, & religioſæ perſonæ, quæ ſuam in Dei obſequio intentionem fixerunt, nullis debent grauaminibus concuti, nullis moleſtijs agitari. Accepimus autem, vnde valde miramur, quod dilectos filios noſtros Pontium Abbatem & Fratres Vizeliac. Monaſterij, atque ipſorum Burgenſes, contra priuilegiorum Apoſtolicæ ſedis ſtatuta, pro facienda ſeu recipienda juſtitia extra Vizeliacum exire compellas: Quod tantò grauiùs ferimus, quantò Monaſterium ipſum ad ſedem Apoſtolicam ſpecialiùs pertinet, & ad eius defenſionem & patrocinium propriè ſpectare videtur. Te ergo indignum eſt, & ab induſtria Catholicorum Principum penitus alienum, vt ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtatuta temerè ab aliquo diſſoluantur, cuius priuilegia diuinitus radicata euelli nullatenus poſſunt. Per præſentia ſcripta Nobilitati tuæ mandamus, quatinus de cætero neque Abbatem, neque Monachos prædicti Monaſterii, ſiue ipſorum Burgenſes, pro ſupradictis cauſis extra Vizeliacum egredi cogas; quòd ſi monitis & mandatis noſtris obedire neglexeris, diſſimulare non poterimus quin B. Petri iniuriam pro noſtri officii debito vindicemus.

Epiſt. II. Objcit Comiti patris pietatem & erga Sedem Apoſt. deuotionẽ, quo illum deterreat ab infeſtatione Vizeliac. Mon.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei Dilecto filio nobili viro GVILLELMO Niuernenſi Comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quanta deuotione pater tuus Apoſtolicę ſedi ſemper adhæſerit, & quæ ad eam pertinere nouerat, quàm ſtudiosè, dilexerit & fouere ac manutenere curauerit, notitiam tuam latere non debet. Propterea B.

Petrus eum, dum vixit, honorauit, prouexit, & ampliauit terris, atque circa finem huius labentis vitæ in consortio Sanctorum virorum susceptum, reseratis ei regni cœlestis ianuis, cum sanctis agminibus in æterno palatio fœliciter, sicut credimus, collocauit. Prædecessores etiam nostri ipsum affectione debita dilexerunt, & in suis necessitatibus efficaciter adiuuerunt; nos quoque temporibus nostris personam & domum tuam sicut specialem B. Petri familiam paterna benignitate dileximus, honorauimus, & semper idipsum facere, ductore Deo, præoptamus; si tu parentum vestigiis inhærendo, matrem tuam sanctam Rom. Ecclesiam filiali deuotione amaueris, & quæ ad eam pertinent fouere, ac manutenere curaueris. Miramur autẽ quòd sicut ex conquestione dilecti filii nostri Pontii Vizeliacen. Abbatis didicimus, antiquam libertatem ipsius Monasterii, quod vtique ad proprium ius B. Petri ab ipso suæ fundationis exordio indubitanter noscitur pertinere, conaris infringere, & nouas consuetudines, atque indebitas exactiones eidem filio nostro Abbati moliris imponere, non considerans tantorum & tam sanctorum Apostolicorum anathematis sententiam, quæ sicut in eorum priuilegijs declaratur, in perturbatores eiusdem Coenobij promulgata esse dinoscitur. Quia ergo locus ipse sub B. Petri tutela & nostra defensione specialiter consistere cernitur, & diminutionem libertatis seu immunitatis ipsius pati nec possumus nec debemus; per præsentia scripta nobilitati tuæ mandamus, quatinus ipsum Monasteriũ in sua libertate dimittas, & ab infestatione prædicti filij nostri Pontij eiusdem loci Abbatis pro B. Petri & nostra reuerentia omnino abstineas. Quòd si ab impetitione tua cessare nolueris, nos quantum æquitatis jus exigit, tibi offerimus & in præsentia dilecti filij nostri I. Apostolicæ sedis Legati, qui per partes illas præstante Domino est in proximo rediturus, memoratum filium nostrum P. Abbatem super causa ipsa tecum stare ad justitiam volumus, vel si fortè idem Legatus nimiùm, quod minimè credimus, reditum suum distulerit, in conspectu venerabilium Fratrum nostrorum S. Remensis Archiepiscopi, G. Lingonensis Episcopi, atque carissimi filij nostri B. Clareuallensis Abbatis, idem negotium discuti volumus, & mediante iustitia diffiniri: si verò neque hoc

Digitized by Google

facere, neque ab infeſtatione ipſius Abbatis, & Fratrum inibi Domino militantium ceſſare nolueris, tolerarenon poterimus quin B. Petri patrimonium tueamur, & ab indebita oppreſſione tua præfatum Monaſterium tam per nos quàm per fideles Eccleſię liberemus.

Epiſt. III. Vt Comitē coërceat Regem adhortatur.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Cariſſimo in Chriſto filio LVDOVICO Illuſtri Francorum Regi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Summum in Regibus bonum eſt juſtitiam colere, Dei Eccleſias in ſuo jure deuotione debita cuſtodire atque diligere, & in ſubiectos non ſinere quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquum eſt, cuſtodiri. Monaſterium Vizeliac. quàm propriè, quàm ſpeciliater à ſuę fundationis exordio ad Apoſtolicam ſedem pertineat, & quantâ curâ in ſuæ libertatis & immunitatis integritate à Romanorum Pontificibus, ſiue Regibus, & alijs Principibus eidem loco indultæ, vſque ad tempora noſtra per ſtudium & exactã diligentiam prædeceſſorum noſtrorum, & parentum tuorum cuſtoditum ſit, eiuſdem loci ſtatus incolumis euidenter oſtendit, & tam vicini quàm longè poſiti recognoſcunt. Nunc autem Nobilis vir G. Niuernenſium Comes à veſtigijs parentũ ſuorum declinans libertatem ipſius conatur infringere, & nouas cõſuetudines atque indebitas exactiones dilecto filio noſtro PONTIO eiuſdẽ loci Abbati molitur imponere, non attẽdens anathematis ſententiam quæ in perturbatores, ſeu infeſtatores eiuſdem Coenobij à tot & tam ſanctis Pontificibus Romanis, ſicut in eorum priuilegiis declaratur, promulgata eſſe dinoſcitur. Quia ergo locus ipſe iuris B. Petri, & ſub eius tutela, & noſtra defenſione indubitanter conſiſtere cernitur, atque diminutionem ipſius iuſtitiæ pati non poſſumus nec debemus, per Apoſtolica ſcripta Nobilitati tuæ mandamus quatinus prædictum Comitem ab inquietatione ipſius Monaſterij deſiſtere facias, & in ſua libertate dimittere. Quòd ſi ab impetitione ſua ceſſare noluerit, nos quantum æquitatis ius exigit ei offerimus, & in preſentia dilecti filij noſtri I. Apoſtolicæ ſedis Legati, qui per partes illas præſtante Domino eſt in proximo rediturus, memoratum filium noſtrum Pontium Abbatem ſuper cauſa ipſa ſtare ad iuſtitiam volumus. Vel ſi forte idem Legatus ni-

miùm, quod minimè credimus, reditũ ſuũ diſtulerit, in conſpectu venerabilium Fr. noſtrorum S. Remenſis Archiepiſcopi, G. Lingonenſis Epiſcopi, atque cariſſimi filij noſtri B. Clarevallenſis Abbatis, idem negotium diſcuti volumus, & mediante iuſtitia diffiniri. Si verò antedictus Comes neque hoc facere, neque ab infeſtatione ipſius Abbatis & Fratrum inibi Deo militantium ceſſare noluerit, nobis neceſſitas imminebit, vt B. Petri patrimonium tueamur, & ab indebita oppreſſione ipſius Comitis antefatum Monaſterium tam per nos quàm per fideles Eccleſiæ liberemus. Ideóque quoniam per excellentiorem ac deuotiorẽ Eccleſiæ fidelem ac deffenſorem non poſſumus, tuæ induſtriæ ſtudium rogando attentiùs incitamus vt ipſum Comitem à tanta præſumptione firmiter reuoces & omninò prohibeas.

Epiſt. IIII. Idem ſcribit, aſſeritque Comitem excomunicatum niſi reſipiſcat.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Cariſſimo in Chriſto filio LVDOVICO Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro ſinceri amoris & paternæ affectionis prærogatiua, literis & viua voce tibi frequenter oſtendimus, ſi aliquando ſuper aliquibus cauſis ſtrenuitatem tuam nos rogare contingat, noſtras, immò B. Petri preces in nobis debes attentiùs exaudire; ſed cùm pro vexatione, quam Niuernenſium Comes Vizeliac. Monaſterio contra Deum & omnem iuſtitiam præſumptione tyrannica inferre dinoſcitur, Nobilitati tuæ ſcripſerimus, poſtmodùm vehementiùs & attrociùs quàm antea ipſum Monaſterium oppreſſit, afflixit, & cum perfidis Burgenſibus ipſius loci non deſtitit inpugnare, & proprium alodium ac patrimonium eiuſdem Apoſtolorum Principis, licet in vanum, conatur auferre. Quare autem hoc contigerit, ſiue quia iuxta mandatum noſtrũ prædictũ Comitẽ à tanta præſumptione nolueris ſiue neglexeris cohibere, ſiue idem Comes commonitionem & poteſtatis tuæ dominium paruipenderit, ignoramus. Et quoniam tam inmoderatam nequitiam diſſimulare impunitam non poſſumus, nec debemus, Nobilitati tuæ per iterata ſcripta mandamus, atque attentiùs exoramus, quatinus antedictum Comitem diſtrictè commoneas, vt damna, quæ memorato Monaſterio intuliſſe dinoſcitur, in integrum emendet, & locum ipſum in pace ac libertate ſua dimittat. Quòd ſi aliquam in eodem Monaſterio iuſtitiam ſe habere confidit, nos quod iuſtum fuerit, ei

Digitized by Goog

faciemus poſtmodùm exhibere. Si verò in ſua pertinacia induratus, hoc effectui mancipare contempſerit, nos in perſonam eius ac Burgenſium de Vizeliaco excommunicationis ſententiam ſine appellationis remedio proferri præcepimus, & in tota terra ipſius, præter baptiſterium puerorum, & morientium pœnitentias, omnia diuina officia prohiberi. Quocira præſentium auctoritate mandamus, vt ex tunc ab eo tanquam ab excommunicato abſtineas, & Burgenſes ipſos ab omnibus feriis regni tui ſub banno tuo penitus prohibens à quibuſcunque inueniri potuerint capi, & rebus ſuis ſpoliari ſicut periuros & Eccleſiæ turbatores iuſtitiæ zelo præcipias.

Epiſt. V. Commonet Comitem vt Vizeliacenſes non perturbet

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Venerabilibus Fratribus HVGONI Altiſſiod. & G. Lingonens. Epiſcopis, & Cariſſimo filio B. Clareual. Abbati ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis amminiſtratio, cui licet immeriti deſeruimus, facit nos vniuerſis Eccleſiis debitores, & quemadmodum de earum pace & tranquillitate gaudemus, ita ſi qui eas indebitis moleſtiis & fatigationibus inquietant, paterno affectu dolemus, & eis tam per nos ipſos, quàm per Fratres noſtros benignè prouidere ſolliciti ſumus. Accepimus autem quòd venerabile Monaſterium S. Mariæ de Vizeliaco filius noſter VV. Niuernenſium Comes contra iuſtitiam & antiquam conſuetudinem grauare contendat, cum dilectos filios noſtros Pontium Abbatem, & Fratres ipſius loci, atque eorum Burgenſes, extra villam Vizeliac. pro faciendis ſeu recipiendis iuſtitiis contra priuilegiorum Apoſtolicæ ſedis ſtatuta exire conſtringat. Quia ergo Monaſterium ipſum B. Petri iuris eſt, & ſub ſanctæ Romanæ Eccleſiæ patrocinio & defenſione conſiſtit, in ſua ei iuſtitia nec poſſumus deeſſe nec debemus. Ideóque per præſentia ſcripta vobis mandamus, quatenus eundem Comitem ex noſtra parte diſtrictiùs commonere curetis, vt de cætero neque Abbatem, neque Monachos neque Burgenſes pro huiuſmodi cauſis prædictam villam egredi cogat. Quòd ſi facere attentauerit, diſſimulare non poterimus quin B. Petri iniuriam diſtrictiùs vlciſcamur.

Epiſt VI. Cõmẽdat

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Dilecto in Chriſto filio nobili viro Odoni Burgundiæ Duci, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad induſtriam Catholicorum Princi-

Digitized by Google

Duci Burg. Vizeliacenſe Monaſterium.

pũ ſpectare dignoſcitur venerabilia & Deo dicata loca affectione debita fouere, & à prauorum hominum incurſibus defenſare. Vizeliacenſe Monaſterium B. Mariæ Magdalenæ quàm propriè, quàm ſpecialiter ad ius B. Petri pertineat, & quod à ſuæ fundationis exordio ſub Apoſtolicæ ſedis tutela commiſſum ſit, tam vicini quàm longè poſiti recognoſcunt. Ideóque de tua nobilitate plurimùm confidentes, idem Monaſterium, & quæ ad ipſum pertinent, Strenuitati tuæ duximus attentiùs commendandum; per præſentia ſcripta rogantes, quatinus locum ipſum deuotionis intuitu diligas, protegas, & ab eorum infeſtationibus, qui antiquam eius libertatem nituntur infringere vel turbare, pro B. Petri & noſtra reuerentia manuteneas & deffendas. Idem ſcribimus Archimbaldo de Burbono, & Comiti Theobaldo.

Legatus Abbatem forti ſit animo exhortatur.

ALBERICVS Dei gratia Hoſtienſis Epiſcopus ſedis Apoſtolicæ Legatus, Venerabili fratri PONTIO Vizelic. Abbati ſalutem & dilectionem. Scire volumus fraternitatem veſtram quia Comiti Niuernenſi ſtudioſè pro vobis ſcripſimus. Quòd ſi eum in pertinacia ſua manere videritis, aliud vobis conſilium non damus præter illud quod iam vobis ſemel & ſecundò dedimus, vt videlicet contra Romanorum Pontificum priuilegia, ſeu Eccleſiæ veſtræ libertatem nihil facere incipiatis.

Epiſt. VII. Mandat Epiſcopo Lingon. poſt monitionem ſi Comes nõ reſipiſcat, excommunicatum denũtiet.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Venerabili fratri G. Lingonenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sæuitiam & tyrannidem, quam Niuernenſis Comes in Vizeliac. Monaſterium Dei timore poſtpoſito exercere non veretur, tantò tibi plus notam eſſe credimus, quantò ei vicinior eſſe dinoſceris Quia ergo idem Cœnobium à prima ſui fundatione proprium alodium ac patrimonium B. Petri eſſe dinoſcitur, ipſius deſtructionem pati non poſſumus, nec debemus. Et quia de religionis tuæ prudentia valde confidimus, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus predictum Comitem diſtrictè ſine longa dilatione conuenias, vt damna quæ ipſi Monaſterio intulit in integrum reſtituat, & locum ipſum in ſua pace ac libertate dimittat. Quòd ſi infra xxx. dies poſt tuam commonitionem adimplere neglexerit, ad locum vn de ad ipſius Comitis notitiam peruenire poſſit, accedas

Digitized by Google

accedas, & congregatis religiosis & prudentibus viris, accensis candelis in Ecclesia & in personam eius, atque perfidorum Burgensium de Vizeliaco auctoritate nostra excommunicationis sententiam absque appellationis remedio proferas, & in tota terra eius præter baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium, omnia diuina officia prohibeas celebrari: adijcientes vt sententiam ipsam venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis P. Bituricensi & Hu. Senonensi & G. Niuernensi, & He. Eduensi. & He. Trecensi & A. Altissiod. Episcopis per tuas literas ex parte nostra firmiter obseruandam denuncies. Nos siquidem per alia eis scripta mandauimus, vt eandem sententiam post tuam denuntiationem per suas parrochias inuiolabiliter faciant obseruari. Literas verò quas prædictis Fratribus nostris Eduensi, Niuernensi & Autissiodorensi misimus, per tuos eis Nuncios facias præsentari.

Idem scripsit Archiepiscopo Bituric. & alijs Episcop.

EVGENIVS Episcopus S.S. S. Dei, Venerabilibus Fratribus nostris Hug. Senonensi Archiepiscopo, G. Lingonensi, T. Parisiac. & He. Trecensi, Episcopis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Immoderatam præsumptionem & intolerabilem contumaciam perfidorum Burgensium de Vizeliaco, qui violata fidelitate & iuramento quod Abbati & Domino suo fecerant, eum de Monasterio suo ausu nefario eijcere & locum ipsum, quod vtique ab exordio suæ fundationis proprium B. Petri alodium esse dinoscitur ac patrimonium, nobis licet in vanum auferre conantur, Fraternitatis vestræ notitiam latere non credimus. Ne igitur tantæ præsumptionis audacia inpunita remaneat, & in peius indisciplinatio pernicioſa prorũpat; per præsentia vobis scripta mãdamus, quatinus prædictos Burgenses tanquam periuros & proditores & excommunicatos in nundinis & mercatis vestrarum parrochiarum recipi omnino prohibeatis; Immo à quibuscunque parrochianorum vestrorum inueniri potuerint, capi & rebus suis spoliari præcipiatis. Datum Romæ apud. Petrum XIIII. Kal. Ianuarij.

Epist. VIII Excommunicatos Burgenses Vizel. Episcopi in suis ditionibus versari non sinant.

EVGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs nobilibus viris ODONI Duci Burgundiæ, He. Comiti, Ar. de Borbone, G. Comiti Cabilon. R. fratri Ducis, R. Co-

Epist. IX. Eodem argumento scribit ad

Ducē Bof-gundiæ & & alios nobiles viros.

miti de Iouiniaco, G. de Donzeio, R. de Rubcomonte, D. de Luziaco, A. de Monte Regali, S. Vicecomiti Senon. & filijs eius. G. atque B. G. Vicecomiti Caſtrilandonis, G. de Virgiaco, O. de Tylo, Hu. de Monte S. Ioannis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Immoderatam præſumptionem, & intolerabilem contumaciam perfidorum Burgenſium de Vizeliaco qui violata fidelitate & iuramento quod Abbati & Domino ſuo fecerant, eum de Monaſterio ſuo auſu nefario eijcere & locum ipſum, quod vtique ab exordio ſuæ fundationis B. Petri alodiū ac patrimonium eſſe dinoſcitur, nobis, licet in vanum, auferre conantur, Nobilitatis veſtræ notitiam latere non credimus. Quia ergo tantæ præſumptionis audaciam potentes ac nobiles viri, qui eidem Apoſtolorum Principi deuoti exiſtunt, impunitam tolerare non debent, per præſentia ſcripta Nobilitati veſtræ mandamus, quatinus prædictos Burgenſes, donec reſipuerint, & condignam ſatiſfactionem humiliter exhibuerint, ab omnibus ferijs terræ veſtræ prorſus inhibeatis; immò quoſcunque de ipſis homines veſtri fortè inuenerint, tanquam periuros & proditores & excommunicatos capi, & rebus ſuis ſpoliari præcipiatis. Datum Romæ apud S. Petrum XIV. Kal. Ianuarij.

Epiſt. X. Vult vt Epiſcopus bona ablata Burgenſium Vizeliac. reſtituat.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei Venerabili Fratri Eduenſi Epiſcopo, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis clementia ſingulis Eccleſijs & Perſonis Eccleſiaſticis ſuam dignitatem & iuſtitiam ſeruare conſueuit. Vnde nos, quorum præcipuè intereſt Eccleſiarum omnium curam gerere, pro Vizeliacenſi Monaſterio quod B. Petri iuris exiſtit, & Fratribus religioſis ipſius loci oportet eſſe ſollicitos, pro quibus ſicut credimus, tibi ſcripta noſtra tranſmiſimus, vt eoſdem Fratres iuxta officium tuum & potentiam à Deo tibi conceſſam à prauorum hominum incurſibus defenſares. Quo contrà grauis ad nos querela peruenit, quòd hominibus & ſeruientibus tuis Monaſterium ipſum multis modis infeſtare permittis: Ipſi nanque, ſicut accepimus, equos & boues eorum per violentiam auferunt, & homines ipſorum cum rebus ſuis & troſellis, & aliis rebus capiunt & alia plurima damna & iniurias inferunt.

Digitized by Google

Dux etiam Burgundiæ frater tuus ad ſimilitudinem hoſtium, quibus prælium indicitur, eiſdem Fratribus à ſe cuſtodiri mandauit, & homines & res eorum apprehendi & detineri iuſſit. Quia igitur vnicuique volumus ſua iura ſeruari, præſenti tibi annotatione mandamus, quatinus prædictis Fratribus ablata ab hominibus tuis facias cum integritate reſtitui, & de damnis & illatis iniurijs ſatisfactionem congruam exhiberi. Si verò aliquam iuſtitiam contra ipſos te habere confidis ſuper pecuniaria cauſa, in præſentia venerabilis Fratris noſtri Hugonis Altiſſiod. Epiſcopi quod iuſtum fuerit poteris obtinere. Quocirca ſi ab eodem Fratre noſtro fueris euocatus, eius præſentiam adeas, & quod ipſe exinde inter vos iudicauerit, ſuſcipias firmiter & obſerues. Cæterùm ſi de ſtatu Monaſterij controuerſia agitur, volumus eam in noſtra præſentia pertractari.

Epiſt. XI. Ducem quòd Vizeliacenſes vexauerit increpat.

EVGENIVS Epiſcopus S. S.S. Dei: Dilecto Filio nobili viro Duci Burgundiæ Salutem. Quantò diuinæ diſpoſitionis clementia maiora tibi conceſſit, & te ampliùs in ſublime prouexit, tantò magis Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas & pauperes Chriſti debes diligere, & eos attenta ſollicitudine à prauorũ hominũ incurſibus deffẽſare. Sed ſicut accepimus, vnde valdè dolemus, contraria operaris: Dilectos ſiquidem filios noſtros Vizeliac. Monaſterij Fratres duris vexationibus inquietas, & homines eorum cum rebus ſuis capi iuſſiſti; eoſdem quoque Fratres more hoſtium per tuum Nuntium diffidaſti: Nos ſiquidem de te talia minimè ſperabamus. Quia igitur hæc fieri in perniciem animæ tuæ manifeſtè cognoſcimus, & Monaſterio quod B. Petri iuris exiſtit deeſſe non poſſumus nec dẽbemus: Per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus prædictis Fratribus de damnis & illatis iniuriis condignè ſatiſfacias, & de cætero eis nulla grauamina inferas, immò tanquam Eccleſiæ Catholicæ deuotus filius & iuſtitiæ amator, eiſdem Fratribus, & aliis Religioſis viris, & Eccleſiaſticis perſonis in ſuis neceſſitatibus ſtudeas ſubuenire. Si verò contra eoſdem Fratres aliquam quæſtionem habere confidis, in præſentia Venerabilis Fratris noſtri Hugonis Altiſſiodorenſis Epiſcopi quod iuſtitia dictauerit poteris obtinere. Cùm igitur ab eo fueris euocatus, eius præſen-

tiam adeas, & quod ipſe inter vos iudicauerit, firmiter ſuſcipias & obſerues. Verùm ſi noſtris mandatis obedire contempſeris, manus B. Petri in te proculdubio extendetur. Datum Signiæ IX. Kal. Nouembris.

Epiſt. XII. Iudicem conſtituit Epiſcopum Autiſſiod. in causâ Epiſcopi Edu. & Vizel.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei, Venerabili fratri HVGONI Epiſcopo Altiſſiodor. Salutem. Venerabili Fratri noſtro Eduenſi Epiſcopo, qui per homines ſuos Viziliac. Monaſterii Fratribus multa mala dicitur intuliſſe, per ſcripta noſtra mandauimus, quatinus ablata ſibi & hominibus ſuis faciat cum integritate reſtitui, & condignam ſatiſfactionem de damnis & illatis iniuriis exhiberi: ſi verò aliquam iuſtitiam contra eoſdem Fratres ſuper pecuniaria cauſa ſe habere confidit, eundem Fratrem quod iuſtum eſt in tua præſentia volumus obtinere. Per præſentia igitur ſcripta diſcretioni tuæ mãdamus, quatinus ſi agere voluerit, vtráque partẽ congruo loco & tempore ad tuam audientiam conuoces, & cauſâ examinatâ & cognitâ, inter eos media æquitate diffinias.

Epiſt. XIII. Certiorem facit Abbatem de Epiſcopo Autiſſ. Iudice à ſe conſtituto.

EVGENIVS Ep. S. S. S. Dei, Dilecto filio PONTIO Vizel. Abbati Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quid Venerabili Fratri noſtro Eduenſi Epiſcopo, & nobili viro Duci Burgundiæ Fratri eius pro negotio veſtro per ſcripta noſtra mandauimus, ex tranſcripto literarum poteris apertè videre. Si ergo prædictus Epiſcopus & Dux voluerint te ſuper pecuniaria cauſa coram venerabili Fratre noſtro Hugone Altiſſ. Epiſcopo conuenire, cùm ab eo fueris euocatus, eius præſentiam adeas & quod ipſe inter vos conſtituerit, audias & obſerues. Cæterùm ſi de ſtatu Monaſterij Epiſcopus Eduenſis agere voluerit, controuerſiam ipſam in noſtra præſentia volumus agitari. Datum Signiæ IX. Kal. Nouembris.

Epiſt. XIV. Dux deſinat Vizeliac. Cœnobium diuexare.

EVGENIVS Epiſ. S. S. S. Dei, Dilecto filio O. Burgundiæ Duci ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm omnis poteſtas à Domino Deo ſit, terreni Principes, & populi mundiani Rectores quæ ad honorem Dei ſpectare cognouerint, debent propenſiùs operari: quò contrà aduerſus perſonam tuam querelam accepimus. Significatum nanque nobis eſt, quòd Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ, & eius homines inquietas multipliciter & infeſtas, quod tantò gra-

Digitized by Google

uiùs ferimus, quantò perſonam tuam propenſiori caritate diligimus, & ſalutem tuam debitis affectionibus præoptamus. Ideóque per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus memoratam Eccleſiam & eius homines infeſtare de cætero non præſumas, ne iteratus clamor ad noſtras aures debeat peruenire. Datum Remis III. Non. Aprilis.

Epiſt. XV. Vult vt coram ſe vel Epiſcopo Autiſſ. dirimantur controuerſiæ Vizel. inter & Ep. Edu.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei. Dilecto filio PONTIO Vizel. Abbati, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Veniens ad præſentiam noſtram venerabilis Frater noſter He. Eduenſis Epiſcopus aduerſum te in conſpectu noſtro & Fratrum noſtrorum, præſente quoque Confratre tuo quem ad nos deſtinaueras, ſuam querelam depoſuit, quod quædam quæ in Monaſterio tuo Eccleſia ſua vſque ad hæc tempora pacificè habuit, ei contra iuſtitiam auferre moliris, & viua voce reſponderis quòd pro eo nihil penitus faceres. Quia igitur ad noſtrum officium potiſſimùm ſpectat Fratrum ſcandala de medio tollere, & cuique ſuam iuſtitiam conſeruare, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus proximis octauis B. Martini, niſi fortè cum eodem Fratre noſtro interim concordaueris, per te ipſum, vel per ſufficientes reſponſales tuos cum munimentis Monaſterij tui, maximè cum Inſtrumento Fundatoris, ad noſtram præſentiam venias ſuper his reſpondere parâtus. Nihilominùs quoque ſollicitudini tuæ mandamus, vt in præſentia Venerabilis Fratris noſtri Hug. Altiſſiod. Epiſcopi de his quæ tu & homines tui ei ab hominibus ſuis iniuſtè tenetis, iuſtitiam facias: quoniam eidem Fratri noſtro Eduenſi Epiſcopo eodem modo præcepimus, vt ex his quæ homines ſui tuis hominibus abſtulerunt, in eiuſdem præſentia iuſtitiam pariter faciat. Interim verò ex his quæ poſſidet nullam ſibi volumus moleſtiam irrogari. Datum Ferentini VII. Kal. Martij.

Epiſt. XVI. Epiſcopo Lingon & Abbatibus mandat vt quod teſtes depoſuerint ad ipſum referant.

EVGENIVS Ep. S. S. S. Dei, Venerabili Fratri G. Lingon. Epiſcopo, & dilectis filiis S. Regniac. & P. Trinorcienſi Abbatibus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cauſa quæ inter Venerabilem Fratrem noſtrum He. Eduenſem Epiſcopum & dilectum filium noſtrum P. Vizeliac. Abbatem agitur, non potuit in præſentia noſtra iudicio terminari; quoniam idem Frater noſter quoſdam ſe teſtes habere dicebat,

qui senio vel languore confecti suam nobis præsentiam nequeunt exhibere. Quia igitur de vestra prudentia valde confidimus, & per hoc causam ipsam nolumus fine debito defraudari; per præsentia vobis scripta mandamus, quatinus ab alterutra partium requisiti in vnum conuenientes; ad locum, in quo testes suam vobis præsentiam exhibere valeant, accedatis, & iuramento ab eis susceptо quicquid super eadem causa testificati fuerint in scripturæ seriem fideliter redigatis; in scriptura redactum, ac sigillorum vestrorum impressione signatū, & cum ad causam iam dictus Frater noster redire voluerit, ad nostram presentiam transmittatis. Forma verò Iuramenti hæc erit: *Ego ille iuro quoniam quicquid veritatis scio super causa, quæ inter Hen. Eduensem Episcopum & P. Vizeliac. Abbatem agitur, vobis aperiam: falsitatem penitus reticebo.* Datum Signiæ IV. Kal Februarij.

Orat SS. Pontificem vt libertates Cœnobij asserat.

REVERENDO Patri & Domino suo EVGENIO Dei gratia summo Pontifici HVGO Rothomag. humilis Sacerdos, obedientiam debitam & reuerentiam. Quod sancta Romana Ecclesia prouida dispensatione iuris ac dignitatis contulit quibuslibet Ecclesijs, confidimus ratum ab ipsa teneri, nec ab aliquo in posterum idipsum posse violari. Ecclesia siquidem Vizeliac. quæ vestra est, à Domino, vt audiuimus, Eduensi Episcopo grauiter infestatur, & quod eidem libertatis ac dignitatis Rom. Pontificum gratuita benignitate collatum est, cassare nititur. Super hoc autem quod idem Frater noster Episcopus, vt dicitur, affirmat, in eodem Vizeliaco aliquem Episcopū præter ipsum vel eius assensum, ordines non posse celebrare, vel altaria consecrare; vtriusque recordamur officium prece & monitu Abbatis ipsius Ecclesiæ atque Conuentus nos ibidem complesse, aliósque quamplures Episcopos auctoritate priuilegiorum S. R. Ecclesiæ, quæ ibidem habentur, similia perpetrasse. Piæ igitur Paternitati vestræ pro eadem Ecclesia vestra Vizeliac. supplicamus, vt in eadem libertate & dignitate ipsam conseruare digneminī., quâ antecessores vestri eam seruauerunt, nec de iure suo eandem minui, vel iniustè priuari sustineatis, Cariſſime Pater & Domine.

Epist. XVII. EVGENIVS Episcopus S. S.S. Dei Venerabili Fratri He.

Digitized by Google

Eduenſi Epiſcopo Salutem & Apoſtolicam benedictionem, Quòd Apoſtolicæ benedictionis te participem facimus, non extuis meritis, ſed de Apoſtolicæ ſedis benignitate procedit. Sicut enim pro certo nobis à compluribus ſignificatum eſt, omnes moleſtiæ atque vexationes, quas dilecto filio noſtro Pontio Abbati Vizeliac. Burgenſes ipſius Villæ auſu nefario præſumpſerunt, per inſtinctum & incitationem tuam habuerunt exordium; & eos in tanta nequitia contra Deum, & contra commiſſum tibi Epiſcopale officium, & animæ tuæ ſalutem fouere, ac manutenere non times. Diceris nanque, quòd & eiſdem Burgenſibus excommunicatis cõmunicare præſumas, & ad diuina officia eos tu ipſe admittas, atque Presbyteris tuis diuina eis officia celebrari permittas atque præcipias. Quia ergo tam grauem & immoderatũ exceſſum impunitũ prætermittere nec poſſumus nec debemus, per præſẽtia tibi ſcripta mãdamus, quatinus proximam B. Lucæ feſtiuitate tã pro terminãda controuerſia quæ inter te & prædictũ Abbatem agitatur, quàm pro his ad noſtrã præſentiam ocaſione ſepoſita venias, ſuper contrarietatibus, quas ipſi Abbati diceris intuliſſe, nobis ſufficienter reſpondere paratus. Interim verò eidem Abbati nullam perturbationem ſeu moleſtiam quibuſlibet modis inferre præſumas; ſollicitè cauens vt ſupradictorum excommunicatorum, vel interdictorum nullus à te vel à tuis Presbyteris ad diuina ſuſcipiatur officia, ſed ad quemcunque locum Parochiæ tuæ aliquis deuenerit, donec præſens fuerit nullus ibi diuina officia præſumat celebrare. Quòd ſi ſtatuto termino ad nos venire neglexeris, aut hæc vel alia quæ ad prædictorum vindictam Burgenſium à nobis ſeu Fratribus noſtris ſtatuta ſunt præſumpſiſti vel præſumpſeris violare, pro certo cognoſcas, & cauſam ipſam proceſſum dictante iuſtitia recepturam, & te officij tui periculum incurſurum. Datum Laterani VI. Kal. Feb.

Increpat Epiſcopum Eduenſ. quòd Vizeliac. Burgenſibus excommunicat. fauerit.

EVGENIVS Epiſcopus S. S. S. Dei Eduenſi Epiſcopo Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Opera quæ de perſona tua, & his qui per omnia tuis præceptionibus acquieſcunt poſt diſceſſum tuum à Nobis ad noſtram audientiam peruenerunt, fidem nobis faciunt illorum verborum,

Epiſt XVIII. *Epiſcopo Eduenſi præcipit vt coram Lingonẽſi ſuo*

rationem de persecutionibus à se in Vizeliacensi excitatis redditurus.

quæ dum apud nos moram faceres, de ore tuo audiuimus processisse, quia scilicet malebas vt Vizeliacense Monasterium omninò destrueretur, quàm tuæ non debeat iussioni parere. Dilecti quidem filij nostri Pontii Abbatis ipsius loci nuper est ad nos transmissa conquestio, quod postquam à sede Apostolica discessisti, eum & commissam sibi Ecclesiam tam per te quàm per tuos multipliciter aggrauasti, quoscunque potes in damnum & perturbationem eius accendis, frater etiam tuus ad suggestionem tuam in Ecclesiam & bona eius damnabili præsumptione grassatur. Homines suos de more orationis causâ ire ad Monasterium non permittit, homines Monasterij capit & deprædatur, & quidam eorum qui sub ipsius ditione consistunt, in tantæ præsumptionis audaciam prorumpunt, vt in ipsos etiam Monachos violentas manus injicere non dubitauerint. Prætereà Niuernensem Comitem ita in eiusdem Ecclesiæ persecutionem diceris accendisse, vt sub tantorum concussione ventorum præfato Filio nostro & eius Fratribus vix ibi quietis locus ad diuinum remaneat famulatum. Sanè quia hæc tam grauia sunt, vt nec impunita debeant, nec irrequisita dimitti, cognitionem eorum Venerabili fratri nostro G. Lingonensi Episcopo decreuimus committendam. Præsentium itaque tibi auctoritate præcipimus, quatinus cum ab eo fueris euocatus, præsentiam tuam ei exhibeas, inquisitioni eius plenam rationem de his omnibus redditurus. Illos autem parochianos tuos, quos in aliquem Monachorum aut Clericorum ipsius Monasterij violentas manus injecisse constiterit, congregato cœtu Ecclesiæ, publicè candelis accensis, excommunicatos annuncies, & donec pro tanto excessu satisfacturi Apostolico se conspectui cum tuis literis repræsentent, per totam tuam diœcesim sicut excommunicatos facias euitari. De cætero tota sollicitudine præcaue, ne antefato Filio nostro aut Ecclesiæ, aut eius fratribus siue per te vel summissam personam, aliquam molestiam irrogare præsumas. Alioquin tam in personam quam Ecclesiam tuam auctore Domino taliter vindicabimus, vt omnibus qui audierint apertè detur intelligi quàm graue sit ea velle per tyrannidem occupare, quæ canonicè tantùm debeant

alicui

Digitized by Google

alicui iudicio prouenire. Datum Signiæ XII. Kal. Iulij.

EVGENIVS LVDOVICO REGI.

Epist 19. Regem exhortatur vt cohibeat Comitem vexatione Vizeliac.

Per alia scripta Nobilitati tuæ mandauimus, quatinus Niuernensem Comitem ab infestatione Vizeliac. Ecclesiæ quæ ad ius B. Petri specialiter pertinet, attentiùs cohiberes. Et ecce, quod sine grandi mentis afflictione nõ dicimus, nescimus an eum exinde Magnificentia tua cõuenire neglexerit, an ipse noluerit iussioni tuæ parêre. Postquã nos propter hoc tibi nostra scripta transmisimus, idem Comes duriùs est eandem Ecclesiam insecutus, & nunc per se, nunc per eos qui sub eius ditione consistunt, Fratres inibi ad Dei seruitium commorantes & terrere minis, & fatigare iniuriis non desistit. Sanè omni nostra commonitione cessante tam illi, quàm vniuersis Ecclesiis, quæ in terra tibi à Deo commissa consistunt, deberes esse præsidio, & à prauorum incursibus, maximè autem eorum qui tuis præceptionibus acquiescunt, eas studiosiùs defensare. Nunc autem petitionibus & precibus nostris adhibitis Ecclesiam ipsam non videmus ab eius inquietationibus liberatam. Quocirca Magnificentiam tuam Apostolicis literis & precibus ammonemus, quatinus sicut de nostra dilectione confidis, ita eundem Comitem ab infestatione Vizeliac. Ecclesiæ, ac bonorum eius districtè cohibeas, & homines suos eum facias attentiùs commonere. Porrò si aliquid sibi aduersus ipsam Ecclesiam aut res eius credit iustè competere, Nos ad quos prouisio & regimen Ecclesiæ eiusdem specia liter pertinet, e si postulauerit æquitate media per nos aut delegatos Iudices curabimus exhibere.

IDEM EPISCOPO LINGONENSI.

Epist. 20. Officijs abdicet qui cum excommunicatis cõuersati sũt.

Ex parte dilecti Filij nostri PONTII Vizeliac. Abbatis aduersus Archipresbyterum de Aualone, R. de Domiciaco, & I. de Chora Presbyteros grauem querelam accepimus, quòd excommunicatis hominibus de Vizeliaco scienter communicare, & diuina officia celebrare ausu temerario

præſumpſerunt. Quia igitur tam grauem exceſſum irrequiſitum & impunitum prætermittere non debemus, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus cauſam ipſam diligenter inquiras, & ſi rem ita inueneris, prædictum Archipreſbyterum, & alios Preſbyteros ab officijs ſuis ſuſpenſos ad noſtram præſentiam mittas, literas verò quas Epiſcopo Eduenſi mittimus, per tuum certum & ſecurum Nuntium eidem facias præſentari.

IDEM ABBATI CLVNIACENSI.

Epiſt. 21. Vt ſoletur Abbatem Pontium exulem.

In maximis vexationibus & anguſtijs poſito dilecto filio Pontio Vizeliac. Abbati carnali germano tuo abſque hortatu & commonitione noſtra fraterna debes compati caritate, & eius exulationem benignis ſolatijs & opportunis debes conſolationibus releuare. Quocirca quoniam debitæ caritatis officium exigit, vt Fratres noſtros tanquam nosipſos in Domino diligamus, & eorum neceſſitatibus fraterno prouideamus affectu, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus Siluiniacenſe Cœnobium, quouſque ipſa exulatio ei durauerit, etiam pro B. Petri & noſtri reuerentia ſibi concedas.

IDEM ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

Epiſt. 22. Litem de Eccleſia S. Machuti ſoluat.

Dilectorvm filiorum noſtrorum Pontij Abbatis & Fratrum Vizeliac. Monaſterij aduerſus venerabilem Fratrem noſtrum M. Aurelian. Epiſcopum querelam accepimus, quòd eis Eccleſiam S. Machuti, quam prædeceſſor ſuus eis donauit, & ſcripti ſui auctoritate firmauit, contra iuſtitiam auferat, & per violentiam detineat occupatam. Quia ergo de tuæ diſcretionis prudentia valde confidimus per præſentia ſcripta Fraternitati tuæ mandamus, quatinus congruo loco & tempore vtraque parte ante tuam præſentiam euocata, causâ ipsâ diligenter auditâ & cognitâ, iuſtitia eam mediante diffinias. Datum Ferentini VII. Kal. Februarij.

Digitized by Google

EVGENIVS M. AVRELIANENSI EPISCOPO.

Epist. 13. Eandem Ecclesiam Episc. Aurel. restituat vel ius dicat coram Arch. Senon.

EX conquestione dilectorum Filiorum nostrorum PONTII Abbatis & Fratrum Vizeli. Monasterij nuper accepimus, quod Ecclesiam S. Machutj, quam He. prædecessor tuus eis donauit, & scripti sui auctoritate firmauit, contra iustitiam eis abstuleris, & per violentiam detineas occupatam. Quia ergo Monasterium ipsum B. Petri iuris existit, & in sua ei deesse iustitia non possumus nec debemus; per præsentia tibi scripta mandamus, quatinus si eorum querimonia veritate innititur, aut Ecclesiam ipsam memorato Abbatj & Fratribus eius in pace restituas, aut in præsentia venerabilis Fratris nostri Hu. Senonensis Archiepicopi exinde iustitiam facias. Datum Ferentini VII. Kal. Februarij.

EVGENIVS ABBATI DE CHORA.

Epist. 14. Abbas de Chora decimam &c. usurpauit Vizeliac.

VENIENS ad nos dilectus filius noster Pontius Vizeliac. Abbas contra te nobis conquestus, est, quòd quandam decimam & parrochialia iura villæ ipsius de Prisliaco per violentiam ei abstuleris; & iniustè detineas. Questus est etiam quòd Burgensibus eius G. & Vv. de Vizeliac. pecuniam quam tibi mutuasse dicuntur, eis contra rationem restituere contradicas. Quia igitur omnibus in sua iustitia debitores existimus, per præsentia tibi scripta mandamus, quatinus in præsentia dilecti filij nostri S. Riniacensis Abbatis super his dilecto Filio nostro Vizel. Abbati iustitiam facias. Cùm ergo ab eodem filio nostro Riniac. Abbate propter hoc fueris euocatus, eius præsentiam adeas, & quod exinde inter vos iudicauerit, suscipias & obserues. Datum Signiæ V. Kal. Febr.

EVG. S. ABBATI DE REGNIACO.

Epist. 15. Arbiter cõstituitur Abbas Re-

CONTROVERSIAM quæ inter Filios nostros Pontium Vizeliac. & G. de Chora Abbates super decima & parro-

gniaci in causa decimæ &c.

chiali iure cuiusdam villæ ipsius Vizelia. Abbatis, & quadam pecunia, quam idem Abbas de Chora à quibusdam Burgensibus G. & Vv. de Vizeliaco mutuò dicitur suscepisse, agitari dinoscitur, discretioni tuæ audiendam terminandámque commisimus. Per præsentia itaque scripta tibi mandamus, quatinus congruo loco & tempore vtramque partem ante tuam præsentiam euoces, & rationibus vtrimque diligenter auditis, & plenariè cognitis, causam ipsam iustitiæ mediante decidas. Datum Signiæ V. Kal. Feb.

EVGENIVS I. COMITISSÆ NIVERNENSI.

Epist. 26. Vizeliacenses exagitari desinat.

GVILLELMVS Comes bonæ memoriæ in præsentia Venerab. Fratris nostri Hugonis Altissiod. & dilecti filij nostri Benardi Abbatis Clareual. dicitur promisisse, quòd mercatores & cæteros Vizeliacum ire volentes neque ipse, neque suæ terræ homines prohiberent; nunc verò, sicut dilecti filij nostri Pontij Vizel. Abbatis relatione accepimus, ire illuc volentes per te & per tuos homines prohibes & infestas. Ideóque Nobilitati tuæ per præsentia scripta mandamus, quatinus inhumanitatem hanc facere de cætero non præsumas. Quòd si facere præsumpseris, timendum tibi est ne indignationem omnipotentis Dei, B. Mariæ precibus, quæ multùm dilexit Dominum, consequaris. DATVM Remis III. Non. April.

Epist. S. Bernar. Eiusdem argumenti.

DILECTÆ in Christo filiæ I. Niuernensi Comitissæ Frater BERNARDVS Clareuallens. vocatus Abbas, Salutem & orationes. Conqueritur venerabilis Abbas Vizel. quod vos & clientes vestri mercatores & cæteros Vizeliacum volentes ire prohibetis, quod quia Guillelmus Comes bonæ memoriæ, & filius eius in præsentia Domini Altissiod. & nostra penitus refutauit tanquam impium & iniquum, monemus & rogamus, ne id deinceps vllomodo faciatis. Timemus enim si talia facere cœperitis, ne fortè & vobis hîc, & viro vestro vbi ipse est, plurimùm possint obesse; quod omnino nollemus. Credite ergo nobis, & omninò desistite à malitia hac.

Digitized by Google

CONO Dei gratia Prænestinus Episcopus, Apostolicæ sedis legatus, H. Niuernensi Episcopo venerabili & dilecto Fratri, Salutem & fraternam in Christo dilectionem. Quæ postquam à nobis discessistis, apud nos gesta sunt dilectioni vestræ innotescere volumus. Die ipsa qua ab inuicē discessimus cum Electo nostro duce misericordia Dei ad partes Lugdunensium properauimus. Antequam autem Lugdunum perueniremus, Domnus Lugdunen. Archiepiscopus electioni nostræ assensit, & Lugduni subscripsit. Ibi facta processione solemni Dominum Papam CALLISTVM & nos honorificè susceptit. Nam & Engolismensis Episcopus antequam à nobis discederet, subscripserat, & Domino Papæ humiliter se subdiderat. Inde venimus Viennam, vbi in Dominica Quinquagesimæ Dominus Papa coronatus est. Cùm autem ab illo digressi Vizeliacum veniissemus, cōperimus rumorem eum verum, quem fama vulgante tristes acceperamus. Tristes, inquam, tum pro Ecclesia Vizel. in cuius læsione læsa est Romana mater Ecclesia (specialis enim eius filia est) tum pro ipso Niuern. Comite, quem satis dilexi-mus, cuius clientela portas Vizelia. claustri fregit & dirupit, SS. Lazari & Marthæ sororis eius, & SS. Andeoli atque Pontiani Martyrum corpora, crucem quoque in qua de ligno Domini habetur, iactis lapidibus exornauerunt Monachos verberauerunt, & lapidibus percussērūt, & quendam ex ipsis ceperunt, & iniectis manibus sub habitu Monachi dehonestauerunt. Pro quibus omnibus vos monemus, & Apostolica auctoritate præcipimus, vt ipsum Comitem ex parte nostra conueniatis, & ad emendationem tanti sacrilegij eum venire moneatis. Quòd si dixerit non se interfuisse huic flagitio; de consensu eum arguite, quia scilicet cùm eadem die Vizeliacum ipse veniisset, & omnes sacrilegos qui flagitium commiserant ibi inueniisset, neque spontaneus neque monitus ab Abbate sub testimonio multorum de suis hominibus iustitiam vel honorem, vel satisfactionem Ecclesiæ Vizel. facere voluit. Quamobrem timeat sententiam Lucij Papæ sanctissimi, quæ talis est ad Episcopos Gallos & Hispanos inter alia in primo decretali suo: Res Ecclesiarum vestrarum, & oblationes fidelium quas significastis à quibus-

Cononis A. S. L. De inauguratione Calliſti pp. 2. agit. Deinde Comitem atque eius Satellites ob sacrilegia in Vizel. Eccleſ. commiſſa excōmunicatos declarat.

Digitized by Google

dam irruentibus vexari, vobísque & Ecclesijs vestris inferri, inhabitanter maximum est peccatum, testante scriptura quæ ait: *Qui abstulerit patri vel matri aliquid, & dicit hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est.* Pater ergo noster sine dubio Deus est, qui nos creauit; & mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter generauit. Hæc fieri Prophetæ, hæc Apostoli, hæc successores eorum, & omnium catholicorum Patrum vetant decreta, & tales præsumptiones sacrilegia esse diiudicantur: quorum nos sequentes exempla omnes tales præsumptores, & Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores vnà vobiscum à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizatos Apostolica auctoritate pellimus, & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus, & non solum eos, sed omnes consentientes eis, quia non solùm qui faciunt rei iudicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit. Item Symmachus Papa aduersus peruasores Ecclesiarum: Generaliter quicunque res Ecclesiasticas confiscare, aut competere, aut peruadere periculosa aut sæua infestatione præsumpserit, nisi se citissimè per Ecclesiæ de qua agitur satisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur. Similiter & hi qui Ecclesiæ ius vel largitione Principum vel quorumdam Potentum, aut quadam inuasione, aut tyrannica potestate retinuerint, & filijs vel hæredibus suis, vt à quibusdam iam factum audiuimus, quasi hæreditarias reliquerint, nisi citò res Dei, admoniti à Pontifice agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Iniquum esse enim censemus, vt potiùs custodes cartarum quàm defensores rerum creditarum, vt præceptum est, iudicemur.

Quòd si Comes ipse priuilegia Ecclesiæ Vizel. contemnit, audiat Anacletum Papam à B. Petro tertium: Priuilegia Ecclesiarum & Sacerdotum Sancti Apostoli iussu Saluatoris eius decreuerunt manere temporibus. Et in legibus seculi cautum habetur: Si Ecclesiæ venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint temeritate violata, vel assimulatione neglecta, commissum hoc in triplo, iuxta legum sanctionem, Ecclesiæ cui factum est componatur, nobísque ban-

Digitized by Google

nus noſter intriploperſoluatur. Item in alio loco: Nullius autem ſacræ res& religioſæ & ſanctæ : quod enim diuini iuris eſt, nullius in bonis eſt. Item aduerſus eos qui portas fregerunt, ait Iuſtinianus : Sanctæ quoque res veluti muri & portæ quodammodo diuini iuris ſunt, & ideo nullius in bonis ſunt. Ideo autem muros ſanctos dicimus, quia pœna capitis conſtituta ſit in eos qui aliquid in muros deliquerint. Nolumus autem, Frater cariſſime, exaggerare quod geſtum eſt, ne cogamur iudicare quod dignum eſt, ſed volumus vt annunties eidem Comiti, vt de perpetratis ſacrilegijs nobis in manu noſtra ſatisfactionem ab hominibus ſuis quorum nomina ſubſcribentur, fieri faciat vſque ad mediantem Quadrageſimam, & in futuro ab inquietatione Eccleſiæ deſiſtat: quia niſi obedierit, nos ſequentes Sanctorũ ſupraſcriptorũ ſententias,anathematis gladio tamipſum,quàm terram eius, licet inuiti , poſt tranſactum quem præfiximus terminum, feriemus.Hæc ſunt nomina illorum qui in ſacrilegio illo manus commiſiſſe viſi ſunt: Rainaldus Præpoſitus de Moncellis, & frater eius Nicolaus, Guillelmus Mariſcalcus , Paganus Buticularius , Petrus Panetarius , Odo Camarlancus, Petiz de Moncellis; Theobaudus Cocus, Guillel. Præpoſitus de Cerciaco, Croſlebos, Renaldus nepos Mainfredi de porta , Beraldus de Moncellis , duo filij Aimberti de Moncellis, Ioannes Deli, Tardet de Moncellis , Seguinus de Moncellis, Guichardus frater Galterij Buticularij Burgenſis de Moncellis, qui cognomine ita vocatur, Gaudricus de Climiciaco cum ſeptem ſocijs, & multi alij quos donec nominatim nominemus ſuis conſcientijs puniendos relinquimus ; ſi non dignè ſatisfactionem fecerint.

Epiſt. 1. Burgenſes Vizeliac. excommunicatos degere in ſuis terris non finant, immo & expoliari & capi faciãt.

Anastasivs Epiſcopus S. SS. Dei, Venerabilibus Fratribus Hug. Senonenſi Archiepiſcopo, G. Lingon. T. Paris. & He. Trec. Epiſcopis , Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ad notitiam veſtram iamdiu credimus peruenisſe, quòd pro immanitate crudelitatis & barbaricâ tyrannide, quam periurj & proditores Burgenſes de Vizel. in Dominum ſuum dilectum Filium noſtrum Pontium Abbatem Vizeli. & in ipſum Monaſterium exercuerunt, & adhuc non deſinunt exercere, à corpore Chriſtj, quod eſt Eccleſia, qua-

ſi membra putrida mandato ſanctæ recordationis Eugenij Papæ ſint gladio diuini verbi præciſi: quod ipſi pro nihilo reputantes, ac ſi aduerſus Dominum ſe fallaci potentia exiſtiment præualere, adhuc in ſua nequitia contumaciter, non impunè tamen, perdurant; putantes forſitan quod Apoſtolicæ Sedis patrocinium aliquando eidem Eccleſiæ ſubtrahatur. Nos igitur eorum iniquitatem diſtrictè penſantes, in ira tamen noſtra miſericordiam continentes, manus noſtras ſuper eos ad præſens non plus duximus aggrauare; per præſentia vobis ſcripta mandantes, quatinus Burgenſes tanquam periuros proditores & excommunicatos in nundinis & mercatis parrochiarum veſtrarum recipi omninò prohibeatis: immo à quibuſcunque parrochianorum veſtrorum poterunt inueniri, capi & rebus ſuis præcipiatis penitus ſpoliari.

Epiſt. 2. Eiuſdem argumenti.

ANASTASIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilectis Filiis nobilibus viris O. Ducj Burgund. He. Comiti, A. de Borbone, Guillelmo Comiti Cabilonenſi, R. fratri Ducis, R. Comiti de Iouiniaco, G. de Donziaco, R. de Rubeo Monte, D. de Luziaco, A. de Monte Regali, S. Vicecomitj Senon. & filijs eius G. & B. G. Vicecomiti Caſtrilandonis, G. de Vergiaco, O. de Tilio, Hu. de Monte ſancti Ioannis; Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad notitiam veſtram *&c. vt ſuperiùs.*

ANASTASIVS P. Bituricenſi Archiepiſcopo.

Epiſt. 3. In Comitem Niuer. niſi reſipiſcat, damna Vizel. illata reſarciendo, proferat ſententiam.

IMMANEM crudelitatem & barbaricam ſæuitiam quam Niuernenſis Comes in Vizeliac. Monaſterium, ac ſi contra Dominum aduerſus ſponſam ſuam ſacroſanctam Eccleſiam eius potentia debeat præualere, adhuc exercere non deſinit, tua Fraternitas, vt credimus, pro ſua ſaltem magnitudine recognoſcit: contra quam cùm prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis Eugenius Papa, Apoſtolicæ ſedis antidota præparaſſet, & voluiſſet eum corripere, à tanto morbo ſanarj non meruit, quoniam pertranſiit in affectum cordis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eius, vt, iuxta verbum propheticum, videns non videat, & intelligens quæ Dei ſunt nequaquam

Digitized by Google

quaquam intelligat. Nos igitur qui diuina diſpenſante clementia memorato prædeceſſori noſtro in ſede Apoſtolatus ſucceſſimus ; quoniam præfatum Vizel. Monaſterium tanquam B. Petri alodium cogimur defenſare , & prædicti Comitis ac omnium Chriſtianorum ſalutem paterna caritate ſitimus , atque de tuæ Fraternitatis prudentia & honeſtate fiduciam non modicam obtinemus , per præſentia ſcripta Caritati tuæ mandamus, quatinus remota dilatione diſtrictè commoneas , vt damna quæ ipſi Monaſterio intulit, cum integritate reſarciat , & locum ipſum in pace ac libertate ſua dimittat. Eidem etiam Comiti ex parte noſtra denuntia ne pro exhibenda iuſtitia alicui ſuorum hominum Abbatem Vizel. ad ſuam præſentiam venire compellat , niſi priùs in eiuſdem Abbatis Curia cognoſcatur alicui ſuorum hominum iuſtitiam denegaſſe. Quod ſi infra XXX. dies poſt tuam commonitionem , quæ ſupra diximus , neglexerit adimplere , ad locum vnde in auribus ipſius de facili valeat reſonare cum Religioſis , & prudentibus viris accedas , & populi cœtu in Eccleſia congregato, accenſis candelis in perſonam eius & perfidorum Burgenſium de Vizeliaco ſolemniter auctoritate Apoſtolica excommunicationis ſententiã abſque omni appellationis remedio proferas , vt præter baptiſma paruulorum & morientium pœnitentiam in omnibus terris eiuſdem Comitis omnia diuina officia prohibeas celebrari Adiicientes etiam tibi mandamus , vt ſententiam ipſam Venerabilibus Fratribus noſtris Hu. Senonenſi Archiepiſcopo , G. Niuer. Epiſcopo , G. Lingon. He. Eduenſi , He. Trecenſi , & A. Altiſſiod. Epiſcopis per tuas literas ex parte noſtra firmiter denunties obſeruandam. Nos ſiquidem per Apoſtolica eis ſcripta mandauimus , vt eandem ſententiam poſt tuam denuntiacionem per ſuas parochias inuiolabiliter faciant obſeruari: literas verò quas prædictis Fratribus noſtris Ling. Eduenſi , Niuern. Altiſſ. Epiſcopis miſimus, per tuos eis Nuncios facias præſentarj.

ANASTASIVS LVDOVICO REGI.

Epiſt. 4. Scribit vt Niuernenſ.

QVONIAM iam à retroactis temporibus de tua Regia ma-

Comitem coerceat à perſequendis Vizel. & Burgenſes comprehendi iubeat.

gnificentia Nobis & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ bona ſunt plurima nuntiata, Nobilitatem tuam tam hi qui in Apoſtolatus officio præceſſerunt, quàm nos per omnia dileximus; & qui adhuc ex diuina voluntate ſumus ſuperſtites, diligimus & honorem tuum in quibus ſecundum Deum poſſumus, cupimus augmentari. Eapropter, Cariſſime in Chriſto Fili, quemadmodum prædeceſſor noſter ſanctæ memoriæ E. Papa, ita & nos pro Vizeliac. Monaſterio Apoſtolica tibi ſcripta dirigimus; mandantes, & in Domino commonentes, vt Niuernenſem Comitem, qui feritate barbarica ſæuire aduerſus præfatum Monaſterium non deſiſtit, diſtrictè commoneas, vt memorato Monaſterio damna quæ intuliſſe dinoſcitur in integrum ſtudeat emendare, & locum ſuum in pace ac libertate ſua dimittat. Si verò aliquam iuſtitiam in eodem Monaſterio ſe habere confidit, ſuam poſtmodum mandato noſtro poterit obtinere iuſtitiã. Quòd ſi in ſua pertinacia induratus hæc effectui mancipare contẽpſerit, nos in perſonam eius & Burgenſium Vizel. excommunicationis ſententiam ſine appellationis remedio præcipimus promulgari, & in tota terra ipſius, præter baptiſma paruulorum & morientium pœnitentias, omnia diuina officia penitus prohiberi. Quocirca per præſentium latorem tibi mandamus, quatinus ex tunc ab eo tanquam excommunicato abſtineas, & Burgenſes ipſos ab omnibus feriis regni tui ſub banno tuo penitus prohibens, à quibuſcunque inuenirj poterint, capi, & rebus ſuis ſpoliari ſicut periuros & Eccleſiæ turbatores iuſtitiæ zelo præcipias. Prætereà nihilominus induſtriæ tuæ mandamus, quatinus præfatum Monaſterium Vizeliac. pro alicuius falſa ſuggeſtione nullatenus aggraues, immò pro B. Petri & noſtri reuerentia, ipſum tanquam eiuſdem Principis Apoſtolorum patrimonium ab omni hoſte ſtudeas defenſare. Ad hæc deuotionem tuam nullatenus latere volumus, quòd nos dilecto Filio noſtro Vizel. Abbati dedimus in mandatis, vt memorato Comiti in Monaſterio noſtro nullam prorſus conceſſionem facere audeat. Valete.

Epiſt. 5. Sententiã excommunicationis edicãt in

ANASTASIVS Epiſcopis Galliæ. Quando peccata, in quibus culpa eſt relaxare vindictam, ab aliquibus ſuggerente diabolo committuntur, tanta eſt eis imponenda correp.

Digitized by Google

tio, vt ipſi, pœna docente, cognoſcant, quàm graue fuerit quod patrarunt, & cæteros à ſimilibus præſumptionibus Eccleſiaſticæ correptionis timor inhibeat. Inde ſiquidem eſt, qùod prædeceſſor noſter beatæ memoriæ Eugenius Papa per Apoſtolica ſcripta tibi, Frater Epiſcope Lingonenſis, mandauit quatinus Niuernenſem Comitem ſuper immanitate tyrannidis, quam in Vizeli. Monaſterio, quod vtique B. Petri iuris exiſtit, feritate barbarica exercuerat, vt reſipiſceret diſtrictiùs commoneres, & ſi à tanta nequitia nollet deſiſtere, in eum & in Burgenſes Vizeliacj excommunicationis, & in terris ipſius Comitis interdicti ſententiam promulgares. Sed ſicut audiuimus quibuſdam occaſionibus mandatum ipſius, vnde non modicum ammiramur, nondum eſt ex toto completum, & ideo nos qui diuinâ diſponente clementia in officio ei Apoſtolatus ſucceſſimus, quoniam præfatum Monaſterium tanquam ſpeciale patrimonium B. Petri cogimur defenſare memorati prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, venerabili Fratri noſtro P. Bituricenſi Archiepiſcopo dedimus in mandatis, vt niſi præfatus Comes ab eo cõmonitus damna, quæ ipſi Monaſterio intulit, in integrum emendauerit, ac locum ipſum in pace ac libertate ſua dimiſerit, tam ipſum Comitem, quàm Burgenſes Vizelia. qui tantæ nequitiæ factores exiſtunt, excommunicationi auctoritate noſtra ſubiiciat, & in tota terra eius, præter baptiſma paruulorum & morientium pœnitentias, omnia diuina prohibeat celebrarj. Præſentium vobis itaque auctoritate mandamus, quatinus & ſententiam ipſam, poſtquam vobis ab eodem Fratre denuntiata fuerit, firmiter obſeruetis, & per veſtras parochias obſeruari inuiolabiliter faciatis. Datum Lateranj VIII. Kal. Ianuarij.

Comitem Niuern. & Burgenſes Vizeliac.

ANASTASIVS PONTIO Abbatj Vizeliacenſi. Super contritione, perſecutione atque anguſtia, quam pro commiſſa tibi Eccleſia & pro iuſtitia pateris, deuotioni tuæ paterno affectu compatimur, & in quibus ſecundum Deum poſſumus grata tibi volumus ſubſidia miniſtrare. Inde eſt quòd iuxta votum & petitionẽ tuam literas noſtras tam Archiepiſcopis quàm Epiſcopis Regni Francorũ, & Regi, Comitibus, atque Baronibus, quemadmodum tua deuotio requirebat,

Iura ſui Monaſterij fortiter propugnet, exhortatur.

Digitized by Google

ſtuduimus deſtinare, quarum continentiam ex tranſcriptis poteris euidenter agnoſcere. Si ergo, Dilecte in Chriſto Fili, tu pro domo Iſrael tribulationibus ſubiaces, debes ſperare quòd dabit Dominus de tribulatione auxilium, & in ipſius miſericordia confidentes de omni preſſura eripiet, & ad portum quietis gratia ſua perducet. Age ergo, Fili, & murum tutiſſimum te pro Eccleſia tua ſicuti hactenus, ita & deinceps non pigriteris opponere, immò contra eos qui fidem penitus abnegarunt, quos etiam excommunicationis vinculo præcepimus innodari, viriliter ſtudeas dimicare, & donec excommunicati fuerint, ſi te ſuper aliquo in ius forſitan voluerint euocare, nobis inconſultis nullatenus eis reſpondeas. Adiicientes etiam tibi mandamus, & auctoritate Apoſtolica inhibemus, vt in Eccleſia noſtra de Vizel. quæ proprium alodium B. Petri eſſe dinoſcitur, nullam conceſſionem niſi ex mandato noſtro Comiti Niuern. facere audeas. Datum Laterani VIII. Kal. Ianu.

Quid facto opus habeat in defenſione iurium Vizel. ſcribit.

DOMNO PONTIO Abbati Vizel. Frater M. Floriacenſis Abbas; Pacem quæ euangelizatur hominibus bonæ voluntatis. Literis veſtris lectis, earúmque tenore diligentius retractato, quod mihi conſultius viſum eſt, Dilectioni veſtræ reſcribo. Pax veſtra ſi venalis vobis proponeretur, quæ vos & à tantæ tribulationis angaria leuaret, veſtroſque aduerſarios humiliaret & vnanimes exhilararet, carò valde emenda videretur, dummodo Eccleſia veſtra ſtatus ſui rectitudinem & libertatis priuilegia illibata ſeruaret. Porro fratrem veſtrum ſic habere ſuſpectum, vt cùm ſe Comes ei ex toto committat, vos eius arbitrium declinetis, durum valde videtur. Libratis itaque hinc inde cauſis, quæ vtiliùs iudicamus, dicimus, vt expectetis Legatos, quos ad Dominum Papam direxiſtis, & cùm venerint, reſponſum Domini Papæ, & priuilegia Eccleſiæ veſtræ Domno Abbati oſtendite, & tunc demum negotium veſtrum eius arbitrio fideliter committite. Neque enim credimus aut priuilegiis veſtris aut præceptis Domini Papæ contraria & repugnantia iudicare.

Clementiã promittit ac tutelam.

LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex & Dux Aquitanorum, Venerando Pontio Abbati Vizel. Salutem & gratiam noſtram. Non decet Regem aſperitas nimia, & in ve-

Digitized by Google

ritate ſupplicanti non eſt neganda venia. Intelligimus prece veſtra fidelem noſtrum Arc. de Burbone, & eius coniugem noſtram Materteram, pro vobis nos deprecari. Quibus nos obaudientes pro honore Dei & Eccleſiæ veſtræ ſanctitate & pro noſtra honeſtate, quicquid offenſæ aduersùm vos habemus, omninò laxamus, & totius rancoris nubilum abſtergimus, & vos de cætero in gratiam, & res ad vos pertinentes in tutelam regiam benignè ſuſcipimus.

ADRIANVS Epiſcopus S. SS. Dei, Venerabilibus Fratribus Lingonenſi, Eduenſi, Niuernenſi, Altiſſiodorenſi Epiſcopis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Tantùm iam malitia Niuern. Comitis quòd veſtra Fraternitas non ignorat, aduersùs ſpecialē ſedis Apoſtolicæ filiam Vizel. Eccleſiā excreuit, vt culpa nimia proculdubio eſſe videatur, ſi malitia eius maneat impunita. Præter illa ſiquidem mala, quæ iampridem ei & inſtigando Burgenſes ad perſecutionem eius, & diuerſis alijs modis auſu temerario irrogauit, in villa Vizel. nuper milites ſuos & homines inimicorum ſuorum conſtituit, & dominium pro voluntate ſua in eadem villa contra ius anteceſſorū ſuorū vſurpat. Burgenſes etiā contra dilectum filium noſtrum Pontium Vizel. Abbatem in ſua conſpiratione ac periurio fouere præſumit. Sanè fœlicis memoriæ Papa Eugenius anteceſſor noſter, afflictionibus & anguſtijs illius Eccleſiæ affectione paterna compatiens, & in malitiam antedicti Comitis feruore debito inardeſcens, à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, diuini eum verbi falce præcidit, & in terra ipſius diuina interdixit celebrari officia. Quoniam igitur idem Comes ita datus eſt in reprobum ſenſum, ita oculos mentis ab intuitu æternæ damnationis auertit, vt nec flagellatus etiam à ſua potuerit malitia cohiberi; per præſentia vobis ſcripta præcipiendo mandamus quatinus eum diſtrictiùs moneatis, quatinus cuſtodes ſuos de villa Vizel. remoueat, mala quæ Eccleſiæ irrogauit, emendet, cartam compoſitionis contra priuilegia prædeceſſorum noſtrorum, & Eccleſiæ libertatem elicitam antedicto Abbati reſtituat, & Burgenſibus contra eum in ſua conſpiratione nullum præbeat auxilium vel fauorem, & iureiurando promittat ſe communiæ ipſi nullas vires vlteriùs præbiturum. Si verò in-

Epiſt. 1. Reddat Comes charram in iura Vizel. Eccleſiæ confectam, abſtineatque à vexatione, alioquin excōmunicetur &c.

Digitized by Google

fra XXX. dies poſt cõmonitionem veſtram quæ prædicta ſunt; adimplere contempſerit, in perſonam eius excommunicationis, in terram verò interdicti ſententiam renouetis, & ab omnibus præcipiatis firmiter obſeruarj. Datum Sutrij XII. Kal. Iunij.

Epiſt. 2. Excommunicatione, ac variis pœnis afficiant, & Burgenſes Vizel.

ADRIANVS Epiſcopis Galliæ. Quanta nequitia Vizel. homines aduerſus Matrem & Dominam ſuam Vizeli. Eccleſiam conſpirauerint, & quàm aſperè in eam fuerint & in eius bona graſſati, ad notitiam Fraternitatis veſtræ deuenit, & nos nullatenus ignoramus. Sanè fœlicis memoriæ Papa Eugenius anteceſſor noſter, & illorum ſuperbiâ & Eccleſiæ afflictione permotus eoſdem ſacrilegos Eccleſiaſticæ diſtrictionis ſententia innodauit. Ipſi autem alienati & conuerſi retrorſum à ſua malitia minimè deſtiterunt, ſed tranſierunt in affectum cordis, & grauiora iugiter aduerſum matrem ſuã committere præſumpſerunt, facti ſicut illi de quibus ait propheta: *Percuſſiſti eos & non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam* Vt enim inpræſentiarum alia quæ ante hæc ab eis geſta ſunt cõtra Vizeli. Eccleſiam, taceamus, nuper facto impetu luſtrauerunt officinas Eccleſiæ, ruperunt vegetes, effuderunt vinum, diripuerunt omnia, & in ipſos etiam Monachos violentas manus extendere præſumpſerũt. Porro nos in omnibus his dolemus de miſeris illis hominibus qui in periurij, ſacrilegij, rapinæ ac peccatorum multorum foueam inciderunt: dolemus etiam quòd nullum veſtrum aſſumere iuſtitiæ clypeum & in eius auxilium exurgere intuemur: vſque adeò vt lugere valeamus, & dicere cum Propheta; *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris eius.* Quoniam igitur Nos ad quorum tutelam atque præſidium præfata Eccleſia ſpecialiter reſpicit, afflictiones ipſius diſſimulare nec poſſumus nec debemus. Per præſentia vobis ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus omni tepiditate ceſſante Burgenſes ipſos feſtinetis diſtrictiùs admonere, vt antedicto Abbati & eius Fratribus ablata reſtituant, irrogata damna reſarciant, de illatis iniuriis competentem ſatiſfactionem exhibeant, & ad fidelitatem & dominium Eccleſiæ reuertantur. Si verò ſine dilatione aliqua poſt commonitionem veſtram quæ prædiximus adimplere cõtempſerint, omnes illos

Digitized by Google

qui nequitiæ huius auctores exiſtunt, & quos præfatus Abbas vobis annunciauerit, ſine appellationis remedio excommunicetis, & ad quemcunque locum per Epiſcopatus veſtros aliquis Burgenſium ipſorum deuenerit, donec præſens fuerit, diuina ibi prohibeatis officia celebrari, & ſi aliquem eorum mori contigerit, Chriſtianorum careat ſepultura. Ne autem corporalem quoque pœnam effugiant, omnibus parrochianis veſtris diſtrictius iniungatis, vt in nundinis ſuis eos nequaquam admittant, & nullam cum eis ſocietatem, vel in mercibus, vel in aliis rebus habere præſumant, ſed ſicut excommunicatos eos euitent, & vbicunque inuenerint, capiant, & amore iuſtitiæ bonis ſuis non deſinant ſpoliare: vt inuiti ſaltem cogantur ad ſubiectionem & fidelitatem Domini ſui redire. Nouis ſiquidem morbis noua conuenit antidota præparari. Datum Sutrij XII. Kal. Iunij.

ADRIANVS LVDOVICO REGI.

Epiſt. 3.

Rex armata manu Burgenſes Vizeliac. inſequatur, vt Abbati tanquam Domino ſubdantur.

DE Religioſorum virorum præſidio, & veneratione ſacrorum locorum non oportet longis te ſermonibus admonere: ſatis enim ad hoc animum tuum cõmonitione ceſſante, ignis ille, quem Dominus venit mittere in terram, accendit; ita vt inter vniuerſos Principes orbis nullus ſit qui ſuper hoc in conſpectu totius Eccleſiæ commendabilior habeatur. Sanè licet potentiæ tuæ præſidium ad omnes Eccleſias in regno tuo conſtitutas extendas, Vizeliacenſi tamen Eccleſiæ tanto te cupimus attentiùs exhibere, quantò & ad ius B. Petri ſpecialiùs pertinet, & ex perfidia ſuorum Burgenſium maiores moleſtias & preſſuras ſuſtinet. Nec enim ignorat tua prudentia qualiter ab aliquot annis aduerſus dilectum filium noſtrum Pontium Vizel. Abbatem fauore Niuernenſis Comitis conſpirati, diripere bona Eccleſiæ, & ipſum quoque Abbatem exinde expellere præſumpſerunt: vnde & à corpore Domini, quod eſt Eccleſia, fieri meruerunt extores. Nuper etiam in ipſam Eccleſiam facto impetu irrumpentes fregerunt portas, luſtrauerunt officinas, effuderunt vina, diripuerunt veſtes Monachorum, abſtuleruut ornamenta ſacrarij; & in ipſos etiam Monachos, & famulos do-

mus violentas manus ausu temerario extenderunt. Porro quoniam illorum nequitia Ecclesiastici seueritate iudicij necdum potuit coërceri, cohibitionem tuæ manus expectat, & vigore tuo indiget emendari, quòd sub æquitate censuræ canonicæ mansit hactenus incorrectum. Magnificentiam itaque tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, atque in peccatorum tibi remissionem iniungimus, quatinus iustitiæ zelo succensus, & afflictione supradicti Monasterij, ac nostris exhortationibus prouocatus in manu valida Vizeliacum accedas, & Burgenses abiurare communiam quam fecerunt, & ad fidelitatem atque subiectionem dilecti filij nostri Pontij Vizel. Abbatis tanquam Domini sui redire compellas; ablata etiam eos restituere, & irrogata damna facias resarcire, atque in illos, qui huius nequitiæ caput existunt, tantam vltionem exerceas, vt qui eis successerint consideratione vltionis eorum caput contra Dominum suum erigere, ac consimilem perfidiam in sanctuarium Domini committere non attentent. Datũ Sutrij XII. Kal. Iunij.

EIDEM

Epist. 4. Regem iterum, gratiis prius habitis, commonet, vt opem Abbati Vizel. ferat.

GRATVM & acceptum habemus & magnificentiam tuam de piarum rerum executione plurimùm commendamus, quoniam dilecto filio nostro Pontio Vizel. Abbati, sicut eius directa nobis relatio patefecit, amore Dei, & nostrarum reuerentiâ literarum iuxta regiæ dignitatis officium diligenter hactenus astitisti, & contra suos & Monasterij sui persecutores auxilium ei & consilium præbuisti. Vnde quoniam bonorum intentio ad salutaria opera tanto ampliùs dirigitur, quantò sæpiùs inde commonetur, Celsitudinem tuam per Apostolica scripta rogamus, & in peccatorum tibi remissionem iniungimus, quatinus pro Dei amore & pro B. Petri & nostra reuerentia, prædictũ Abbatem propensiùs diligas & honores, & vt Monasterium ipsum à dilecti filij nostri Niuernensis Comitis, & aliorum omnium infestatione defendas, vt Fratres inibi commorantes, pro tua & regni tui salute ad Dominum debeant iugiter intercedere, & nos Regiæ nobilitati tuæ gratias exoluere debeamus.

Digitized by Google

mus. Et quoniam Burgenſes Vizel. occaſione præſertim lapidearum domorum, quas munitas habent & eleuatas, aduersus antedictum filium noſtrũ Abbatẽ, & Vizel. Eccleſiã itaſuperbiunt, vt nec manere pro perſecutione illorum idem filius noſter poſſit in Monaſterio: Magnificentiam tuam rogamus, quatenus eaſdem domos ita facias dirui, vt Burgenſium ſuperbia retundatur, & Vizel. Eccleſia occaſione hac non debeat fatigari.

Epiſt. 5. Abbatem arguit quòd iura Monaſterii intregerit.

ADRIANVS Epiſcopus S. SS. Dei, Dilectis filijs Abbati & vniuerſis Fratribus Vizel. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantò Monaſterium veſtrum ad ius B. Petri ſpecialiùs dinoſcitur pertinere, tantò ad dirigendum & ampliandum ſtatum ipſius attentiùs nos conuenit laborare. Peruenit autem ad nos, dilecte in Domino fili Abbas, te tabulam nummulariorum contra tenorem priuilegiorum Apoſtolicæ Sedis Simoni de Siluiniaco in primordio tuæ prælationis, cum nondum tibi eorundem priuilegiorum tenor innotuiſſet, reclamantibus Fratribus tuis conceſſiſſe: vnde quia nec bona veſtri Monaſterij aliqua leuitate diminui, nec priuilegia prædeceſſorum noſtrorum patimur violari, per præſentia ſcripta vobis mandamus, quatenus ſi ita ſe res habet de tabula, illam ad manus veſtras & proprietatem Eccleſiæ velociter reuocetis, & quæ ad proprietatem Monaſterij pertinent, donare, vendere, vel quomodolibet alienare nullatenus præſumatis. Alioquin grauiter in vos noueritis vindicandum. Datum Beneuenti XI. Kal. Decembris.

HISTORIÆ VEZELIACENSIS

LIBER SECVNDVS.

DIVINÆ bonitatis gratia pluribus ac diuersis consulens modis humanæ infirmitati, inter cætera æquè innumera suorum beneficiorum remedia, homini contulit literarum præsidia, quo vel præsentium incitaretur industria, vel absentium prouocaretur affectus, vel futurorum erudiretur posteritas: & quoniam omnis prudentiæ inimica obliuio, rerum maximè vtilium quamsæpe intercipiebat memoriam, mos ab antiquitus inoleuit, Patrum monimẽta per literarum apices tanquam per visibiles sonos mandare posterorum notitiæ. Quem morem & nosquoque pro modulo nostro imitantes, pressoras Ecclesiæ nostræ, quas proingenita sibi libertate per multa temporum curricula multipliciter pertulit, breui compẽdio ad multorum vtilitatem describere sategimus. In quo dũ breuitatem sectamur, arrogantiæ supercíliũ omninò diffugimus; quoniam siiuxta quod ipsa deposcit materia, rerum perfectioni incumberemus, ipsa procul dubio periculi enormitate quodammodo fidei derogare videremur; dum quod historicæ integritati aliquatenus inseruiret, loquaci iactantiæ incredulus auditor deputaret. Vtrobique ergo prospicientes, sic medio tramite incedimus, vt & rerum constet cognitio integra, & falsitatis pateant penitus nulla vestigia. Sanè quamuis ad hæc minùs idoneos, minúsue sufficientes nos esse non ignoremùs; prouocamur tamen caritate Ecclesiæ, inuitamur etiam, immò vt ita dicam perurgemur obedientia Reuerentissimi Patris nostri PONTII Venerabilis Abbatis, qui & si quantùm ad prædecessores suos tempore videtur esse nouissimus, attamen in defensione libertatis Ecclesiæ suæ omnium antiquorum merito constat esse pri-

Quare hãc scribere historiam Auctor aggressus est.

Digitized by Google

mus. Illi enim licet vel acquirendo vel ædificando plura contulerint, certè plus illis omnibus iste laborauit, dum à diripientibus & euellere eam conantibus, saluam & integram atque illibatam viriliter custodiuit. Minùs quippe est habere quod custodias quàm custodire quod habeas. Sed iam propositum adordientes, de his hactenus.

Igitur cùm Vizeliacensis Ecclesia nobiliter nata, nobiliùs fuisset educata, ingenuæ libertatis caput inter omnes Occidentis Ecclesias præferebat: siquidem in ipso suæ fundationis primordio Beatissimo attitulata Petro regni Cœlorum Clauigero, soli & vni Apostolicæ illius Sedi nobiliter à nobilissimis auctoribus suis est assignata atque perpetuæ libertatis dote ab ipso tunc temporis summo & Apostolico Pontifice NICOLAO subarrata. Cuius successores ad hæc vsque tempora pietatis eius inhærétes vestigiis, auctoritate Apostolica & dignitate Romana suis priuilegiis eam corroborantes, acsi proprium ius & alodium B. Petri ab omni subiectione cuiuslibet alterius personæ vel Ecclesiæ immunem penitus esse decreuerunt. Ecclesiastica proinde officia, vti sunt sacri Ordines Monachorum vel Clericorum suorum, & Basilicarum seu altarium consecrationes, chrismatis vel sancti olei gratiam, & quæcunque alia huiusmodi, vbilibet & à quolibet cuiussuis prouinciæ Catholico Episcopo accipere, Romanorum priuilegiorum clementia atque libertate Apostolica indulgentes illi concesserunt. Tantis ergo & tam ingenuæ libertatis propalata præconiis inuidiosam faciem sodalibus exhibebat Ecclesiis. Vnde post annorum plura centena HVMBERTVS quidam Eduensi præsidens Ecclesiæ pulchritudini libertatis illius næuũ maculosæ seruitutis inferre molitus est. Quo tempore venerabilis PONTIVS regimen Vizel. Ecclesiæ obtinebat, PETRI Cluniacens. & IORDANI Casæ-Dei Abbatum frater vterinus, nobilis ergo genere nobilissimam sortitus Ecclesiam de more libertatis illius Aurelianensem Episcopum Heliam inuitauit, & vt sibi celebraret sacros Ordines humiliter petiuit. Qui perspectis Romanæ auctoritatis priuilegiis, deuotioni eius deuotiùs acquieuit, Monachorúmque nonnullos, ac Clericorum aliquos, in Basilica Vizel. Ecclesiæ ad sacros Ordines promo-

Quæ Vizel. Ecclesiæ Priuilegia.

Vide supra pag. 1. & seqq.

Humbertus Eduens. Episc. primus perturbare priuilegia tentat.

uit. Quo facto indignatus Eduenſis, quos adepti fuerant Ordines Clericis interdixit. Quam veſanam eius temeritatem corripiens bonæ memoriæ Innocentius tunc temporis Romanæ ſedis Apoſtolicus Pontifex, ſuſpenſos ab Eduenſi Clericos ſuis reddidit Ordinibus, & ne iura Rom. Eccleſiæ ampliùs temerare præſumeret, denuntiauit. Tum Eduenſis accepto guſtu Apoſtolicæ indignationis pœnituit cœpti; ſed cœpta diſſimulare puduit. Nec deſtitit Abbatem laceſſere donec ſuis ipſis fruſtratus conatibus, tandem in manu Cluniacenſis Abbatis, & aliarum honeſtarum perſonarum propoſitæ liti renunciauit, atque inter vtramque Eccleſiam per manum iam dicti venerabilis Pontii Abbatis, priſtinæ pacis ſtatum reformauit.

Henricus illius ſucceſſor, Ducis Burgundiæ germanus, icidē attentat.

Cum autem eſſet genere clariſſimus, morum honeſtate ac pietate decentiſſimus, Eccleſia Lugdunenſis Antiſtite ſuo deſtituta, Archipræſulem ſibi eum petebat, quo aſſumpto Eduenſem Epiſcopatum ſuſcepit HENRICVS, Ducis Burgundiæ germanus: nec mora, veteris diſcordiæ incentores hunc alloquuntur, & ſopitam calumniam ſuper Vizel. libertate renouare ſatagentes, cupidis auribus ingerunt. Ille autem confidens de potentia generis & diuitiarum quibus æquè pollebat, nouúmque aliquid tanquam ſingularis potentiæ homo facere prætentans, Vizel. Eccleſiam in ius proprium vindicare, & in diæceſim redigere, ac pro more aliarum Eccleſiarum ſuæ parochiæ ſubdere ſuiſque Synodis eam parere quæſiuit: Sed Deo protegente & Beata Deique dilectrice Maria Magdalene patrocinante, clauam de manu Herculis tollere non potuit: planè quantùm in eo fuit, nihil intentatum reliquit, quo ſibi vſurparet quod ſoli Petro ceſſiſſet. Cœca quippe cupiditas totum blanditur ſibi facilè, quod ipſo appetitu iam ſe ſperat obtinere. Prædictum itaque venerabilem Pontium Abbatem qui cauſam Eccleſiæ in ratione ſua acceperat, primum de Synodali executione; deinde de clericali ſeu ſacerdotali examinatione, poſtremò de ſacramentorum Eccleſiaſticorum ratione compellans, iuris juſtitiam ab eo depoſcebat. At ille tutorem Eccleſiæ non actionarium, immò Apoſtolicæ paternitatis, quantum ad Vizel. ius Eccleſiæ ſpectat, Vicarium ſe eſſe dicens, nihil

Digitized by

cauſæ cum eo ſe habiturum ſuper hac re inſcio Domino Papa reſpondit. Sic repulſus Epiſcopus vi extorquere voluit, quod ſurripere actionali proſecutione non potuit. Cœpit ergo Eccleſiam infeſtare, homines Eccleſiæ opprimere, poſſeſſiones quoque illius diripere, ac quicquid in ſe fuit poſſe, totum aduerſus Eccleſiam in detrimentum illius experiri. Arbitratus autem ſuum poſſe minùs eſſe ſufficiens ad præmeditatos perficiendum conatus, fratrem ſuum Ducem & alios etiam fratres ſuos in odium Eccleſiæ incitauit, & per eos quaſi potentatum totius Burgundiæ in ruinam & deiectionem Eccleſiæ appulit & impulit. Abbas verò nactus conſtantiam, patientia ſua omnes impetus illius ſpreuit, fregit, caſſauit, ac velut inanes & futiles adnihilauit.

His temporibus vniuerſali Eccleſiæ præſidebat EVGENIVS ſanctiſſimus, qui audita inſania, qua Eduenſis nitebatur adulterare caſtitatem ſuæ ſpecialis filiæ, Vizeliacenſis dico Eccleſiæ, ſæpe illum ammonuit, ſæpe corripuit, & intentando, niſi reſipiſceret, de gradus ſui periculo præmonuit. Iam ergo Eduenſis à ſpe propria fruſtratus, & diffidens de vanitate potentiæ ſuæ, Romanam adiit curiam, & falſa comminiſcens, verique ſimilia componens, querelam aduerſus Abbatem ſtatuit, afferens ea, quæ ab Vizel. Eccleſia repetebat, per longi temporis præſcriptionem hactenus ad hæc vſque tempora ſuæ Sedis Eccleſiam abſque alicuius controuerſiæ calumnia tenuiſſe. Clementiſſimus verò Papa Eugenius dignitati Apoſtolicæ autoritatis ſalua integritate veritatis per omnia conſulendo deferens, diem vtrique parti ſtatuit, & notatam Abbati deſignauit, vtque vel per ſe, vel per ſufficientes reſponſales ſuos cum munimentis Eccleſiæ ſuæ ad eius præſentiam denominato die occurreret, ad illata reſponſurus, per pietatis ſuæ ſcripta mandauit. Vterque igitur ſecum adhibito ſufficienti, & vt cuique videbatur, legitimo teſtium comitatu, vniuerſali ſe præſentauit Curiæ, finem quiſque ſuæ cauſæ ratus tanto ſub examine adepturum ſe fore. Interea iuſti tenax merito dicendus Abbas Pontius accedens ad ſummum Pontificem, conqueſtus eſt non debere ſe omnino ſubire actionem quamlibet, vel iudicium huiuſce rei cuius per Apoſtolicam manum & perpetua poſſeſſione

Coram Sũmo Pontif. de immuniratibus Vizel. controuertitur

rueretur, & eiuſdem Apoſtolicæ auctoritatis per plura & antiqua Rom. priuilegia teſtamento perpetuæ libertatis hæres eſſet conſtitutus. Ad quod pius refert Apoſtolicus, tantò æquiùs ac liberiùs eũ debere etiã iudicij examẽ expetere, quò ſuæ iuſtitiæ magis conſcius eſſet; ſciens proculdubio cauſam ſuam eò ſemper robuſtiorem fore, quò iudicij libramine perpenſa de cætero ab omni quæſtionis nodo redderetur abſoluta. Qui ſi etiam fortè, quod futurum non ſperabat poſſibile, inconſiderato præiudicio in cauſa ſua quoquomodo grauaretur, tum demum auctoritate priuilegiorũ cuiuſlibet præiudicij violentas determinationes refragari poſſe non dubitaret. Hac permotus ratione Abbas acquieſcit ſuſcipere actionem, & iam cauſam ſuam vtraque pars proſequitur; in qua proſequutione definitum eſt Eduenſem nihil ex proprietario iure, nihil ex inueſtitionis poſſeſſione, nihil vt ſibi videbatur ex longi temporis præſcriptione, nihil etiam ex fructuario ſeu legatario, ſed tantummodò largitionis, permiſſioniſue vſu, de more Vizeliacenſis libertatis quibuſlibet etiam cuiuſuis prouinciæ conceſſo Epiſcopis, efficere in quæſtione; cùm è diuerſo Vizeliacenſis Abbas nec longi temporis præſcriptionẽ, nec legatarium, ſiue alium quemlibet alienæ acquiſitionis vſum prætenderet, ſed omninò ex proprietario iure, & antiqua perpetuæ poſſeſſionis inueſtitione Vizel. Eccleſiam ſemper obtinuiſſe prædictam libertatem diceret; & hanc non libertina emancipatione ſibi collatam, immò ſibi innatam, & ſecum connatam fuiſſe, ſecúmque adoleuiſſe, atque ad hæc vſque tempora irrefragabiliter in ea perduraſſe ſufficienter peroraret. Cùm autem allegationes ſuas teſtibus vterque præmuniret, dictum eſt ex ſententia confeſſus, vt producti teſtes iuriſiurandi ſacramento teſtimonia ſua firmarent. Forma verò iuramenti huiuſmodj fuit, vt quam ſciret veritatem ſuper cauſa vtriuſque quiſque aperiret; falſitatem porro penitus reticeret. Sic per iuſiurandum obligatos Abbas produxit teſtes ſuos. Quorum teſtificationis modus talis eſt:

Decidit à cauſa Epiſcopus Eduenſ.

Teſtes Abbatis referunt quid de iuribus agnouerint.

GERARDVS Prior Albornenſis dixit: Antequam Monachus factus eſſem interfui Concilio quod tenuit Papa Paſchalis Guareſtallæ, & vidi quod ibidem benedixit Abbatem

Vizeliac. Renaldum. Pòſt Monachus Vizeliaci factus ſum, & idem Abbas miſit me Altiſſiodorum cum Petro Aribaldi Clerico, & alijs pluribus Monachis, Giberto, Achardo, Aimone, & recepi Ordines quatuor vſque ad Subdiaconatum, & Petrus Aribaldi ibi ordinatus eſt, ſed quem Ordinem acceperit, non reminiſcor. Alio tempore ab eodem Epiſcopo Vmbaldo Subdiaconus ordinatus ſum. Poſtmodum Epiſcopus Andegauenſis Romam pergens Virzeliaco Chriſma & ſanctum oleum confecit in maiore Eccleſia, & credo indubitanter Capellanos eiuſdem villæ illud ſanctum Chriſma & oleum recepiſſe; & idem Andegauenſis me Diaconum & alios Monachos, & quoſdam Clericos eiuſdem villæ alia vice ordinauit Vizeliaco; Sed Clericorum nomina non reminiſcor. Et idem Abbas miſit me & Ioannem Monachum ad Vgonẽ Niuern. Epiſcopum, qui nos Preſbyteros conſecrauit. Et cùm eſſem apud Sanctum Iacobum in Eſconio Obedientia Vizeliaci, vidi Guilelmum Barzelim Nuntium Renaldi Abbatis euntem Altiſſiodorum pro Chriſmate, & inde rediens cùm aliquantulum nocte quieſceret, Chriſma mihi commendauit; poſtmodùm ipſe idem à me reſumens Vizeliacum detulit. Alio tempore vidi Amicum de Vlmo ab eodem Abbate Renaldo ad eundem Hugonem Epiſcopum miſſum pro Chriſmate & redeuntem cum Chriſmate. Tempore eiuſdem Abbatis Renaldi quidam parochianus eius Stephanus Aicaphit Hieroſolymam iuit, & dum ibi moram faceret ſeptennio, vxor illius alij viro nupſit, poſtmodùm verò memoratus Stephanus rediens vxorem repetijt; quæ cùm ei negaretur, ante præſentiam Abbatis Renaldi eam conuenit, ibíque cauſa cognita iudicio & auctoritate Abbatis Renaldi ſuo viro reſtituta eſt, & aſſiſtente Petro Capellano S. Petri ſuperioris, adulter & adultera pœnitentiam ab Abbate ſuſceperunt.

HVGO Prior de Moreto iuratus dixit: Albanenſis Epiſcopus Matthæus ordinauit me Subdiaconem, & alios plures Monachos, Vizeliaci in Capella S. Laurentij, tempore Alberici Abbatis, Papa Innocentio exiſtente Altiſſiodoro, & vidi tempore eiuſdem Abbatis quòd Rothomagenſis Archiepiſcopus Hugo altare ſancti S. Egidij in maiori Eccleſia

conſecrauit, & vidi matrimonium Arduini & Siciliæ, vnde controuerſia erat, auctoritate & iudicio Vizeliac. Abbatis Alberici, præſente & aſſiſtente Galterio Cabilonenſi Epiſcopo confirmari: & ipſe pater & iuuenis filius erant de parrochia Eduenſis, videlicet de Glana. Garnerius Subprior Virzel. duxit me Altiſſiodorum, & ibi ab Epiſcopo Hugone, qui fuerat Abbas S. Germani, in Sacerdotem cum pluribus Monachis noſtri Monaſterij ordinatus ſum. Poſtea, cùm eſſem Camerarius, XIIII. Monachos Altiſſiodori per Hugonem Altiſſiod. ordinari fecit (qui fuit Pontiniacenſis Abbas) ad vocationem Alberici Abbatis. Stephanus Eduenſis Epiſcopus conſecrauit altare S. Andeoli poſitum in Choro Monachorum, & audiui Stephanum Epiſcopum Eduenſem dicentem Comiti Niuernenſi, quoniam vocatione Abbatis Cluniacenſis Petri, & Monachorum Virzel. venerat ad benedicendum Abbatem Pontium, & hoc fuit in Camera Abbatis. Et vidi ſæpe Carnotenſem Epiſcopum Guifredum, & Altiſſiodorenſem Hugonem, qui fuit Abbas ſancti Germani, celebrantes Miſſas in Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ in feſto eiuſdem, præſente Eduenſi Stephano & non contradicente.

Anselvs Vizel. Monachus iuratus dixit: Vidi Abbatem Pontium committere Eccleſiam S. Petri inferioris cuidam Preſbytero Bernardo tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, & hoc in Capitulo. Et idem commiſit Preſbytero Guidoni Eccleſiam S. Petri ſuperioris pro ſpiritualibus & temporalibus præſente capitulo: & idem Abbas commendauit Preſbytero Andreæ Eccleſiam S. Stephani ſimiliter in Capitulo; & hæc omnia poſt concordiam, quæ facta eſt apud Molinos, contigerunt. Matthæus Albanẽſis Epiſcopus me in Diaconem & tres alios Monachos in capella S. Laurentij ordinauit. Hugo Altiſſiodorenſis Epiſcopus, qui fuerat Abbas ſancti Germani, me in Preſbyterum & plures alios ordinauit apud Pontiniacum. Henricum Eduenſem Epiſcopum cum proceſſione vidi recipi Vizeliaci, & plures alios.

Hvgo de Siluiniaco Monachus & Preſbyter iuratus dixit: Helias Aurelianenſis Epiſcopus me in Preſbyterum, & plures alios Monachos, & Guidonem, qui modo Capellanus eſt,

Digitized by Google

eſt, & Renaldum Reialta me videnteinPreſbyteros ordinauit in Eccleſia maiori Virzeliacenſi : & eodem anno meæ ordinationis vidi Nuntium Abbatis Pontii, Durantum nomine, euntem pro chriſmate & oleo ad Epiſcopum Niuernenſem Frotmundum, & cum chriſmate & oleo redeuntem: & cùm ex conſuetudine Virzel. Monaſterii nullus Clericorum villæ debeat ire ad ſynodum ſine licentia Abbatis, vidi tempore ſynodi quòd Abbas Pontius Sadonem & Petrum Aumbaldi maiores Capellanos vocauit, & præcepit eis ne ad ſynodum irent. & ipſi obedierunt. Et cùm Preſbyteri iuxta feſtum Omnium Sanctorum licentiam eundi ad ſynodum peterent, Abbas non conceſſit, & ipſi non iuerunt. Vidi Arnulfum de Ferrarijs ex mandato Abbatis Altiſſiodorum pro chriſmate & oleo euntem, & cum chriſmate & oleo redeuntem, & hoc poſt concordiam; & iam ſunt ſex anni: & vidi poſt concordiam altare S. Michaelis in maiore Eccleſia ab Hugone Rotomagenſi Epiſcopo benedici : & poſt concordiam vidi Hugonem Altiſſiodorenſem Virzeliaco ordinationes facere : vidi quæſtiones trium Matrimoniorum deponi apud Abbatem Pontium Oberti Saltarelli, & Helizabeth, & Americi Cerarij, & filiæ Blaucardi Sartoris, & fratris Drogonis, & filiæ Petri Mercatoris, & terminari auctoritate Abbatis. Et in cauſa Oberti & Helizabeth fuit aduocatus Ermannus, qui modò eſt Archidiaconus & Archipreſbyter Aualonenſis, de donatione trium Eccleſiarum idem penitus dicit quod Anſellus Monachus Virzeliacenſis.

Hugo de Scola Vizel. Monachus & Preſbyter dixit; Tempore Alberici Abbatis Prior de Moret Hugo duxit me cum pluribus alijs Altiſſiodorum, ibique nos ordinari fecit, me in Subdiaconum, & reliquos in diuerſos Ordines ab Hugone, qui fuit Abbas Pontiniacenſis. Tempore Pontij Abbatis Helias Aurelianenſis Epiſcopus ordinauit me in Diaconem, & plures alios in diuerſos Ordines, Guidonem, qui modò maior Capellanus eſt & Renaldum Raiaza in Preſbyteros, & hoc in maiori Eccleſia. Et tempore eiuſdem Pontij vidi Humbertum Lugdunenſem, tunc Eduenſem, vocatum ab eodem Abbate Vizeliac. in Eccleſia peregrinorum ordinare plures alios in Preſbyteros, alios in Diacones, alios

in diuerſos Ordines : Et vidi Hugonem Rotomagenſem Archiepiſcopum conſecrare altare S. Michaelis, & hoc in maiorj Eccleſia, & poſt pacem reformatam : & vidi Hugonem Altiſſiodorenſem ordinare duos Guifredos in Subdiaconos. Et de donatione trium Eccleſiarum idem prorſus dicit quod Anſellus & Hugo. Vidi Humbertum, qui nunc eſt Lugdunenſis, & Henricum, qui nunc eſt Eduenſis, in Burgo Vizel. & quandoque in maiorj Eccleſia hoſpitari, & quandoque in Burgo ſuis ſumptibus procurari. Vrſus iuratus dixit idem de chriſmate & oleo quod Hugo de Siluiniaco, & de ſynodo idem ; de quæſtionibus & terminationibus matrimoniorum idem dicit quod Hugo, excepto quòd mentionem Archipreſbyteri Auallonenſis nullam fecit.

BENEDICTVS cocus Abbatis iuratus dixit idem de cauſa matrimonij Arduini & Siciliæ quod Hugo Prior de Moret, & de Matrimonio Oberti & Helizabeth, & de matrimonio Aimericj Cerarij, & filiæ Blanchardi Sartoris, & fratris Drogonis, & filiæ Petri Mercatoris, idem dicit quod Hugo de Siluiniaco Monachus & Preſbyter.

ALEGRETH iuratus dixit idem de cauſa matrimonij Oberti Salterelli & Helizabeth, & Aimericj Cerarij, & filiæ Blanchardi ſartoris, quod dixerat Hugo de Siluiniaco, & Benedictus cocus ; & dicit quòd quædam mulier iuit Hieroſolymam, & quum moram faceret, vir eius aliam duxit, poſtmodùm mulier reuerſa virum repetiit, & in præſentia ipſius Pontij cognita cauſa, iudicio & auctoritate Abbatis viro ſuo reddita eſt, ſed nomina eorum non reminiſcitur.

Teſtes Epiſcopi Eduadducuntur.

HIS amotis, obtulit Eduenſis teſtes ſuos, quorum primus Abbas S. Margaritæ iuratus dixit ſe vidiſſe ad ſynodum Eduenſis Epiſcopi ſacerdotes Virzeliaci pluribus vicibus, continuè an aſſi ue ignorat ; Sadum, Petrum, Bernardum, & hoc, tempore Stephani, Sadum & Petrum ; Humberti, Bernardum ; an debito vel voluntate neſcit, ſi ſimul, non reminiſcitur. Veruntamen ſæpe audiui Monachos dicentes quòd ex debito non ibant ad ſynodum : querelam quando non veniebant ſacerdotes Virzeliaci audiui, & vindictam vel ſatisfactionem nullam. Sacerdotes ſuſpenſos ab Eduenſi ſcio reſtitutos à Domino Papa, & litteras eius vidi. In refor-

Digitized by Google

matione pacis audi.i Abbatem promittentem ſe fidelem amicum deinceps futurum Eduenſi, & talem ſe exhibiturum ipſi quales prædeceſſores eius exhibuerant ſe prædeceſſoribus Epiſcopi. Vidi quòd Abbas obtulit huic Epiſcopo priuilegiũ Eugenij, & tunc Abbas Cluniac. dixit Eduenſi Epiſcopo: Cùm opus fuerit vade Virzeliacum, & fac vt Epiſcopus præſente Pontio Abbate ipſius Monaſterij.

IOANNES Prior S. Symphoriani iuratus dixit: Ego vidi quòd Humbertus Epiſcopus Eduenſis celebrauit Miſſam Vizeliaco, & ſermonem fecit, & hoc quadam ſolemnitate, & tempore Synodi vidit Sadonem & Petrum Eduis, & credidit quòd ad ſynodum venirent. De reformatione pacis hoc dixit ſe audiſſe à quodam quòd Epiſcopus iret Virzeliacum, & faceret ibi officium ſuum, & hoc poſt reformationem pacis.

EBERARDVS Archipresbyter iuratus dixit: Vidi Stephanum Eduenſem Epiſcopũ die Paſchæ, & Mariæ Magdalenæ celebrare Miſſas maiores & ad minus bis. In die S. Mariæ Magdalenæ quando Miſſas celebrauit Eduenſis, erat ibi Carnotenſis Epiſcopus, & fecit ipſe ſermonem ad populum, Eduenſis verò benedictionem: Idem Stephanus dedicauit Eccleſiam peregrinorum exiſtente in Virzeliaco Papa Innocentio, quo tempore fuit ignoro. Idem dedicauit altare dè Choro Monachorum, & altare de Capella ſancti S. Stephani, & vidi quòd benedixit Albericum Altiſſiodori, & vidi Pontium benedici abeodem, & vidi ordinationes Monachorum & Clericorum fieri ab eodem Stephano in Eccleſia peregrinorum, & hoc ſemel. Vidi Bellinum, Angilbertum, Sadonem & Bernardum, Capellanos Eccleſiæ inferioris: Petrum Graelum, Blainum, Sadonem, Guidonem, Eccleſiæ ſuperioris venire ad ſynodum continuè exceptis duobus annis, hoc præſenti, & eo quando fuit diſcordia inter Humbertum Eduenſem Epiſcopum & Abbatem Pontium, pro Ordinibus ibi celebratis ab Aurelianenſi, & hoc per XXX.annos. Hoc idem de chriſmate & oleo; de pace idem quod Abbas, excepto eo quod verbum illud, vade Virzeliaco, non dixit: Sed poſtmodùm vidi Epiſcopum ibi celebrare ordines ſemel, & vidi duos clericos, Bonnamicum, & Petrum volentes ordinari, portare literas Eduenſis Altiſſiodorenſi: & vidi duos

Capellanos, videlicet S. Stephani & S. Iacobi de Eſconia venire ad ſynodum Eduenſem, & hoc vel ſemel. Ego idem Archipresbyter Eberardus vidi duos exceſſus Clericorum puniri, videlicet Blandini Subcapellani, & Mainardi de Eſconio; & vidi Angelbertũ Capellanum S. Petri inferioris recipere curam animarum à Lamberto Presbytero Aualonenſi; & Bernardum ab Humberto Eduenſi, & audiui eum dicentem, quia volebat quòd Abbas neſciret. Petrus & Andreas Capellanus Sadonis, & Galterius de Eſconio, adduxerunt mihi parrochianos ſuos ad pœnitentiam recipiendam de criminibus, & hoc ſæpe & ex antiqua terræ conſuetudine: vidi per XL. annos, quòd parrochiani de villa Vizeliaci ſinguli de ſingulis domibus veniunt ad Eccleſiam Aualonenſem, & ibi vnuſquiſque nummum, vel ceræ nummatam Eccleſiæ præſtat: Vidi Sadonem & Petrum recipere curam animarum à Stephano Eduenſi Epiſcopo: Vidi Renaldum Lugdunenſem Archiepiſcopum facere Ordines ibi tam de Monachis quàm de Clericis: Vidi quòd Abbas Vizeliac. mittebat Monachos ſuos ordinandos Epiſcopo cui volebat: Vidi inſtrumentum Fundatoris: legi coram Domino Papa Innocentio, in quo continebatur quòd liberum eſſet Monaſterium ab omni exactione pecuniæ præter libram argenti quæ annuatim offerebatur Eccleſiæ B. Petri, & eo lecto dixit Dominus Papa Epiſcopo: Vade fac quod tuum eſt: Et vidi quod Eccleſia S. Petri ſingulis annis pro parata à XL. annis retro quinque ſolidos Eccleſiæ Eduenſi annuatim perſoluit.

ARNVLFVS iuratus dixit: Vidi quòd Stephanus Epiſcopus benedixit altare quoddam in Eccleſia S. Stephani: neſcit tamen quod altare fuerit, cùm ibi plura ſint: idem benedixit altare de choro in Eccleſia S. MARIÆ. Idem benedixit Eccleſiam peregrinorum, & erat ibi Papa Innocentius: ſicut credit in eadem Eccleſia idem fecit Ordines Monachorum & Clericorum illius villæ, & aliorum ſui Epiſcopatus; & cùm eſſem in Sedeloco Archipresbyter vidi Aganonem Epiſcopum euntem Vizeliaco ad Ordines faciendos, & vidi Clericos redeuntes qui dicebant ſe ordinatos. Et audiui quòd in ſequenti die poſt Ordines dedicauit Eccleſiam de Eſconio. Idem Stephanus celebrauit Vizeliaco Miſſas ma-

Digitized by Google

iores in Reſurrectione Domini & S. Mariæ Magdalenæ, & Carnotenſis fecit ſermonem, & Eduenſis benedictionem, & hoc contigit pluribus vicibus me vidente: Vidi quòd per XXX. & V. annos continuè Sacerdotes Vizeliaci veniebant ad Synodum Eduenſem: aliquorum nomina ſunt hæc, Blandinus, Sado, Petrus Grandella, Petrus Armembaldi, Guido. Vidi Narigaldum Epiſcopum recipi à Monachis Vizel. cum proceſſione: Vidi quòd Stephanus benedixit Albericum Altiſſiodori, ſed de Eccleſia non reminiſcitur.

Galterius Archipreſbyter iuratus dixit, quòd Stephanus Epiſcopus benedixit Abbatem Pontium, benedixit altare de Choro. De concordia hoc idem quod & alij, & poſt fecit ordinationes in Eccleſia S. Petri, & Stephanus confirmauit ibi omnes, & vidit Sacerdotes Virzel. venire ad Synodum Eduenſem multotiens, & Guidonem & Bernardum, qui modò ſunt, & V. ſolidos recepit decem annis pro parata, & vnaquæque familia nummum vnum pro crucibus, & hoc ſemel vidit & multotiens audiuit, & audiuit quòd Abbas Vizel. mittat Monachos ad quem vult Epiſcopum ordinandos.

Galterius Presbyter iuratus dixit, à XXX. annis retro ſe vidiſſe clericos Virzel. petere chriſma ab Archipresbytero Aualonenſi, præter præſentem, & annum diſcordiæ, qui fuerint Nuntij ignorat, & vidit benedici Eccleſiam peregrinorum à Stephano Epiſcopo, commorante in villa Papa Innocentio, quo tempore fuerit ignorat; & erat ibi Abbas, ſed neſcit nomen eius. Idem conſecreuit altare de choro maioris Eccleſiæ, quæ conſecratio alteram præceſſerit, neſcit. Idem vidit Landricum, Petrum, Angibertum, venire ad ſynodum Eduenſem, & hoc per XXX. annos, & vidit quòd Angilbertus ſuſcepit curam animarum ab Archipresbytero Aualonenſi: per XXX. annos vidit Petrum Gradella, Sadonem, Blandinum, cum ſucceſſoribus ſuis venire ad ſynodum. Idem vidit Eccleſiam S. Petri inferioris paratam ſoluere Miniſtris Epiſcopi XXX. annis. Idem vidit Blainum Capellanum Sadonis puniri ab Archipresbytero Aualonenſi pro exceſſibus ſuis; & eundem Mainardum & Galterium de Vvalteria: & audiuit quòd Abbas Vizel. mittebat Monachos ordinandos quò volebat.

IOANNES Gentilis iuratus dixit, quia à XXX. annis vidit Clericos Eccleſiæ S. Petri tam ſuperioris quàm inferioris venire ad ſynodum, ſed non continuè, & vidit Angilbertum Eccleſiæ inferioris recipere curam animarum à Lamberto Archipresbytero Aualonenſi, & audiuit Petrum & Arebaldum, & Sadonem dicentem ſe recepiſſe curam animarum à Stephano Epiſcopo, ſed non vidit: & vidit Capellanos Vizeliac. recipere chriſma ab Archipresytero Aualonenſi & Monte regali per triginta annos, ſed non continuè: & vidit Petrum Gradella petere Archipresbyterum in ſynodo ab Epiſcopo Stephano & hunc præſentem conceſſit; & de exceſſu Blaiui idem dicit quod alij: & vidit denarios crucis ſolui; & vidit Capellanos Vizel. adducere parochianos ſuos, vt reciperent pœnitentiam ab Archipresbytero Aualonenſi. de dedicatione Eccleſiæ peregrinorum idem dicit: de celebratione Miſſarũ ab Epiſcopo idem quod & alij. Bonus-amicus idem per omnia quod Gentilis, præter præſẽtem annum & diſcordiæ.

GOSFRIDVS iuratus dixit, quòd multotiens vidit Sadotem, Petrum tempore Stephani, & Humberti, Bernardum & Guidonem tempore iſtius venire ad Synodum; & vidit quendam Clericum Virzeliaci petentem licentiam ab Epiſcopo ordinandi.

CONSTANTINVS iuratus dixit, quòd ſæpe iuit ad Synodum cum Clericis Vizeliaci; & quòd quidam Clericus Vizeliaci ordinatus eſt per litteras Eduenſis.

GOFRIDVS Niuernenſis Epiſcopus coram poſitis ſacroſanctis Euangeliis dixit: Vidi quòd Eduenſis Epiſcopus Stephanus vocatus, & aliquando non vocatus Vizeliaco vt Epiſcopus recipiebatur, & aliquando à Monachis, aliquando ſuis ſumptibus procurabatur, & in feſto B. Mariæ Magdalenæ Miſſas ſolemnes, aliis quibuſdam Epiſcopis aſtantibus, ſæpe celebrauit; & ſemel Eduenſi celebrante ſolemnia Carnotenſis ſermonem fecit; & vidi quòd idem Stephanus benedixit Abbatem Albericum Altiſſiodorj, & idem Stephanus conſecrauit Eccleſiam peregrinorum, exiſtente Papa Innocentio Vizeliaco. Alio tempore idem Stephanus benedixit altare in choro Monachorum, alio tempore idem Stephanus benedixit altare in Eccleſia ſancti Stephani: &

Digitized by Google

interfui cùm pax reformata eſt inter Eduenſem & Vizeliacenſem mediante Cluniacenſi, vbi in vltimo dictum Eduenſi eſt; Vade Virzeliaco, & fac miniſterium tuum. Sed ſiue hoc Abbas dixerit, ſiue alius pro eo, non recordor. Et alio tempore Pontius Abbas cum Eduenſi Humberto ab Vrbe veniens, cùm Epiſcopus eum præceſſiſſet, poſtmodùm ab eodem & Clericis eius dictus Abbas cum proceſſione ſuſceptus eſt Eduæ: & inde in Capitulum Eduenſe veniens amicitiam & dilectionem Eduenſi ſecundum conſuetudinem ſuorum prædeceſſorum promiſit.

HVMBERTVS Lugdunenſis coram poſitis ſacro-ſanctis Euangeliis dixit: Cùm eſſem Eduenſis Epiſcopus non vocatus iui Vizeliacum, & in maiori Eccleſia in Paſcha Miſſarum ſolemnia celebraui credens meo Epiſcopali iure vti, & ſermonem ad populum feci, & benedixi præſente quodam alio Epiſcopo. De concordia idem prorſus dicit quod Epiſcopus Niuernenſis, niſi quòd aſſeuerat Abbatem dixiſſe ei: Vade & fac Virzeliaci quod anteceſſores tui facere conſueuerunt. Poſtmodùm vocatus Vizeliaci Ordines celebraui tam Monachorum quàm Clericorum villæ, & quorundam clericorum mei Epiſcopatus. Et alia vice Eduæ Ordines celebrans, Clericos Virzeliaci cum Clericis meis aliis ſecundum conſuetudinem examinans promoui: Et quandiu Epiſcopus fui, Clerici Vizel· ad Synodum meam ſingulis annis venerunt, vel excuſationem miſerunt. Archipresbyter Aualonenſis quendam Burgenſem Vizeliaci ad me adduxit, qui vxorem cauſa ſterilitatis dimiſerat, cui mandaui, vt dictante iuſtitia Burgenſem ad recipiendam vxorem cogeret.

ITA teſtimonia ſua proſecuti, in partem cedunt teſtes Eduenſis, quorum voces, ſi diligenter pẽſantur, causã Eduenſis examinare potiùs quam fulcire probantur. Celebratio quippe Miſſarum, conſecratio altarium, diſtributio Ordinum, largitio benedictionum, petitio ſacri olei vel Chriſmatis, & alia huiuſmodi vicino & Comprouinciali Epiſcopo æquè vt peregrino liberali permiſſione pro arbitrio Vizeliacenſis libertatis conceditur. Quod igitur cum cæteris ſibi commune eſt iure proprio, minimè illi cedit. Cæterùm quod ab Eduenſi ſuſpenſos per Apoſtolicam libertatem ſuis ordinibus reſtitutos te-

ſtantur, cauſam Vizeliac. faciunt, & ſuam, hoc eſt, Eduenſis, penitus deſtruunt. Quòd Vizeliaci Clericos Eduenſem ſynodum frequentaſſe, quòd licentiam ordinandi ab Eduenſi petiiſſe, quòd curam animarum ab eodem ſuſcepiſſe, quòd paratam ſoluiſſe, quòd Parochianos ſuos pro pœnitentia Archipresbyteris duxiſſe referunt, ſi fas eſt dicere, & Sacerdotum fraudulentiam, & Eduenſis temeritatem produnt, dum hæc inſcio vtique Vizeliacenſe perpetrata fatentur, ac per hoc grauis actori redditur cauſa, quæ furtiuis ſurreptionibus allegatur annixa.

Igitur poſteaquam vtriuſque partis teſtes, prout ſuperiùs expreſſum eſt, teſtificati ſunt, decreuit ſummus Apoſtolicus, vt iudicio tantæ litis controuerſia dirimeretur: & quoniam ſuprema formido argumentum eſt fæuæ conſcientiæ, fit nonnunquam vt extremis ſubacta periculis cogatur mens perpendere quod in pace olim quodammodo dedignabatur proſpicere. Cauſa itaque poſita in articulo diſcriminis, perturbatur Eduenſis ſuæ conſcius temeritatis. Quia porro eum non latebat Romana æquitas in cenſura duntaxat iuris iuſtitiæ, fluctuare cœpit, diſſimulare nequiuit, iudiciũ tamẽ differri petijt, dicẽs cauſæ ſuæ adhuc ſe habere efficaciſſimos cõprobatores, qui languore & ætate confecti, laborem tanti itineris non poſſent aggredi. Verùm ſi infra Gallias competens & loco & die ſibi præſtetur actio, hos proculdubio ſe exhibiturum, atque poſt horum voces in eius præſentia ſtatuto ab eo tempore indubitanter ſe ſubiturum Apoſtolicam ſententiam pollicetur, niſi fortè interim optata pax intercedat. Tum Vizeliacenſis ſuperuacaneam comperendinationem ratus, & de temporis indulgentia potiùs quàm de cauſæ conſtantia Eduenſem ſperare conſiderans, iuſiuris, vel iuriſiudicium inſtanter repoſcebat: præualuit tamen Apoſtolica clementia, & tandem iudicium diſtulit, diem repetendæ ſententiæ ſtatuit, Vicarios auditores teſtium ſuorum infra Gallias Epiſcopos deſignauit, videlicet Epiſcopum Lingonenſem Godefredum, necnon Petrum Trinorcienſem, & Stephanum Regniacenſem Abbates. Quibus & per ſcripta mandauit, vt die & loco congrũo prædictam cauſam inter Eduenſem & Virzeliacenſem ſuſcipientes, teſtes quos Eduenſis

enſis legitimè proferret ſub forma præſcripti iuramenti audirent, atque eorum teſtificationes deſcriptas, & ſigillorum ſuorum munimine conſignatas per eoſdem ſibi ad ſtatutam iudicij diem tranſmitterent. Cuius tenor epiſtolæ ſuperiùs in ſerie Epiſtolarum illius quas ad diuerſos ob tutelam Vizeliacenſis libertatis fecit, continetur. Enimuerò incomparabilis memoriæ Papa Eugenius pia ſollicitudine futuris præcauens euentibus, vtriuſque partis teſtificationes iuſſit conſcribi in triplici ſcedula, quarum vnam Epiſcopo, Abbati alteram dedit, tertiam verò ſuis indidit ſcrinijs, quatenus ſi fortè vel in ſua vel in ſui ſucceſſoris præſentia hæc eadem iterum agitaretur controuerſia, præſcriptæ teſtificationes ac ſi viuæ voces nouitates omnes refellerent, & Iudicum, vel agentium alteratam ſucceſſionem ſuppoſiti teſtes non fallerent. Sic rebus geſtis, ſuis vterque redditur.

Eduenſis autem optata dilatione potitus, propoſita diſſimulare, tempúsque redimere nitebatur, ac de his quæ pro dilatione ſummo Pontifici pollicitus fuerat, penitus nihil curabat. Cúmque moras ægrè ferret Abbas, quibus impedimentum cauſæ ſuæ & non finem litis parere ſentiebat, Lingonenſem Epiſcopum, qui fortè quadam die Vizeliaco aduenerat, conuenit, déque Domini Papæ mandato requiſiuit. Qui reſpondit eum potiùs hanc requiſitionem facere debere qui actionem propoſuerat, cùm plerumque tacendo liti renuncietur. Ipſe autem, videlicet Eduenſis, necdum ſuper hoc negotio quicquam ſibi ſit locutus.

Interea ſanctæ memoriæ S. Eugenius ſanctæ Sedis Apoſtolicus, viam vniuerſæ carnis ingreditur. Cui Anaſtaſius S. R. Eccleſiæ Vicarius ſubrogatur. Quo comperto, Virzeliacenſis metuens ne faciem noui Præſulis præueniret vetus hoſtis, ſcribit ad eum ocyùs, ſignificans quanti ſemper habita ſit vſque hodie Virzeli. Eccleſia in oculis omnium Apoſtolicorum qui eum præceſſerunt. Supplicat præterea, vt exemplo Patrum ſuorum Romanorum Pontificum Vizel. Eccleſiam vti proprium ius & alodium B. Petri ab infeſtantium incurſatione, maximè autem ad præſens ab Eduenſis temeraria præſumptione tueatur, deſcribens qualiter cauſatam, illius quàm ſua in præſentia piæ memoriæ deceſſoris ſui Eugenij

ventilata per dilatam iurisiudicij diem petente Episcopo remansisset infecta. Ad postremum, vt eius pietas transactam morte Iudicis sententiæ diem in sua præsentia renouare, & Eduensi denunciare dignetur, exorat.

DIVVS ergo Apostolicus specialis Ecclesiæ patroni preces admittens, renouationem causæ vtriusque mandat, & quintam decimam post Pascha vtrique præscribit, nisi fortè ex consensu alterutro pax interim Ecclesiarum reformetur, quatenus quæ suus prædecessor infecta reliquerat, Deo agente per eum bono fine terminarentur. Tunc nodosa ceruix sese contorquens, vt potè insperatis percussa spiculis, rebus iam desperans Ducem aggreditur, & iam cum fratre agit de pace sua, cum quo egerat aliquando de oppressione aliena. Quippe veritus ne dum alienis inhiat, amittere cogatur & propria, duellioni renunciat, de reformatione pacis cogitat: Quique hactenus aliena per se vsurpare contenderat, iamiam aliis mediãtibus sibi consulere festinat. Ne verò fraterna esset suspecta malitia, religiosæ vitæ, & honestæ famæ viros Dux ipse cum Episcopo interpellat, Abbatem scilicet Cistercienſem, & alios plures eiusdem Ordinis. Hi ergo Vizel. Abbatem Pontium adeũtes cum supplicatione preces Ducis offerunt, & vice Episcopi pacem repræsentant, pacémque reposcunt. Nec pati repulsam merentur, quoniam apud generosos animos rigorem rectitudinis semper comitatur lenitas manſuetudinis. Cedit ergo Abbas humiliter supplicanti, qui non cesserat arroganter superbienti: & his mediantibus per manum Ducis pax inter vtramque Ecclesiam reformatur, controuersia omnis pacificatur, dantque inuicem amicitiæ oscula, atque ineunt perpetuæ pacis fœdera. Quæ pacis compositio, vt etiam inter successores custodiretur illibata, manus suæ formatam fecit, quam & sigilli sui munimine corroborauit, vt sequens probat exemplar.

Tandem pacem init Abbas cum Episcopo Eduensi. Vizeliac. Ecclesiæ.

„ NOTVM sit tam præsentibus quàm posteris, quòd ego
„ Henricus in Dei nomine Eduensis Episcopus consilio reli-
„ giosarum personarum, & quorundam Fratrum Ecclesiæ
„ nostræ, controuersiam & querelam diu inter Eduensem &
„ Virzeliacensem ventilatam tali tenore amicabili composi-
„ tione sopitam esse volui, vt in bona pace & concordia tam

Digitized by Google

„ ego quàm Pontius Abbas prædictæ Eccleſiæ permanea-
„ mus & perſiſtamus, ſaluo iure in vita mea, & priuilegiis
„ vtriuſque Eccleſiæ. Prædictam autem tranſactionem ſiue
„ compoſitionem me ſuperſtite ratam eſſe decerno, adeò vt
„ poſt mortem meam nullum præiudicium vtraque Eccleſia
„ hinc patiatur. Teſtes sũt ex parte vtriuſque; GVILELMVS
„ Abbas Fontineti, HVGO Abbas de Buſſeria, PETRVS
„ Abbas de Monte ſancti Ioannis, OTBERTVS Abbas S.
„ Margaritæ, Magiſter OTBERTVS, SIGNINVS de Li-
„ niaco, GISLEBERTVS Prior Oiſiaci, GIRARDVS
„ Buca, HVGO de Moncellis, & multj alij.

HÆC pro noſtræ modulo paruitatis de libertate Vizel. Eccleſiæ quanta potuimus breuitate & veritate perſtrinximus, latiora fortè ſed non veriora maiori committentes otio. Et veritate quidem filiis atque amatoribus huius Eccleſiæ fecimus, vt credimus, ſatis. Breuitate autem talium ſubſannatoribus condeſcendere curauimus. Semper quippe vtilia ſcribentibus ſuccenſere nonnulli, vel geſtorum inuidia capti vel eorum quæ proferuntur ignari. Cùm autem ſapientis otium nihil arbitretur otioſum, quin alienum otium ſuum ducat officium; èconuerſo maximum eſt inſipientis negotium adſcribere otio quicquid prudens elaborat ſtudium, quod ſui precio penſantes, compendio vſi curſim ſtilum exegimus. Licet enim temporum ætate iuniores nos Eccleſia protulerit, noſtram tamen erga ipſam nihil deuotionem minuit, ſi poſſe noſtrum qualecunque illius profectibus affectu integerrimo impendamus, nec diffidimus quin præſtet vires ipſa, quæ præſtitit velle & gratia, dummodò degere nobis detur ſine querela. Quia verò aliquanti loco mercenarij, & non natura filij, ſua quærentes, & non quæ ſunt adepti officij, in communi cauſa, vel ſub obtentu communis cauſæ propria ſectantur emolumenta, nos ab hac ſpecie adeò mentem defecatam geſſimus, vt ſolo & ſimplici reſpectu communis boni pro communi bono ad commune bonum his operam dederimus. Sanè ſpem noſtram in eo ſolo & ad eum ſolum contulimus, qui nullum bonum eſſe decernit irremuneratum ab æuo & vſque in æternum.

HISTORIÆ VEZELIACENSIS

LIBER TERTIVS.

POntius Abbatum regni celeberrima virtus
Vizeliacenſes ſorte regebat oues.
Dúmque ſibi morum parat inſtrumenta bonorum
Dum ſibi commiſſæ prouidet Eccleſiæ;
Suſcitat inuidiam turbâ turbatior omni
Seruorum in Dominum ſeditioſa manus.
Plebs armata dolis, dux & via proditioni
Frangere docta fores, & ſpoliare domos.
Ædibus auſa dehinc aſſultum impingere ſacris,
Inque necem Domini tangere ſacra manu.
Quæ mala, quot clades rabies compleſſet iniqua,
Ni celerem prudens Abba tuliſſet opem?
Si rerum cauſas quæris cognoſcere Lector,
Præſentis libri pagina pandet iter.
Hanc tibi noſter Hugo vir ſtemmate Pictauienſis
Elegit gratis pendere mente, manu.
Perlege, cognoſces quantum bene, quàm ſapienter
Quamque ſuo fulgens ordine currat opus.
Inuida lingua tace, cui virtus eſt inimica,
Cui ſemper ſtudium velle nocere bonis.

GRÆCI cuiuſdam famoſiſſimum fertur prouerbium, quòd in tripoda Apollinis dicitur inuentũ: Scito te ipſum, & vide te ipſum. Nihil in humana natura vtroque clarius, nihil precioſius, nihil denique excellentius. Per hæc quippe ſingulari prærogatiua paſſibilibus cunctis homo præfertur, & connexa vnitate impaſſibilibus quoque coniungitur. Eſt autem ſcire ſeipſum, propriæ dignitatis conditionem noſſe atque intelli-

Digitized by Google

gere : Videre quoque ſeipſum eſt ipſam dignitatem conditionis ſinceritate fidei, & pietatis cultu excolere. Quia igitur primæ parti ſpecierum prædictarum, hoc eſt ſcientiæ, ſupponitur quod intendimus, de dignitate Vizeliacenſis quo potuimus compendio partim in ſuperiore libro egimus : In quo dum res commendare & non verba iactitare ſtuduimus, quaſi placidi æquoris terga ſulcantes enauigauimus, ſcientes pium Lectorem ex ſuperficie verborum pondus negotij coniecturum. Verùm quoniam prædictæ libertatis ſiue dignitatis veſtes, ſcilicet Eccleſiæ poſſeſſiones, quidam ore canino lacerare, vel pede belluino diſcerpere, audacia fiſi, non virtute freti, conati ſunt ; placuit ſereniſſimo atque ſtrenuiſſimo Patri noſtro venerabili Pontio Abbati per hæc ſcripta mandare longè pòſt futuris, qualiter & quomodò per diuinam prouidentiam & conatus æmuli euanuerint, & Eccleſia ſuis ipſis caſibus enituerit. Nec verò iſtis quaſi proprium exercentes ingenium otioſi incumbimus, quibus voti eſſet propriæ potius quàm alienæ eruditioni vacare. Sed mouemur vtique tum coæuorum probitate, tum ſuccedentium vtilitate, tum Eccleſiæ matris dignitate. Mouemur necne irrepugnabili iam dicti Patris imperio, qui pro hac eadem libertate & dignitate ad ſanguinem vſque decertauit, licet votum ſceleris percuſſor non obtinuerit, nihil tamen in eo defuit quin fere totum ſe immunitati Eccleſiæ impenderet, & ſuam pro illius ſalute negligeret. Cuius videlicet Eccleſiæ ſponſæ ſuæ caſto flagrans amore, cum iura illius per aliquot annos & officioſiſſimè diſponeret, & ſtrenuiſſimè adminiſtraret, inuidente fortuna, næuo eam prauæ commixtionis conſtuprari perſenſit. Tum ille zelatus, & ſtans ex aduerſo pro domo Iſrael, ſe ſe obicem adulterinis obtutibus præbuit, & per plura vitæ ſuæ pericula clariorem & perſpicabiliorem libertatis ſponſæ ſuæ puritatem effecit, ſicuti noſtram infirmitatem Deo iuuante, & noſtram paruitatem ipſius Patris auctoritate corroborante, in ſequenti more noſtro ſectantes compendium, propalare curabimus, quatinus & præſentes habeant quo fruantur, & futuri quid æmulentur. Quia etenim piorum eſt communi potius quàm priuatæ vtilitati intendere ; ſategimus & nos profectui futurorum prouidere,

Iuſſu Pontii Abbai Abbat. id Opus Auctor eſt aggreſſus.

Digitized by Google

& caritatis veſtem ad talum uſque protendere. Opus ergo pium pius Lector piè legat: ſuſurro autem & detractor procul abſiſtat. Cui autem noſtra diſplicent, aut adulterinus, ſi tamen filij nomine dignus fuerit, aut vernaculus, nedum dicamus Eccleſiæ inimicus reputabitur. Si enim placuit antiquis vel aniles fabulas, vel monſtruoſa portenta ob ſolam elegantis ingenij oſtentationem tradere memoriæ, & hæc etiam noſtris temporibus non infructuosè aliquando leguntur; multò acceptabilius, multóque fructuoſius fore futuris credimus, noſſe tum geſtorum veritatem, tum ipſius fructus honeſtatem: neque prorſus talia fatemur quaſi fraternæ caritatis examen dedignantes, quin demantur ea quæ fortè per exceſſum effluxerunt, & ſuppleantur itidem ea, quæ vel noſtram præteriêre notitiam, vel ſtili non admiſit compendium. Vtrobique ſanè ſimplicem interpellamus affectum, quo & noſtram non erubuimus penuriam; & tanti oneris non negleximus laborem.

De immunitate ac nobilitate. Vizeliacēſis Eccleſiæ.

Cùm Vizeliacenſis Eccleſia ex dono fundatoris & ex dignitate Romanæ auctoritatis prærogatiua libertatis polleret, & oraculo beatæ dilectricis atque famulatricis Dei Mariæ Magdalenæ, quæ ibidem condita toto orbe prædicatur & adoratur, famoſiſſima emineret, multis ex partibus ad eam plures conuolauerunt, & tam ſui copiâ, quàm rerum affluentiâ illud oppidum illuſtre conſpicuúmque reddiderunt. Prædia quoque vt erant ampliſſima & ſibi contigua, locum ipſum ſuo ſitu delectabilem, opulentiſſimum adeò effecerunt, vt ſpectabilis ad vſque fines terræ clareret, & glorioſus in vniuerſo orbe emineret. Huius lòci corpus tanta & tam ſpeciali caritate proprietarij iuris capiti ſuo Eccleſiæ vnitum & compactum iungebatur, quòd in qualibet parte ſui cuiuſquam participium dominij vel ſocietatis admittere tanquam prophanum atque inſolentiæ incentiuum abhorreret, & ſeipſo per Apoſtolicam gratiam in allodio teſtatoris conſtans nemini contractu alicuius ſeruitutis, niſi tantùm Apoſtolico Pontifici, ceruicem flecteret. Ad cuius integræ libertatis notitiam ſi quis oculos caſtos ingenuæ ſimplicitatis intendat, perlecto Fundatoris teſtamento relegat, & primordialis, atque antiquæ auctoritatis Romanorum Pontificum priui-

Digitized by

legia, venerandi ſcilicet Nicolai, & vtriuſque Ioannis, Benedicti quoque, necne alterius Benedicti, Leonis etiam & Sergij, & Stephani, & Marini, ſed & diuæ recordationis Vrbani, qui de Cluniaci Monaſterio ad Apoſtolatus adminiſtrationem aſſumptus prædeceſſorum priuilegia ſeu decreta pro libertate iam dicti Cœnobij Vizeliacenſis, non ſolùm intemerata & rata atque inconcuſſa eſſe voluit, immò etiam & ſuæ auctoritatis munimine corroborauit. Illis denique omnibus diligenter perſpectis, nulla certè contraria, vel repugnantia offendet, nec ficticia & ſurreptitia eſſe omninò comprobabit; cùm pro certò impium & ſacrilegum ſit ſentire Apoſtolicos viros contraria ſibi decernere, & quod ex oppoſito allegari poteſt ſibimetipſis repugnare. Fœlicis etenim memoriæ Gerardus Comes, cum pia coniuge Bertha, ob timorem Dei & ſui ſuorúmque ſalutem, Monaſterium ſupra Choram fluuium, in proprio & liberrimo allodio ſuo conſtruxit, & congregationem famularum Dei ibidem conſtituit, quod etiam Monaſterium cum omnibus rebus ibi collatis Beatiſſimis Apoſtolorum Principibus, & illorum in Romana Sede per ſecula ſucceſſoribus, dato teſtamẽtario libello perpetuæ poſſeſſionis, regendum defenſandúmque contradidit, dimota & penitus excluſa omni beneficiaria poteſtate cuiquam dandi aut mutandi licentia. Sed cùm propter crebras irruptiones Sarracenorum præfatum Monaſterium penè fuiſſet ſubuerſum, ne pijs ſtudijs hoſtilis præualeret inuidia, reædificatum eſt illud ab eodem Comite in adiacenti monte ſiue Caſtello Vizeliacenſi, ac fœminino ſexu commutata, ſeruorum Dei primus effectus eſt Abbas Eudo.

Origo libertatis Vizel.

1. Abbas.

Tantæ igitur deuotionis pietatem eiuſdem Comitis Romana Sedes gratanter & benignè ſuſcipiens, placuit ipſum Cœnobium proprio iuri & allodio B. Petri aſcribere, & gratiâ vel dono Apoſtolicæ auctoritatis auctum munire. Siquidem huiuſmodi priuilegia ſuæ Apoſtolicæ auctoritatis decreto Romani Pontifices indulgentes conceſſerunt & confirmauerunt, atque ſtatuerunt, vt nulli Imperatorum, nulli Regum, nulli Antiſtitum, nulli quacumque prædito dignitate de his quæ eidem Monaſterio ab eodem Comite, vel à quibuſlibet de proprio fuiſſent iure collata, ſub ſpecie

Sũma Priuilegiorum Apoſtolicorum.

Digitized by Google

cuiuſlibet cauſæ ſiue occaſionis minuere, vel auferre, ſiue ſuis vſibus applicare, vel alijs quaſi pijs cauſis pro ſuæ auaritiæ excuſatione liceat quocunque modo concedere, ſed ab eis qui in eodem loco religioſa conuerſatione degerent, illibata & ſine inquietudine poſſiderentur; ea conditione, vt nullus Romanorum Pontificum vnquam vel vſquam quiddam de eiſdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut ſub cenſu concedere, vel retinere per futura tempora pateretur, ſed cenſum tantummodò vnius libræ argenti in teſtamento traditionis ſingulis annis ab eodem Monaſterio Romana Sedes accipiens, piæ paternitatis ſuffragium ſollicitudine paſtorali vigilanter contra omnes infeſtantes eidem impendere ſtudeat. Statuit quoque Sedes Apoſtolica, vt ſine cuiuſlibet ſurreptionis aſtutia communi conſenſu Fratrum, vel ſanioris partis eiuſdem Cœnobii conſilio, electo Abbate, & à Romano Præſule approbato, de ordinatione ipſius, aut Monachorum, vel Clericorum, necne Preſbyterorum, ſeu de largitione chriſmatis, aut conſecratione Baſilicæ, aut de quacunque commoditate ſpiritualis vel temporalis obſequii nullus Pontificum, nullus Regum, nullus vel Eccleſiaſticæ vel ſæcularis perſonæ fidelium, per ſe ſuppoſitam-ve perſonam accipere aut iuris aliquid ſibi vindicare auderet.

Et Regum. Taliter Apoſtolicis priuilegijs compoſitis, Francorum quoque Regum Maieſtas eidem Cœnobio clementer proſpexit, & precibus Illuſtris Gerardi Comitis fauens tale edictum eidem fieri conſtituit, per quod quicquid Apoſtolicæ Sedis decretum ſanciendo deliberaſſet, abſque alicuius contradictionis ſcrupulo perpetuis temporibus inconuulſum manere ſtatuit: præcipiens vt nulla ſæcularis perſona, vel ex Miſſis Regijs in præfato Cœnobio, aut prætitulato Caſtello, ſeu villis ad locum ipſum pertinentibus poteſtatiuè manſiones acciperet, aut paratas ſeu freda, vel ceſpitaticum, ſeu pontaticum, aut inferendas ab eo exigeret. Quiſquis verò hoc immunitatis decretum temerare præſumeret, ſexcentorum ſolidorum mulctam coactus exſolueret, medietatem ſcilicet Fiſco Regio, & medietatem Eccleſiæ cui litem intuliſſet. Quod ſuæ auctoritatis præceptum vt pleniorem firmitatis vigorem

gorem obtineret, manu ſua illud firmauerunt, & ſigilli ſui impreſſione ſignauerunt.

Sub tantæ igitur libertatis & immunitatis integritate nouella plantatio nouo ceſpite pullulauit, & ramorum ſuorum viridi fertilitate plurimas prouincias illexit. Sed quoniam inter cætera vitia quæ in præuaricatione primi parentis humana contraxit natura, inuidiæ liuor atrociùs humanum genus infecit, multi hac peſte corrupti tam Eccleſiaſticarum quàm ſæcularium circumadiacentium poteſtatum ſtolâ libertatis ſpoliare, & gloriâ ſuæ nobilitatis priuare iam dictum Monaſterium conantes, de corde in corde locuti cogitauerunt ad inuicem nequitiam, & pertranſeuntes in affectum cordis, ignominiam reportauerunt ſuæ confuſionis. Licet etenim diuerſis temporibus vel pariter vel viciſſim ſibi ſuccedentes, ſacri Cœnobij pacem vexare, inquietare, perturbare molirentur, & maximos magnæque auctoritatis eiuſdem Cœnobij Patres multifariè multíſque modis afficere non vererentur, omne tamen virus nequitiæ ſuæ malignitatis totúmque poſſe ſuæ prauitatis generatio nequam & viperina in præſtantiſſimum atque prudentiſſimum noſtri temporis Abbatem Pontium euomuerunt, & euomentes contabuerunt & defecerunt, euiſcerati ſunt & adnihilati ſunt. Pia quippe Vizeliacenſium Abbatum ſollicitudo ob crebras impiorum hominum infeſtationes Comitibus Niuernenſis Ciuitatis liberaliſſimâ indulgentiâ frequenter ſpontaneum impẽdebat obſequium, quò deuotiùs contra omnes aduerſantes præſidium ferrent Eccleſiæ, quæ nullo iure ſibi obnoxia ſedulò gratuita ſibi largiretur beneficia. Verùm degener animus beneficijs ſemper abutitur, atque gratuitis obſequiis inſolentior nonnunquam efficitur, nec obſequium gratiæ adſcribitur quod ingrato decernitur. Vnde factum eſt, vt Guillelmus, qui poſtmodum Cartuſiæ effectus eſt Monachus, dum Niuernenſis Ciuitatis conſulatum gereret, ſalarijs atque alijs Eccleſiæ beneficiis inſolenter abuſus, nonnullas ab ea conſuetudines non ſolùm pacis, ſed etiam libertatis inimicas, per vim tyrannidis exigere nitebatur. Cuius aſpernatus inſolentiam venerandus Abbas Pontius rationabiliter denegauit quod iniuſtè petebatur, & prudenter conſeruauit quod poteſtatiuè

Inuidêre plures libertati Vizel.

Guillelmus Niuernenſ. Comes vſurpare tẽtat iura Vizel. Monaſterii.

Digitized by Google

exigebatur. Dolens itaque Niuernenſis ſic ſe repulſum in tantam exarſit iracundiam, vt ſtratas regias à Vizeliaco diuerteret, & publicum commeatum à vico prohiberet. Tunc Vizeliacenſis cùm nec beneficio nec prece graui Comitem à propoſito flectere potuiſſet, ſanctæ matri Apoſtolicæ Sedi Romanæ Eccleſiæ inſinuauit oppreſſionem Monaſterij ſui, & qua tyrannide ius vel allodium B. Petri Comes inſectaretur, expoſuit. Summus autem Pontifex eidem Comiti reiteratò ſcribens vt ab inſectatione ſpecialis filiæ ſuæ Vizel. Eccleſiæ deſiſteret, monuit; vt etiam eius paci & libertati fauendo pro B. Petri reuerentia prouideret, iniunxit, ne ſi Apoſtolica iura vſurpare præſumat, vniuerſalis Eccleſiæ inimicus & temerator exiſtat. Quòd ſi quid iuris in eodem Monaſterio ſibi competere crederet, ab Apoſtolica gratia non diffideret, dummodò quietem Eccleſiæ non vexaret: alioquin ſi ſecus contenderet, onus Apoſtolici baculi ſe laturum non ignoraret. Vizeliacenſem quoque idem Præſul auctoritate Apoſtolica commonuit, ne de iure Monaſterij in aliquo alicui cederet, néve Patrum terminos transgredi præſumeret, immò de Dei & Beati Petri auxilio confideret, & viriliter pro Eccleſia decertaret, ne ſi Eccleſiæ integritatem commaculari permitteret, ipſius integritatis proditor exiſteret.

Arbitri cõ trouerſiæ inter Abbatem Vizel. & Comitẽ Niuern.

Diu ergo inter Vizeliacenſem & Niuernenſem protractâ controuerſiâ, tandem ad hoc ventum eſt, quod Abbas & Comes communi aſſenſu in laude & concordia ſeu diffinitione Bernardi Abbatis de Clarauallę, & Hugonis de Tilio, atque illorum quos ipſi ad hanc vellent vocare concordiam ſe expoſuerunt; vt quod præfatæ perſonæ ſuper hac re concorditer deffinirent, irrefragabiliter obſeruarent. Feſto igitur die ſolemnis Paſchæ, cùm vniuerſa ferè Gallia ſolito crebriùs Vizeliaco conueniſſet ob frequentiam orationis, ſimúlque ob reuerentiam piiſſimi & religioſiſſimi Regis Ludouici Iunioris, qui ſuis ibidem in humeris crucis Dominicę Vexillum Hieroſolymam peregrinaturus ſuſcepit, conuenit pariter & Comes cum iam dictis perſonis; qui venientes apud Baſſiacum Eccleſię grangiam, die ſtatuto, quartâ ſcilicet feriâ infra octauas Paſchę, taliter Comes calumniam ſuam exorſus eſt: Eccleſia Vizeliacenſis, inquit,

Quid prætenderet

in aduocatione mea eſt: volo vt quotiens Abbati mandauero, mihi & hominibus meis ſecundum iudicium Curię meę iuſtitiam faciat, negare non debet. Et ſi aliquis aduerſus eum dicere voluerit quod ei iuſtitiam negauerit, dictante meo iudicio ſe deffendere debet. Ad hæc Abbas reſpondit, quòd nullatenus hoc facere deberet; quia Abbatiam Vizel. à præfato Comite non haberet. Cúmque eſſet ipſe Monachus & Sacerdos & Abbas, laicali iudicio ſe ſubdi nolebat, nec per tales perſonas aut in ſe aut in Monachos ſuos ſententiam ſuſcipere non debebat. Iterum Comes quærebat quòd homines Vizeliaci ad Eccleſiam pertinentes de iuſtitia ſua eſſe volebat, & quotiens ibi * placeret Abbati mandaret, vt pro ſuſceptione coacti iudicij ad curiam ſuameos duceret; & ſi forte inter homines ipſos & Abbatem aliqua querela emerſerit, dicebat idem Comes non niſi per manum ſuam tantùm in curia Abbatis debere eos inire concordiam. Reſpondet Abbas, quòd Eccleſia Vizel. non eſſet ab ipſo, nec à parentibus ſuis fundata, nec homines de feodo ſuo erant, nec Abbas aut Eccleſia eos ab ipſo habebat; & ideò indignum erat, vt illius ſubderentur iudicio, de cuius non erant beneficio. De concordia verò Burgenſium nihil ipſo auditu dicebat iniuſtius eſſe, & veritati omníque iuſtitiæ contrarium, cùm pax ſit omnibus communis, & beati pedes euangelizantium pacem proteſtentur à diuinis ſcripturis & à ſanctis Patribus, neque iſta vel huiuſmodi cõſuetudo fuerit in Eccleſia à priſcis temporibus. Rurſus Comes dixit, quòd homines ſui de Clemiciaco cùm ad nundinas vel ad forum Vizeliaci veniebant, in plateis ſua mercimonia deponebant, & à conſuetudine aliorum hominũ immunes ſe eſſe dicebãt, & ideò querebatur quòd telonearij Abbatis ipſas conſuetudines ab eis violenter exigerent. Abbas ad hæc reſpondit, quòd plateas in proprios vſus ab antiquo habebat, & nemo aliquid iuris exceptum habebat, & cùm omnes homines ad nundinas ſiue ad forum Vizeliacj aduentantes ſecundum diuerſitates mercium teloneum gratanter exſoluerent, volebat vt ſimiliter & ipſi conſuetudines redderent, qui non dicebant quâ iuſtitiâ retinere deberent. Tunc Hugo de Tilio teſtatus eſt Comitem nullum ius in hac querela habere, quia tempo-

Niuernenſis exponit: cui Vizeliacenſis reſpondet, cúmque confutat.

* fil.

re Domni Renaldi Abbatis Vizeliaci, poſtmodùm Lugdunẽſis Archiepiſcopi, ſuper hac re ab ipſo Comite querela mota eſt, quam ipſe Comes acceptâ ab eodem Abbate pecuniâ per manum ſuam, Hugonis ſcilicet de Tilio, penitus dimiſit, & de cætero nunquam ſe quæſiturum eam fideliter promiſit. Iterum Comes quæſiuit ſtratam, quæ tendit de Eſconio vſque Blanniacum, & illam de Priſſeïo, & alias à crucibus & à terminis vſque Vizeliacum conſtitutis. Cui reſpondens Abbas dixit, quòd ſtratam de Varginiaco, quam Comes requirebat de Eſconio vſque Blanniacum, illa fuit Erueo de Donziaco, & Sauarico de Varginiaco * Dominis Caſtri Cenſorij, qui ipſam ſtratam, & totam terram de Varginiaco cum omnibus appendiciis ſuis, ſcilicet aquis currentibus, cæteriſque quæ iure hæreditario in allodio poſſidebant, ipſi eam dederunt, & vendiderunt beatæ memoriæ Artaldo Abbati & Eccleſiæ Vizeliacenſi, ac ſuper altare BB. Apoſtolorum Petri & Pauli multis aſtantibus Deo & B. Mariæ Magdalenæ, atque ipſis Apoſtolis, cum omnibus appendiciis ſuis obtulerunt; quam terram Eccleſia Vizeli. per XL. & eo amplius annos iure hæreditario hactenus in pace totam ex integro abſque omni calumnia poſſedit. Latrones verò in publica via captos ibidem ſuſpendit, & de cæteris malefactoribus iuſtitiam fecit, & ſi quid ibi inuentum fuit ſine violentia quietè habuit. Terra porro de Priſſeïo fuit allodium Ducis Burgundiæ quam quidam milites ab ipſo tenebãt, qui eam B. M. Magdalenæ dederunt, ac vendiderunt. Ab illo itaque tempore vſque nunc & Eccleſia & Abbas Vizel. in pace ſine aliqua interruptione totam ipſam terram, & viam publicam intus villam & extrà, cum viis publicis & ſemitis tenuit & poſſedit. De qua re & aliis ſupradictis Abbas plurimos teſtes habuit & nominauit; Martinum ſcilicet & fratres eius de Priſſeio, & multos alios in villa viuentes, qui dixerunt ſe in ſtrata ſex latrones falſam monetam deferentes comprehendiſſe, & Vizeliacum pro iuſtitia facienda Præpoſito reddidiſſe. Inſuper bouem vnum in via publica ſine Domino inuentum Renaldo Monacho de Priſſeio, qui eo tempore ibidem morabatur, ſicut ius Eccleſiæ reddidiſſe. Quæ omnia ſine dilatione prædicti viri parati fuerunt probare. De aliis verò

* Vergico.

Digitized by Google

ſtratis, ſcilicet de Fontaneto, & de Craïa, & de Monte Tirohet, & de cæteris Vizeliacum vſque tendentibus, Abbas reſpondit, quòd anteceſſores ſui iuſtitiam earum ſine querela diu multúmque tenuerant, quia & ipſæ ſtratæ per viam Eccleſiæ tranſeunt, de quibus omnibus multos teſtes habuit, Guinimerum olim Decanum, Girardum Decanum, Hugonẽ Præpoſitum, Renaldum Dautran*, Renaldum de ſancto Chriſtophoro, Guilelmum de Ponto, & fratrem eius Ionam, Arnulfum de Ferrariis, Rotbertum de Monterohillone, Guidonem Foreſtarium, Durannum de villa Lohet*, Durannum de Chaſteneto, Conſtantium Præpoſitum de Fontaneto; Stephanum Præpoſitum de Blanniaco, Aimonem Nummularium, Bonum amicum de Caſtro Cenſorio, Gofridum Bertinum, Blâchardum de Sarcitorio, Stephanum Beurandum, Odonem pulchræ ſimilitudinis*, & multos alios. Quæ omnia à Summo Pontifice in perpetuum tenenda confirmata ſunt, & ne ab aliquo ſuper his Eccleſia vel Abbas moleſtentur ſub anathemate interdictum. Hæ fuerunt querelæ Comitis, & hæ repulſiones earum Abbate refellente.

* de Altrãno, id eſt, de altero anno.

* de villa Lupuli.

* *Belleſembl ance.*

Abbatis obiectiones, & Comitis reſponſa.

Post hæc conqueſtus eſt Abbas de prædicto Comite, quia per viam publicam ab Altiſſiodoro vſque Vizeliacum inſtitores & mercatores omnes auertebat, & Vizeliacum ire non permittebat. Comes reſpondit, quia olim ſic fecerat, nec ab aliquo Abbate interpellatus de hac re fuerat. E contra Abbas dixit, quia ſtrata quæ Vizeliaco tendebat æquè erat regalis, publica, antiqua via ſicut Niuernenſis, ac ſecurior, & iniuſtum erat vt itinerantes reuocaret à via quæ ſibi facilior & melior videbatur, cùm plures orationis causâ magis quàm negotiationis ibi conuenirent. Iterum Abbas conqueſtus eſt de Telonearijs Comitis, qui aſſiduè homines ſuos per Altiſſiodorum tranſeuntes deprædabantur, dicentes quòd Abbas in tribus feſtiuitatibus, ſcilicet Paſchæ, & Pentecoſtes, & B. M. Magdalenæ, eos cum omnibus ſociis ſuis procurare deberet, & vnicuique ceram pondo vnius libræ pro pedagio vini Altiſiodorenſis, quod emere ſolebat, dare. Reſpondit Comes quòd prædicti pueri ſui hanc cõſuetudinẽ ab Abbate Renaldo conſtitutam in Eccleſia habebant. Abbas ad hæc dixit ſe neſcire hanc conſuetudinem, ſi verum erat, tamen

consilio Capituli factum non fuerat, ac per hoc nec ratum nec stabile esse potest, vel debet.

Filij Comitis vnà cũ Rege Ierosolymam proficiscũtur.

Igitur postquam signum Dominicæ crucis Rex piissimus Ludouicus Iunior Hierosolymam profecturus suscepit, plures facti huius famâ & exemplo incitati, transmarinam peregrinationem arripuêre : inter quos etiam duo filij Niuernensis Comitis, videlicet Guilelmus & Renaldus, comitatui regio se se coniungentes, eandem profectionem susceperunt. Ipse quoque pater eorum desiderio alterius priorem vitam commutans, habitum religionis & vitæ finem apud Cartusiam accepit. Sed quia venerabilis dilectricis atque famulatricis Dei M. Magd. sepulchrum glorioſum & religione sanctissimum iniustè vexando afflixerat, pœnam criminis ipse à cane deuoratus excepit, & iniustitiæ vindictam suis reliquit hæredibus. Nam Renaldus captiuitatis miseriam turpiter sortitus, seruituti barbaræ gentis infœliciter addictus est, vt pater, qui Vizel. Ecclesiæ libertatem deprauare tentauerat, seruitutis experiretur opprobrium in filio. At verò Guilelmus paterni Consulatus hæres & sceleris, cùm ab Hierosolymis reuertens naufragium pateretur, de salute propria periclitabatur. Rebus autem expositis, cùm iam in articulo mortis omnibus constitutis à circunstantibus moneretur, vt quæ pater illius contra ius fásque in Vizel. Monasterio vsurpando sibi vindicabat, pro communi salute sui & suorum remitteret, vix tandem vrgente periculo cessit, & iureiurando sub testificatione deouit, nullas deinceps procurationes..... Paschæ & transitus B. M. Magdalenæ solemnitatibus se repetiturum in Monasterio. Nec mora, mira Dei virtute, ipsa eius dilectrice B. Maria Magdalena suffragante mirabiliter ab anguſtijs præruptæ rupis quò nauis inciderat, repente eripitur, & turbido æquore transmeato, quieto littori redditur.

Comes ipse habitum monasticũ Carthusiæ induit, post à cane deuoratur.

Ereptus Comes Niuern. è naufragio votum soluit in Vizel. Capitulo.

Interea præclarus Abbas Pontius terram ac familiam prædicti Niuernensis procurabat, atque ab incursantibus vndique defensabat: tum quia Monasterio suo eatenus prospici sperabat; tum quia idem Guilelmus cognationis affinitate sibi coniunctus extabat. Quem reuertentem ab Hierosolimis naufragum excepit, & occurrens ei honorificè à penuria,

Digitized by Google

qua grauiter premebatur, ſufficienter releuauit. Incolumem denique familiam cum totius immunitate poſſeſſionis ſuæ illi conſignauit: nec multò pòſt etiam inimicos illius cum ſatisfactione in gratiam reflexit. Inuitatum deinde Vizeliaco coram Fratribus vocauit, & vt quod fecerat votum perſolueret Deo, monuit. Paruit ille in facie, quamuis dolos verſaret in mente. Capitulum ergo ingreſſus Fratrum, naufragium ſuum illis expoſuit, quòd B. M. Magdalenæ interuentu liberatus ſit, confitendo abſoluit, votum quod ob gratiarum actionem fecerat, expediuit, & à patre vſurpata ſalaria, vel cibaria, concedente vxore ſua, & filio ſuo Guillelmo, præſentibus innumeris, remiſit, conceſſit, confirmauit. Cúmque multa ſibi bella increuiſſent, aſſiſtebat ei in omnibus, & auxiliabatur Abbas Pontius, ſperans mitigare ſe poſſe feroces animos, & procliues atque præcipites ad vſurpandum ius alienum; & cùm totis animis flagraret ad impetendam Eccleſiam, reprimebatur tamen nimijs cognati beneficijs, quibus obſequentem verebatur impetere aliquibus præiudicijs. Vnde cui pro natura vitium inerat, toto ſpiritu ſuo meditabatur quoquomodo inuenire poſſet occaſionem calumniandi Eccleſiam vel Abbatem. Viri autem iniquitatis, quorum cor clibanus erat impietatis, dolentes ſe amiſiſſe maximos quæſtus ſuæ libidinis, quibus fruebantur in comeſſationibus quæ Comiti frequenter Vizeliaco exhibebantur, pronum ad omne malum circumueniunt animum Principis, & vt detrimentum, quod ſua ſponte admiſerat, renouatione ſiue commercio alterius litis recompenſaret, ſuggerunt.

Hugo de S. Petro auctor perſecutionis in Monachos Vizel. actæ

Erat autem Vizeliaco quidam qui dicebatur Hugo de S. Petro aduena, genere & moribus ignobilis, quem natura inopem protulerat, ſed manus arte docta mechanica locupletem effecerat. Is vt erat acer ingenio, & in omni verſatus nequitia, Comitem modò muneribus illiciebat, modò fraudulentis ſpebus animabat, quatenus extorqueret ab Eccleſia ius iuſtitiæ ſeu iudicij dirimendi vel examinandi cauſas hominum Vizeliacenſium. Sperabat enim nefandiſſimus homo toti ſe principari vico, ſi per gratiam tyranni iuris iudicij ſibi daretur optio: quare nonnullos prauitate ſui ſimiles clandeſtinis conciliabulis huic malignitatis propoſito ſibi aſſocia-

Digitized by Google

bat, vt ſub ſpecie libertatis proditionem meditarentur, & obtentu pietatis dolos machinarentur: affluentia ſiquidem rerum ſemper apud degeneres animos inſolentiam parit. Dúmque plus quis cenſu poteſt, quàm alter naturâ, regiis etiam natalibus ſeſe præfert, & oblitus ſui inanè erigitur, dum occulta conditione ſuperbus incedens priuatis gloriatur. Monachus ergo quidam de Monaſterio Vizel. dum poſſeſſiones circuiret Eccleſiæ, contigit eum in quodam nemore, quod erat iuris Eccleſiæ, deuenire, & cùm inueniſſet quendam vetitum nemus præcidentem, ſecurim pro vade voluit ab eo auferre; ſed conuerſus ille Monachum grauiter cecidit, & circumuentum ab equo cui inſidebat, deiecit. Tunc Monachus acceptâ iniuriâ dehoneſtatus ad propria rediit, & illatam ſibi contumeliam clientibus Monaſterij aperuit. At illi tantam indignitatem non ferentes nocte veniunt ad domum hominis, & effoſſis oculis illius, noctem ei intulerunt perpetuæ cœcitatis. Quod factum cùm reſciret Comes diſſimulato gaudio quaſi nactæ oportunitatis calumniandi, perditionem minatur huiuſce rei factoribus; diúque conceptam in corde nequitiam pedetentim parturiens, renouare diſpoſuit quam pater ſopitam reliquerat litem.

Superueniente itaque Beatiſſimæ dilectricis Dei Mariæ Magd. feſto ſolemni, cùm in hoſpitio Monaſterij ex more conſediſſet, ſeruos ſuos iuſſit ſtare præ foribus, quatinus ſi fortè viſitaturus illum Abbas aduenisſet, ab ingreſſu eum prohiberent. Qui factis iuſſa complentes aduenienti Abbati obices ianuas clauſerunt, Comitem eſſe in conclaui deintus reſponderunt. Repulſus Abbas ſuſtinuit & hanc cum patientia cõtumeliam, & ſuſpectus ingrati hominis nequitiam: vtrobique liberum gerebat animum. Exiſtente autem Comite apud Cluniacum, ingreſſus eſt ad eum Abbas, causámque oſtentatæ indignationis requiſiuit ab eo, quo prætendente orbati hominis calumniam: non eſſe iuris illius hominem Abbas reſpondit. At ille filiolum ſuum hominem eſſe dixit, hoc eſt ab vtero matris denominatum. Arridens Abbas quaſi ludo, vtrum ius iuſtitiæ ab eo dignaretur accipere requiſiuit, quo negante, vtrum etiam per manum amicorum & domeſticorum ſuorum, & illius in concordiam rediret, identidem rurſus

Digitized by Google

ſus requiſiuit. Idipſum eo renuente, interrogauit iterum Abbas, vtrumne neceſſariò ſibi incumberet, vt ſe ſuáque ab eo obſeruaret. Reſpondente illo ſic ſibi opus eſſe, diffidatus Abbas ab eo receſſit. Miſitque Comes ſatellites ſuos in quandam poſſeſſionem Monaſterij, & deprædatus eſt eam abductis animalibus & ſpoliis multis. Obſecrante proinde Abbate, vt ablata ſibi concederentur; tunc tandem hactenus abſconſum virus Comes effudit, & vt Abbas in Curia eius de quibuſlibet ab eo vocatus iuris iuſtitiam exequeretur, expetiit. Abbas reſpondit contrarium aduersúmque omninò eſſe tam diuinis legibus, quàm Eccleſiæ moribus, necne etiam Apoſtolicis Decretalibus quod expoſtulatur. Et turpe atque indecorum, inquit, mihi eſt, vt libertas Monaſterij quæ per multa tempora ſub diuerſis Patribus florens, hactenus etiam impræſentiarum viget, per eam quæ ab te mihi eſt cognationem ſeruituti addicta depereat. Nec tantùm affinitati, ſed & naturæ inimicatur quod intendis, dum diuina iura homo tibi ſubdere moliris, quæ me cognato & parente tuta illibatáque conſeruare & augere debuiſſes. Quàm verò inhumanum ſit beneficiis talem viciſſitudinem rependere, coram eſt inſpicere, dum tibi deferenti honorem & munificentiam, ſempiternum mihi præſtare contendis opprobrium. Veruntamen cùm de cætero gratum tibi ſpondeam obſequium, ſed in hac expoſtulatione ſcias me nullatenus tibi ceſſurum.

Deprædatur Comes bona Vizel. Monaſterij.

Qvo audito tyrannus accenſus eſt nimis & multa interminando, grauiora inferendo, excidio Eccleſiæ totus incubuit: aduerſus quem Romanum per internuntios interpellat Abbas ſuffragium. Interim mediantibus amicis pro pace Comiti ſupplicat; Comitis malignitatem ſeſe immeritum perorat, concordiam ſaluo iure priuilegiorum & dignitate Eccleſiæ repræſentat: proinde multorum magnorúmque Optimatum, pluribus in locis colloquia multa, variæque verſantur ſententiæ. Attamen amicitiæ nuſquam procedit pax, quoniam diſcurrit vbique diſcordiæ fax. Vt ergo cognouit tyrānus quòd Legatos ſuos Romam Abbas miſiſſet, protinus miſſa expeditione per prædia & poſſeſſiones Monaſterij Vizeliacenſis, vbicunque in Niuernenſi ſeu Altiſiodorenſi pago aliquid Eccleſia iuris habebat, totum inuaſit, diripuit, abdu-

Conciliare ſibi animū Comitis omnē impēdit induſtriam, ſed fruſtra.

Digitized by Google

xit, ſpoliauit. Præpoſitos quoque, & ſingularum rerum Monaſterij procuratores, per ſacramenta pollicitæ fidei coëgit, quatenus in nullo negotio Monachis parerent, nec de aliqua ratione Abbati vel ſuis reſponderent. Satagebat quidem callida verſutia præuenire Abbatis Legatos, ſi fortè aliquod ceſſionis verbum vel ab inuito vtcunque poſſet extorquere. At ille prudenter vſus, rebus in periculo conſtitutis conſuluit, de competenti ſatisfactionem Comiti repromiſit, amiſſa recepit, eidem B. Iacobi oraculum adeunti dona & exenia multa largitus eſt. Sed quæ beneficiorum copia cupiditatis voracitatem opplere queat? nempe animus corruptus nihil aliud nouit quàm vel recta peruertere, vel de rectis praua coniectare.

REVERSVS denique Comes ab Hiſpaniis diem ex mandato Abbati ſtatuit, vt in eius præſentia de quibus foret interpellatus iudicium Curiæ principalis ſuſciperet. Enimuerò cui baculus Petri commiſſus fuerat, Petri conſtantiæ & magnanimitatis omninò expers eſſe non poterat. Igitur eo diſſimulante mandata tyranni ſtatim edicto propoſito denunciauit Comes, ne quis mercandi, vel viandi ſeu religionis obtentu Vizel. ingrederetur, né-ve ab Vizel. quiſpiã ad publicas nundinas, ſiue ad publicum commeatum prodiret. Quiſquis porrò conſtitutum temerare præſumeret edictum, prædæ omni occurſanti pateret. Taliter vicanis obſeſſis, cœpêre aliqui intrinſecus furtiuo murmure ſuſurrare, dicentes auctorem ſimul & cauſam malorum omnium eſſe Abbatem, qui & nouis & iniuſtis legibus eos premeret, & tyranni furorem, cuius infra terminos claudebantur, aduerſum ſe in interitum eorum concitaret. Fœlices demum ſe ac beatos fore prædicabant, ſi reiecto Eccleſiæ iugo ſeſe manciparent Comitis arbitrio. Tunc quippe & externos hoſtes non formidarent, & internos exactores velut exiguas muſcas à ſe abigerent; ſed & ſi opus eſſet cum Abbate iudicio æquipollenter contenderent, cùm plures fortiori innitentes paucorum & imbellium dominatione ſeſe eriperent. Nec latuit Comitem talia eos inuicem muſſitare, Hugone prophano impia conſilia ſibi perferente. Cuius amplexatus dolum quo inſtruebatur, quoniam ſi Vizeliaco veniret, & verbum de Ab-

Digitized by Google

batis desertione quasi tentando vsus temperanter ad vicanos haberet, non dubium quin potior & copiosior pars eorum sibi fauens protinus manum deditionis ei daret: recompensato fœdere, quo protectionem & auxilium suum eis vbique præstaret, venit Vizeliaco: cúmque in hospitio Monasterij ex improuiso descenderet, clam ad se Vicanos conuocat, desertionem illis suadet, secum eos agere contra Abbatem orat, dicens quòd se irato nusquam subsistere haberent, se pacifico nec etiam Dominum suum formidarent.

„ Videtis, ait, quoniam cùm sim legitimus aduocatus & „ tutor Ecclesiæ huius solus Abbas impedire communem ve- „ stri salutem contendit, dum præripiendo quod iuris est „ alieni, ius iustitiæ quidem à me repetit, quod ipse calumni- „ antibus me iudice vel aduocato exequi dedignaretur. Et „ quis tantam ferat arrogantiam, immò iniquitatem, quòd „ sua quis repetens aliena indiscussè detineat? quam verò „ causam habere possum in faciem diripientium bona vestra, „ iure ipsorum tyrannicè retento? Denique pluris est, inquit, „ aliquid posse, quàm petere iugiter. Quid autem & quan- „ tum, vel quàm latè nostrum valeat posse nihil experto „ euidentius argumento. At Monachorum preces & si quan, „ do repulsam non merentur, inefficaciâ sæpiùs diminuun- „ tur. Quorsum igitur vestra tendant vota, vestra interest. „ Nam nobis fauentes, & posse nostro communicantes, iam „ cassas Monachorum preces, & futile Abbatis auxilium „ non curabitis, tutum habentes ac liberum ingressum & „ regressum quaquauersus destinaueritis, perpetua potiti se- „ curitate tam vestri quàm bonorum vestrorum.

Suadet Comes Burgẽsibus Vizel. vt à dominatione Abbatis se subtrahãt.

Hæc dicens ac prorumpens in singultus, lacrymas fudit impietatis, quas hauriebat de puteo cœnulentæ cupiditatis. Quam malesuadæ suggestionis tentationem præcauens Abbas, cœtum conuocat Fratrum, & vt euntes prostrati solo tenus pariter Comitem deprecarentur, quatenus eorum misertus Ecclesiæ parceret, ammonuit. Obtemperantes filij monitis paternis, ad pedes tyranni relinquentes mensas pariter corruunt, & vt sibi immò Ecclesiæ amore Dei, & eius Dilectri. is reuerentiâ parceret, suos vel Ecclesiæ homines ne seducendo peruerteret, suppliciter efflagitant. Quibus ille

Vizeliacẽses Fratres Comitem vt à cœptis desistat, exorant.

Digitized by Google

colubrino corpore, non columbina mente è contra deiectus reſpondit ſe nihil aliud ab eis requirere, præter quod ius proprium repetentes, itidem & ipſi per manum illius ius alienum exequantur. Et mirè (inquit) ſtupeo, cuinam æquitati aſcribatur tanta inſolentia, quòd me aduocato & iudice alios compellatis; ipſi autem aliis quoque compellantibus me itidem aduocato & iudice quod iuſtum eſt exequi dedignamini: nec verò homines veſtros vel ſeducere, vel reuocare à vobis, vt dicitis, ſtudeo; ſed quos de more & de iure meo vbique ab omnibus tueor ac deffendo, legitimo ac publico iudicio Curiæ meæ vel purgatos, vel iuſtificatos eſſe decerno: quiſquis enim, ait, quod ſuum eſt repetit, alieno æquè iuri cedere debet. Fratribus ad hæc reſpondentibus, iuxta conſuetum diu morem Patrum ſuorum, & ſtatuta Apoſtolica ſe nemini negare quod iuſtum eſt, tota ſubitò domus confuſo clamore repleta eſt. Iterum Fratres, quia feſti B. Mariæ Magdalenæ ſolemnitas inſtabat, Comitem deprecantur, vt vel aliquot dierum inducias ſibi concederet, quo publico concurſu feſtos dies peragerent. Quibus ille nec obſidione à ſe concluſos, nec captiuitati eos eſſe addictos, quò talia peterent, reſpondit: quia, inquiunt, prohibuiſti intentando ne quis ad nos externus accedat, néue noſtrum quiſpiam extra progrediatur commeatus gratiâ, miſera conditione immeritos nos eſſe obſeſſos proteſtamur. Vix tandem confuſus tantorum Fratrum precibus, octo dierum conceſſit inducias; atque illic ò abceſſit infecto proditionis negotio. Fratres autem tametſi non ſolito curſu, nõ minori tamen ritu dies feſtos peragunt. Quibus expletis, accerſito Altiſiodorẽſi Epiſcopo ad Comitem Abbas profectus eſt. Cui Apoſtolica mandata quibus pro terminanda calumnia Eduenſis Epiſcopi pergere iubebatur Italiam, ei innotuit. Orat deinde vt quemadmodum ipſo peregrinante iura illius ac ſi ſua, fideliter ſeruarat, & ab incurſantibus intacta defenſarat: Ita & ipſe cognati ſui Monaſterium cum appendiciis ſuis tueretur, & in fide ſua ſuſciperet, atque fideliter protegeret, donec à Roma rediret. Spondet præterea ſe ſuaſurum Domino Papæ vt Vizeliacenſem permittat ſubire audientiam Niuernenſis; quòd ſi fortè impetrarit, omnem peintus controuerſiam ſeſe

Digitized by Google

depositurum promittit. Vt autem istæ induciæ ratæ & inconcussæ persisterent, obtulit ei Abbas pecuniam sexaginta librarum monetæ publicæ.

Itaque tyrannus precibus flexus, sponsionibus illectus, muneribus actus, postulatas concessit inducias; & de cætero se se fidelem fore amicum pollicetur, si promissum effectus prosequatur. Et quia duplici animo nil facilius ad mentiendum, multa promisit quæ pauca seruauit. Tamen quia charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, fidei ipsius generosa simplicitas Abbatis se credidit. Profectus denique Romam, atque vniuersalem Curiam ingressus, adeò de calumnia Eduensis Episcopi coram Summo Pōtifice triumphauit, vt nec etiam pilus capitis eius quoquam fluctuaret deiectus, & Eduensem sic deiectum redderet, vt audientiam iuris iudicij subterfugiens, dilationem confusus deposceret. Post hæc Abbas ingressus ad Apostolicum, calumniam quæ eum & Monasterium Vizeliaci quod hactenus B. Petri proprium ius, & Romanæ Ecclesiæ liberrimum fuisset, Niuernensis Comes vexabat, exposuit. Et quoniam is nec Potentum precibus flectitur, nec amicorum suggestionibus inclinatur, nec obsequiis delinitur, nec muneribus reuocatur, nec Ecclesiastica censura coercetur; decernat, inquit, Apostolica prudentia quid facto opus sit, vtrum videlicet proteruię tyrannicæ Apostolica cedere debeat libertas, necne. Forsitan etenim exsaturata rabies inimici cupida, pacem ac perpetuæ tutelæ præstabit Ecclesiæ munimentum. Ad hæc Apostolicus: nequaquam, ait, imnò si Vizeliacensis Sacerdos forensi vel plebeio subiacuerit examini, non solùm quiete priuabitur Monasterium, sed etiam omnis Ecclesiasticus ordo extremæ confusionis nodo implicabitur. Monitum ergo corripiemus, & suadebimus vt iam semel fecimus, quatinus ab hac desistat insolentia; denunciantes vt si quid iuris in Monasterio tuo sibi competere autumat, sub datis à nobis iudicibus sua recipiat, aliena linquat. Qui si fortè nostram pietatem contempserit; ecce chamus, ecce frænum, ecce Petri gladius, quo auricula contumaciæ præcidatur. Tuam denique solertiam auctoritate Apostolica præmunitam esse volumus, ne de rebus Monasterij, scilicet de iure B. Petri, cuiquam in

Inducijs ab Comite datis Romam Abbas proficiscitur, vbi de Eduensi Episc. triumphat.

Fortiter animo aduersus Comitem monet Pontifex

Digitized by Google

aliquo cedas, neve ingenitam atque Apoſtolica gratia cumulatam Eccleſiæ libertatem qualibet puſillanimitate prodas. Quamuis enim longè remotum non minori gratia te pro iure Apoſtolico vigilantem habebimus ſollicitudine & auctoritate qua decet filium.

Apoſtolica ſcripta ſpernit Comes, inſtigatque in Monachos Burgundiæ Primates.

Talibus Abbas inſtructus monitis valedicto Curiæ ad Monaſterium ouans reuertitur. Cúmque Apoſtolica monita Comiti dediſſet, ſpreuit, reſpuit, abiecit, nil ſe illi debere à quo æquè nil poſſideret, reſpondit. Requirebat deinde ſi iuxta promiſſum audientiam & executionem iuris iudicij Curiæ ſuæ ab Apoſtolico impetraſſet. Saluaui (ait Abbas) verbum oris mei, ſed prohibitus ſum voto parere. At ille ſtomachatus, & felle permixtus, rurſus Vizeliacenſem commeatum ius prodeundi & ingrediendi habere prohibuit; & veritus per ſeipſum Monachis bellum inferre, Satrapas inſtigat Prouinciæ, videlicet Gibbadum de ſancto Verano, Iterium de Briuate, Gofridum de Arſeio, & eorum complices, quatinus Vizeliaci homines quaqua verſus occurrerint, inuadant, res illorũ occupatas vſurpent, Monaſterio non parcant, poſſeſſiones diripiant, calumniam Abbati ſtruant, ſuámque inopiam Eccleſiaſtico penu ſuppleant. Iſti itaque ac ſi canes effuſi prædia Monaſterij inuaſerunt, Monachos cæciderunt, veſtibus eorum ablatis turpiter abuſi ſunt, omnémque ſuppellectilem diripientes, tam ſeruos quàm iumenta vel pecora Eccleſiæ deprædati ſunt. Nulla religio ab eis reuerebatur, ſed paſſim Clerici cædebantur, Sacerdotes inhoneſtè trahebantur, viantes ſpolijs nudabantur, peregrini captiuabantur, nobiles matronæ proſtituebantur. Quocirca mira conſideranda eſt Vizel. Eccleſiæ patientia, mirabilior prudentis Pontij Abbatis ſtrenuitas atque magnanimitas. Hinc ſiquidem Niuernenſis Comes, illinc Eduenſis Epiſcopus, hinc tyranni, illinc Duces terræ vno impetu, vno ſpiritu, vno interuentu, quaſi feræ beſtiæ hinc inde diſcurrebant, Abbatem laceſſebant, Eccleſiam vexabant, atque adeò iura illius lacerabant, quòd totum cederet occupanti quicquid hoſtili occurreret manui. Verùm generoſitas mentis ingenuitate nobilitatis adornata, tantò æquiùs indigna ſuſtinebat, quantò nequiùs mala ſibi irrogari perpendebat.

Digitized by Google

Conſiderans itaque Abbas quòd vndique mala multiplicarentur, venit ad Regem auxilium petens ab eo aduerſus Comitem. Qui vocatus à Rege ſic reſpondit: Aduocationem ſiue tuitionem Monaſterij Vizel. cum contingentibus ſibi vſibus, pij patris veſtri ac veſtræ conceſſione ſerenitatis & gratia hactenus à patribus & proauis meis iure matrimonij abſque vllius reclamationis contradictione vſque inpræſentiarum teneo ac poſſideo. Quâ verò ratione ius tanto tempore à patribus meis hæreditatum mihi calumnietur prorſus ignoro. Reſpondens Abbas dixit: Eccleſia Vizeliacenſis ab inclyto Gerardo Comite nobiliter fundata, nobiliùs ab eodem attitulata BB. Petri & Pauli Apoſtolorum nomini adſcripta, iuri aſſignata, regimini credita, protectioni commiſſa; ipſo etiam pio Comite Gerardo interueniente, Francorum excellentiſſimorum Regum tali meruit donari priuilegij prærogatiua, vt omnibus remiſſis quæcunque ius regium ab antiquitus ibidē obtinebat, nulli poteſtati ſeu perſonæ cuicunque pateret facultas cuiuſlibet iuris aut conſuetudinis, pro qualibet pietatis muneríſve ſpecie ſeu occaſione exigendi, ſed ab omni ſeruitutis conditione libera, exhibitioníſque exactione perſiſteret. Quod ita eſſe pij proaui veſtri Ludouici priuilegium quod præſto habemus, ſi veſtra dignetur audire ſerenitas, comprobabit. Perlecto priuilegio quærebat Rex ab Abbate, vtrum ſeſe committens regio examini, ſententiam ſuper hac calumnia promulgatam proſequeretur. Perpendens itaque Abbas infenſam ſibi Curiam partibus fauere aduerſis, timuit ſeſe commitere dubio iudicio ne præiudicium pateretur Eccleſia, quæ ſolo iudice Petro, adhuc paululum reſpirabat: Celſitudinem denique Regiam exorauit, vt tyrannum ab infeſtatione Vizel. Monaſterii deſiſtere iuberet, & iusiudicij per manum Apoſtolicæ Sedis Legati, vel eorum quibus à Domino Papa commiſſum fuerat, ſuſciperet. Quæ cuncta Comite cū ſubſannatione renuente, valefaciens Abbas Regi ad Monaſterium ſuum reuerſus eſt. Et cùm audiſſet quòd Ioannes Rom. Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis, cui Apoſtolicus cauſam controuerſiæ Vizel. & Niuernenſis commiſerat, expleta legatione ab Anglia rediret, miſit in occurſum illius, rogans vt

Exhibet Abbas Regi Priuilegia Vizel. eiuſque implorat tutelam.

quantociùs veniret, quoniam Vizeli. Ecclesia omni auxilio destituta, iam propè solitudinem minabatur. Qui accepto nuntio accelerat pedem, & vtrique mandat, scilicet Abbati & Comiti, vt sibi occurrant Altisiodoro. Audiens autem ille Ioannes, quòd Iordanus Cardinalis datus esset Gallicanis Legatus, scribit ei vt festinatò Vizeliacum veniat, & festum instans B. M. Magdalenæ pariter ibidem concelebrent. Et cùm Altisiodoro vterque præsente Abbate & Comite adsisteret, hortabatur clementer Comitem & affabiliter Legatus, vt sopitâ calumniâ pacem faceret cum Abbate, ne Vicarium Christi persequendo & Petri, Deo inimicari conuinceretur, ac per hoc persecutoris Ecclesiæ Sauli similis existeret. Quin etiam si nostri, ait, contemptor extiteris, nec etiam Sauli imitator dignus inueniaris: quoniam ipse vt corripientem expertus est, protinus Magistrum secutus est. Sed cùm Comes pia monita contemnendo dissimularet, quia rursus à Vizeliaco publicum commeatum vel accessum prohibuerat, petiuit ab eo Cardinalis inducias, quatenus B. M. Magdalenæ solemnia festiuo cultu atque publico concursa more debito celebrarentur, quibus vix ad Octauas vsque impetratis, Vizeliacum venerunt Cardinalis Ioannes & Abbas Pontius, veniénsque Iordanus Cardinalis Galliarum Legatus pariter cum eis dies sanctos peregit.

Interea Comes regressus à Rege, descendit & consedit in loco campestri vbi Rex peregrinaturus crucis Christi trophæũ sustulerat, atque adunata potiori parte hominum Vizeliacensium, & profusis impuris lacrymis ab oculis cupiditatis simulata compassione exactis, sic profatur ad eos: O viri illustrissimi multáque prudentia famosissimi, ac fortitudine strenuissimi, sed & propria virtute acquisitis opibus locupletissimi, doleo satis admodum miserrimam conditionem status vestri; quoniam multarum rerum possessores quidem specie, reuera autem nullarum, domini effecti estis, quin nec ipsa vestra ingenita libertate vtcunque fruimini. Videns denique optima prædia, vineta pulcherrima, copiosa flumina, pascua vberrima, fertiles agros, nemora condensa, pomifera virgulta ædes conspicuas, quæ ipso situ suo in circuitu vestro sunt omnia, nec tamen fruendi eis vobis conceditur vlla facultas:

Comes auertere conatur subditos Vizel. à subiectione.

Digitized by Google

mei & matricis Eccleſiæ veſtræ proditores fieri non vereamini; ſolus, licet gemens, licet confuſus ſuſtinebo, & Eccleſiæ detrimentum & interitum veſtrum, ſcilicet vobis & filiis veſtris perpetuò pœnam proditionis luentibus. Quòd ſi ſanis acquieſcentes conſiliis prudenter pro vobiſmetipſis ſteteritis, atque iuratam fidelitatem ad me & ad Eccleſiam quæ ſuo lacte vos enutriuit & educauit indubitanter ſeruaueritis, & mecum contra omnes infectantes pro libertate & ſalute, necne pro gloria & honeſtate veſtra cõſtãter egeritis, libentiſſimè pro vobis impendar, nihil hæſitans quòd proſpera ſecundis ſuccedent caſibus, & poſt multas tribulationum calamitatúmque procellas, pacis quandoque donabimur ſerenitate. At illi dixerunt: ita eſſe vt aſtruis omninò credimus & ſperamus. Sed enim renunciare liti, cedere aduerſario, inire pacem cum eo, conſultius nobis eſſe videtur. Sin autem & aliter eſt in conſpectu tuo, tui pro certo ſumus erimúſque. Nec dubites quin tibi vt fideles tui vbique in omnibus ſinceriter adſiſtamus. Reſpondit eis Abbas: Iis equidem nulla mihi eſt penitus, ſed ſola litem inferenti reſponſio vel defenſio. Porrò aduerſario cedere demẽtiſſimæ eſt in præſenti cauſa ignauiæ, ac per petuæ confuſionis chirographum. Pacem denique tam prece quàm pretio vel obſequio ſæpe quæſiui, ſæpiùs obtuli, ſæpiſſime exegi, ſed à filio diſcordiæ non potui pacem impetrare. Si ergo vt dixiſtis, pro communi ſalute ſteteritis, ego quoque operam meam pro ſalute veſtra ac libertate ſpondeo ſimúlque vobiſcum omne infortunium cæcámque fortunam virtute ac iuſtitia fretus ſubibo.

Cõſpiratio iuuenum contra Abbatem.

Hæc dicens dimiſit eos. Et ecce affluxerunt viri nequam, effundentes diu reconditum virus in latebris fæuæ conſcientiæ; aggregatáque ſibi maxima ſceleratorum iuuenum multitudine, pacti ſunt ſibi mutuò fœdus ſceleratæ conſpirationis aduerſus æquiſſimi moderaminis & ingenitæ pietatis Dominum ſuum, hactenus ſimulatam fidem prodentes, & à matre ſua Eccleſia ſeſe præcidentes, & conuenientes ad præfixum diem & locum, confœderati ſunt Tyranno, legitimo Domino ſuo abiurato, paciſcentes ad inuicem per manum tyranni execratam communiam, & conſpirantes contra caput ſuum, vt iugum libertatis Eccleſiæ à ceruicibus ſuis re-

Digitized by Google

ijcerent, & Comiti adhærerent: quique iurauit illis conſilio & auxilio nunquam vel nuſquam aduerſus quenquam, vel negoto in quoquam ſe defuturum. Conſtituitq; e illis Principes vel Iudices quos & Conſules appellari cenſuerunt. Quod factum non latuit prædictum Dominum Abbatem, ſed nec Cardinales, quos ad feſtum adſcitos eſſe dictum eſt. Ingreſſi denique maiores natu, quique capita populi eſſe videbantur ad Cardinales, freti auctoritate perfidiæ ſuæ poſtulabant remitti ſibi quaſdam conſuetudines, quas nouitatis & tyrannidis eſſe dicebant: quibus Cardinales reſponderunt: Quoniam & vobis æque vt filijs Romanæ Eccleſiæ ſollicitudinis noſtræ curam debemus, prono affectu ſuadebimus Abbati, quod & paci & vtilitati veſtræ, atque honeſtati & integritati conuenire videbitur. Scimus autem eum tantæ manſuetudinis eſſe, quòd irretractabiliter noſtris obaudiens monitis, clementer indulget * quicquid ratio æquitatis dictauerit. Attamen nunc in periculo mortis pro communi libertate & ſoſpitate veſtra conſtituto, fidem neceſſe eſt ei deferatis auxilij per omnia, & collaboretis illi pro vobis ipſis; quoniam res conſtat in periculo omnium veſtrum. Si quid autem, quod minimè credimus, conſpirationis ab aliquibus veſtrum in Dominum veſtrum Abbatem admiſſum, hoc primitus abiuretur, purgetur, emendetur: & ſic poſtmodũ quicquid natum fuerit iuſtæ querimoniæ, ſaluo iure Eccleſiæ ſedabitur. Abbas quoque locutus eſt ad eos: Videtis, inquit, quàm grauiter opprimor & inſector à Comite, cui & manum dediſtis in perniciem veſtram aduerſum me mutuò conſpirantes. Iniquum ergo eſt quod improba fortitudine confœderati remiſſionem expetere potiùs quàm depoſcere videmini, quam non tam remiſſam, quàm extortam vel exactam vobis habeatis. Verùm ſi funditus relinquatis quod malè pacti eſtis, non tantùm remiſſionem, ſed & condonationem, vti noſtram manſuetudinem decet, merebimini. At illi conclamantes, non ita ſe facturos dixerunt, ſed potiùs rebellionem Eccleſiæ illaturos ſe ſe dixerunt,

Cardinales deterrere illos conantur à cœptis.

* indulgebit.

Itidem Abbas.

Cardinales diſcuſſa perperam cõtrouerſia & à Comite repulsã paſſi abeũt.

Porro Cardinales exorabant Comitem vt ſopita diſcordia, iracundiam animi ſui remitteret. Ille autem diſſimulabat eos audire. Cúmque diu orantes perſiſterent iurauit ſe

nullam penitus admiſſurum concordiam, donec omnia quæ iuris ſui eſſe dicebat, reciperet. Tunc demum Abbas conqueſtus eſt in præſentia Cardinalium de malefactoribus ſuis Gaufredo videlicet de Arſeio, & alijs quos ad deſtructionem Eccleſiæ Comes impellebat. Quo reſpondente homines illos nec de familia, nec de militia ſua eſſe, atque ideò ex proprio voto, & non ex ſuo impulſu calumniam eos Abbati inferre. Decreuerunt Romanæ Eccleſiæ Cardinales vaſtatores Eccleſiæ gladio anathematis ferire. Reſtitit eis Comes, dicens homines ſuos eſſe, quos ad iuſtitiam exequendam paratos haberet, ſi ſibi & ipſis Abbas ad interpellata reſponderet. Et conſtituta die ad diſcernenda ea quæ Comes in calumniam deducebat, apud Iabliacum nono die à Vizeliaco Cardinales egreſſi ſunt cum magno tremore, medium Abbatem deducentes ob infidelium conſpirationem, qui mortem illius deuouerant. Et cum Iabliaco veniſſent, iuſſerunt Cardinales vt cauſam ſuam Comes ediceret. Quam cùm referret, exigebat ab Abbate, vt tam de ſe quàm de hominibus Vizeliaci ſtaret ad iuſtitiam ab ipſo vocatus in cauſam. Cardinalibus & cæteris prudentibus viris qui aderant non eſt viſum quod talia ab Abbate exigi deberent; oblata eſt Comiti iuſtitia ſecundum tenorem Apoſtolici præcepti. Ille autem iuſtitiam vt iniuſtus, & iudicium vt iniquus recuſauit. Lectæ ſunt literæ Apoſtolicæ in præſentia eius, quibus ſententia excommunicationis in eum ni reſipiſceret, promulgabatur. Quibus auditis indignatus eſt, & Cardinalibus conductum per terram ſuam diu negauit. Vix tandem obtinuerunt illuſtres perſonæ quæ aderant, vt eis conductum permitteret. At verò Abbati non niſi vſque Vizeliacum dextras fiduciæ dare voluit. Cuius non fuit conſilij eò pergere; quoniam perfidi homines ſui aduerſus eum conſpirauerant. Quem aſſumens Epiſcopus Niuernenſis præcepto Cardinalium ex parte Apoſtolica ab Eccleſia Iabliaci eum deduxit, & ad portum vſque ſancti Maioli perduxit. Quo permeato ad Montetum Abbas diuertit, & fuit ibi per dies aliquot.

Vizel. Burgenſes adhærent Comiti.

Proditores autem viri Vizel. ſacrilegium periurio addentes, Comiti adhæſerunt, & obliti factoris ſui qui mendicos & egenos eos locupletauerat, & bonis omnibus repleuerat

inopes & vagos : obliti, inquam, Dei, & auertentes ſe ab eo, coluerunt Deos quos ignorauerunt, colla ſubmittentes Comiti, & cæteris tyrannis prouinciæ ſeſe ſuáque illis dedentes, & fornicantes in ſuperbia oculorum ſuorum, quantum in ipſis fuit commaculauerunt ſemen ſanctum, adulterantes caſtitatem incorruptæ Eccleſiæ. Ipſe quoque tyrannus præter omnia mala quæ Monaſterio intulerat auferendo quæcunque extra opidum reperta ſunt atque alia multa immanitatis & fæuitiæ plena inferendo : addidit inſuper & hæc, ſcilicet vt deſertores Dei & Eccleſiæ contra omnem iuſtitiam, contráque priuilegia Apoſtolica ſuſciperet, & ipſe ad hoc eos varijs promiſſionibus ac blanditijs impelleret, ipſe minis & terroribus irritaret: Promittendo inſuper nunquam ſine ipſis pacem ſe facturum cum Abbate, nunquam ad concordiam Abbatis conſenſurum. Huius itaque freti auxilio, & conſpirati conſilio, egreſſi ſunt mures de cauernis ſuis prorumpentes, torrentes Belial, & inſurrexerunt in Eccleſiam matrem ſuam, & quaſi abyſſus circumuallauerunt eam & tanquã pelagus cooperuerũt caput eius oppidani vel qui dicuntur Burgenſes, vtique ſui ipſius quondam ſpecie tenus filij, nunc facti alieni, & tanto grauiores quantò interiores. Et cognito quòd clam ab eis declinauerit Abbas, mox ſacro-ſancto violato templo, occupauerunt turres eius ponentes in eis cuſtodes, & eſcas & arma, atque grauioribus peiora cumulantes, ſeruos Dei Monachos & Dominos ſuos turpiter iniuriauerunt, & bonis omnibus priuatos, atque omni humano deſtitutos auxilio, infra muros Monaſterij recludentes abdiderunt, vt abſque externo conductu quoquam progredi nemini liceret. Præterea inuaſerunt colonias etiam Monaſterij iura ſiue debitos redditus vſurpauerunt, domos plurimas Eccleſiæ diruerunt, prædia, molendinos, omnemque ſuppellectilem diripuerunt, mobilibus & immobilibus furiâ inuecti non pepercerunt, mœnia vel clauſuras Monaſterij ſolo tenus confregerunt, & erant per dies & noctes conſilia in conciliabulis malignantes, dolos & fraudes atque inſidias concinnantes, vnanimiter conſpirantes, & malis grauiora, grauioribus peiora quotidie interminantes.

Oppidani Vizel. omnia quæ Monaſterij erant, diripiunt, Monach. diuexant, euertunt, ædificia.

Interea vigilantiſſimus Abbas Pontius profectus eſt Clu-

niacum, vbi Cardinales & Legati Apoſtolicæ ſedis cum multis religioſis & honeſtis perſonis conuenerant. Cúmque nota feciſſet illis quanta mala prophani Vizeliacenſes Monaſterio ſuo intuliſſent, exorabat eos vt peteret à Cluniacenſe, fratre videlicet ſuo, quatinus vnam ſibi impertiret cellulam, quò tutò diuerteret, & pacem ſuam inueſtigaret. Qui compatientes afflictioni eius Cluniacenſem deprecati ſunt vt miſericordiam & compaſſionem præſtaret vterino fratri ſuo in maxima anguſtia poſito, eiusque exilium releuando Siluiniacenſe Monaſterium ad tempus vſque ſopitæ tribulationis clementer illi concederet. Annuens ille petitioni eorum ita ſe pollicitus eſt facturum in breui, explorato loco congruo. Poſt hæc Abbas Pontius ſuggeſſit germano & Maioribus Cluniacenſium vt facerent quatenus Cardinales ſententiam anathematis promulgarent ſuper ſacrilegos ac perfidos proditores ſuos Vizeliaci, & eorum fautores. Illis hoc ipſum detrectantibus & diſſimulantibus, viſum eſt Cardinalibus ita vt Abbas implorabat expedire.

Fertur in eos ſententia excommunicationis & interdicti.

Datâ ergo ſententiâ malefactores illos atque ſacrorum violatores, ſuique proditores, à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia Catholica, anathematis gladio præciderunt, & deprecatus eſt eos Abbas, vt cauſam ſuam ſicuti viderant oculis ſuis, & manibus ſuis palpauerant, Domino Papæ ex integro panderent, traditóque in manum eorum nuntio ſuo qui ſententiam vniuerſalis Pontificis ſuper Comitem referret, rediit ad Montetum habens libellum excommunicationis preditorum Vizeliacenſiũ. Quẽ poſteaquam Vizeliaco miſit, & ſententiam Romanorum promulgari iuſſit: conuenientes Sacerdotes pariter quadam in capella S. Petri ſuperiori coram omni populo expoſuerunt ſententiam, & illos qui deſignati erant ex nomine publicè anathematizauerunt: cæteros cum omni villa penitus à diuinis officijs & Eccleſiaſticis chariſmatibus interdixerunt, ſolo baptiſmate paruulorum, & confeſſione morientium indulto. Indignati ergo ſacrilegi aliqui in eum ſacerdotem qui ſententiam protulerat impetum fecerunt. Quorum primus fuit Odo de Palude, qui reiecto pallio quærebat lapides vt iaceret in eum; deinde Dauid Longabarba, & Robertus filius eius, qui ſoluens

Digitized by Google

pallium ſuum extraxit patinos ſuos vt Sacerdotem percuteret, & niſi quidam interueniſſent, in mille fruſta concideretur, qui fugiens ad altare vix euaſit manus impiorum. Sequenti denique die, cum ſublatis valuis aditum Eccleſiæ ipſius ſpinis obſtruxiſſet; incentores omnis malitiæ Hugo & Petrus, vterque de S. Petro cognominatus, abſtulerunt ſpinas & valuas reſtituerunt. De Eccleſia verò S. Stephani iniuriato Clerico, qui ſacrilegio eorum reſiſtebat, calicem, librum, veſtimenta ſacerdotalia tulerunt: poſtea cum magno ſtepitu furoris Clauſtra Monaſterij ingreſſi Priorem Hildinum adſiſtentibus quibuſdam Fratribus iniurioſe conuicijs laceſſebant, cauſantes de excommunicatione, atque cum multa arrogantia poſtulabant inducias, qui cùm nollet eis acquieſcere, vnanimiter reſponderunt, quia inquiunt, nos excommunicatis immeritos, faciemus vt excommunicati videamur. Decimas itaque & cenſum, ſeu alios reditus conſuetos, iam ampliùs vobis non perſoluemus. Adeuntéſque Comitem de ſententia conqueſti ſunt. Quibus ille: non poſſum, inquit, aliud: Ita etiam de me facient ſi voluerint. Dixerúntque vbi molemus, vel coquemus panes noſtros? Monachi enim nolunt molere nobiſcum. Ait illis: Ite & de lignis veſtris clibanum ſuccendite, & coquite. Si quis obſtiterit, viuum incendite: Sed & ſi Molinarius obſtat, viuum ſimiliter mola comminuite.

His & huiuſmodi animati reſponſis ad mala exageranda reuerſi ſunt; ita factum eſt, vt quicquid vellent damni, iniuriæ, aduerſitatis Monaſterio inferrent, pueros Eccleſiæ de domibus ſuis expellerent, verberibus afficerent, & cum magna iactantia ſe adeò afflicturos Monachos deuouerent, quòd abſolutionem ipſorum pedes requirerent. A poteſtate igitur Abbatis vel Eccleſiæ ſeſe penitus abdicantes, ſententiam ſuper eos datam tanquam pro nihilo habebant, & minime ab ingreſſu Eccleſiæ ſanctæ ſeſe cohibebant, cumulantes peccata ſua, nec Deum timentes, nec ſanctuaria illius reuerentes. De his omnibus & huiuſmodi pluribus conqueſtus eſt Prior in præſentia Comitis. Ille praua & peruerſa promittens, eos bene feciſſe reſpondit, & exaggerando prolocutus ſic dicebat: Vtinam Monachi omnes diſcederent,

Nihilidu-centes ſen-tentiam excommu. contume-lijs Mona-chos affi-ciunt.

Digitized by Google

& Mõnaſterium funditus eſſet dirutum ! quare excommunicauit eos ? & abſtracto pilo veſtis qua operiebatur, addidit : Si mons Vizeliaci totus in abyſſum vſque foret præcipitatus, pilum iſtum non darem. Vobis commendo theſaurum Eccleſiæ ſimul & oblationes cuſtodire, ne ille quicquam habeat vel ſuſcipiat, fortiter obſeruate : cuius gratia volo vt Burgenſes omnia diſſipent, omnia diruant, maximè illos qui de ipſius confæderatione ſunt. Accidit autem vt quendam ſub anathemate defunctum, ipſi abſque ſacerdote ſigna pulſantes ſepelirent, & ipſum Sacerdotem de domo ſua eiicerent,

Cùm igitur apud Montetum Abbas moraretur, & dictum fuiſſet Cluniacenſi, quoniam Vizeliacenſis Romam mittens Monaſterium Siluiniacẽſe requiſiturus foret à ſummo Pontifice, indignè tulit, & promiſſionem ſuam differendo diſſimulauit, reputans autem ne fortè anathema ſuper Comitem, & ſuper terram illius, ab Apoſtolico promulgaretur, & ob hoc Monaſteria Cluniacenſis curæ quæ plura infra terminos ipſius erant, periclitarentur, huiuſmodi per ſuos neceſſarios eidem Comiti mandat monita : Quotquot Chriſtianitatis nomen ſortimur, Apoſtolicam cenſuram ſubterfugere omninò non poſſumus. Benè ergo feceris ſi bonæ ſpei fide te committens, pacem cum Vizeliaci Abbate per manum noſtram feceris. Noſtrum autem erit ita rebus vtrobique conſulere, vt tibi quoque profectus pacis illius accedat. Talibus acceptis mandatis, acquieuit Comes & quaſi ſenipetam Bernardum Priorem S. Stephani miſit ad Abbatem Vizeliacenſem, cuius mortem ſitiebat pigmentis omnibus præſtantiorem. Is ergo veniens, conſtantiam atque magnanimitatem in eo vigere prædicabat ; ſed ſi pertinacia virtute pallietur, non minimam perhibebat Monaſterii ſui ferre iacturam. Hortatur proinde ſic magnanimum eſſe in aduerſis, vt honeſtati prouideat in proſperis, & belli quidem incertam eſſe fortunam : pace autem quamuis iudicetur extrema, nihil fore dicebat ſecurius, nihil quietius, nil certius, quam ſibi oblatam per manum Cluniacenſis ſi dignetur ſuſcipere, teſtatur Comitem eidem pacto fauere. Nec videri debet ſuſpectus eodem de ſanguine cretus.

Cùm

Digitized by Google

Cùm sit affinis repugnans identitas hostis,
Immemor ipsa sui se indice victa manebit.

Credidit Abbas suadenti, nec sperat posse surripi præiudicium, vbi cum iustitia causa tota sibi constabat. Conueniunt ergo pariter Cluniacensis & Vizeliacensis atque Niuernensis apud Luzeium oppidum Augustidunense. Cui colloquio interfuerunt Stephanus Abbas S. Michaëlis de Clusa & ..... Abbas de Moisiaco, sed & aliæ graues Cluniaci personæ: quo pariter consistentes, post plura quæ Comes iniustè requirebat indebita, hi qui loco aduocatorum conuenerant, sub specie pietatis aduersæ potiùs quàm iustæ parti fauentes, composuerunt quandam formam pacis suspectam libertati, obnoxiam seruituti, deditam instabilitati. Suggerunt deinde Abbati Pontio suscipere quod fraternus amor & socialis dispensatio de pace sua prouidit, tempus redimens atque instanti necessitati indulgens, sufficere sibi debere quòd diminutum alter oprato capiat: quibus ille prudenter & reuerentiam Numinis & iniuriam honestatis ꝛpiùs prætendebat, & ne impietas pietatis ministris frueretur, iteratò supplicabat. Denique Comes protestatus est, quòd si tantorum amicorum compositioni acquiescat, communiam vel sacrilegam confœderationem hominũ suorum ipse dissipabit, & penitus abolebit, eúmque in Monasterio suo saluum & incolumem seruato ei iure dominii integerrimo constituet. Sed cum multa hinc & inde alternarentur, & Abbate in causa sua persistente confusioni cederet effectus, tandem inito consilio Niuernis finem colloquii exitúmque pacis statuunt. Misit itaque tyrãnus maioribus conspiratæ proditionis, & futuræ concordiæ iussit eos interesse. Abbas quoque mandauit Priori & quibusdam aliis de Fratribus Monasterii sui, vt sibi occurrerent, consulto primùm generaliter vniuerso cœtu, vtrum pacis compositionem inter se & Comitem per iam præscriptam manum ratam esse decernerent. Qui pari & vnanimi sententia rescripserunt Domino suo & patri vigilantissimo ratum & firmum atque inconuulsum in sententia Fratrum permanere quicquid paterna prouidentia decreuerit vel constituerit saluo iure priuilegiorum suorum & libertatis Ecclesiæ.

Conueniunt apud Luzeiũ vbi tractant de pace.

Vt autem factus est Niuernis conuentus, mittebat Comes

exe ia quædam Abbati Pontio & varia pocula ob ſimulandæ pacis oſtentationem; quod videntes ſacrilegi proditores confuſi ſunt, & ſe deſertos eſſe à tyranno ſuo formidarunt. Ingreſſus deinde Comes ad Cluniacenſem, monebatur copioſiùs ab eo de reformanda cum cognato amicitia. At ille multipliciter conteſtans iurabat ſe neminem cariùs eo diligere; quin nec ab eo quicquam expeteret, quod non & vtilitati & honeſtati illius accederet, & hæc genu tenus dicens, complicatis etiam manibus inter manus Cluniacenſis, luculentas lacrymas emungebat, quibus copioſe fraudulentus affluebat. Cúmque Cluniacenſes clam tractarent aliquid de compoſitione pacis, collegas Abbatis à conſeſſu ſuo omnes arcebant: vnde & Vizeliacenſes ſuſpecti redditi ſunt; & præcauentes ne ſub ſpecie pacis præiudicium paterentur ignominioſæ conditionis, ingreſſi ſunt aliqui ex eis in conſpectu Cluniacenſis, & ne aliquid contra iura dignitatis & priuilegiorum Monaſterij ſui pacis conditione molirentur, ex Dei & Apoſtolica auctoritate, atque ex parte Capituli Vizeliac. denunciauerũt & contradixerũt. Ob quam cauſam iratus Cluniacenſis profectionem parari præcepit, accitóque fratre obiurgabat eum dicens: Quid eſt quod agis? quid tam impudenter me exhonoras? nunquid puer aut delirus tibi videor? ego pro tua pace & quiete vſquequaque laboro, ego tuis profectibus ac ſucceſſibus incunctanter inuigilo, tu autem verſa vice quod ædifico deſtruis; quod exſtruo diſſipas; quod colligo, diſpergis; & quod palam pacis tuæ gratiâ vocifero, clam me calumniando contradicis: quia ergo inutilis tibi videtur labor noſter, ſolus ipſe onus proprium ferto. Miratus ad hæc Vizeliacenſis interrogabat quiſnam talia præſumpſiſſet: dicunt ei Cluniacenſes Guilelmus qui dicitur de *.....

Id etiã agitant Cluniacenſes.

Regina mater Regis, ſoror vxoris Archimbaldi de Burgobono.....

*Deſunt hic 28. folia infæliciter excifa in mſ. codice.

Sed & filia eiuſdem... quæ poſtmodum nupta eſt Comiti de S. Egidio.....

Macharius autem Floriacenſis Cœnobij Abbas vegetes, dolia .....

. . . . . .

. . . . . .Monaſterio meo cùm in treuga & pace Re-

Digitized by Google

uerentiæ tuæ iura diſponerem Eccleſiæ, accidit ſuſcipere me litem cum quodam ſeruo Eccleſiæ pro cauſa poſſeſſionis ipſius Eccleſiæ, quam duelli certamine adiudicaui fore determinandam. Protinus itaque vt tempus certaminis aduenit verſi in ſeditionem homines iſti qui præſto ſunt, me cum fratribus & pueris meis oppetierunt, fugatiſque nobis & improuiſis & inſperatis Clauſtra Monaſterij violauerunt, ornamenta diſſipauerunt, vtenſilia diuerſi generis diripuerunt, vegetes ruperunt, vina fuderunt, rapinam bonorum omnium fecerunt, ſanctuaria conculcantes contaminauerunt, cædem in Monachos, & famulos noſtros exercuerunt, & me ad mortem petierunt, quem vtique ſi inuenirent, in mille fruſta conciderent, deinde ineruditos nos ad præliandum obſederunt, domos fregerunt, molendina euerterunt, & quicquid noſtrorum præ manibus habuere, totum occupauerunt, & in contumeliam regiæ Maieſtatis ſatiati ſunt pœnis noſtris. Tandem nactus opportunitatem, iterum Apoſtolico iubente, vt in præſentiarum eſt cernere, ad te ſingulare præſidium meum confugi : proinde adſtans æquitatis tuæ iudicio, ſanguinem meum & meorum, mortémque meam de manu iſtorum requiro, & detrimenta domus meæ ab ipſis repeto, ſaluo per omnia veſtro iure atque Apoſtolico, cuius iniuriam prorſus remittere nec poſſum nec debeo. His dictis conticuit.

Surgens autem tyrannus, Comes ſcilicet Niuernenſis, cauſam perfidorum proſecutus, ait : Cùm conſtet Vizeliaci Oppidum multorum millium promiſcui vulgus eſſe refertum, nec ſint homines vnius moris vel quantitatis, vt pote ex multis hinc inde partibus ex maiori numero aduentitij, ac diuerſa ſtudia ferentes, & ſtudio potiùs quàm lege morem gerentes, non eſt iure imputandum electis indigenis, & in omni lege & honeſtate probatis, quicquid erroneum vulgus per exceſſum deliquiſſe cõprobatur. Alioquin ius iuſtitiæ non eſt iuſtitia, ſi pari crimine iuſtus & impius obligantur. Cæterũ cùm vbique numeroſior, ac proinde fortior quodãmodò ſit plebs quàm Senatus, quid requiritur à pauciſſimis & honeſtis ac ſolius rei familiaris curã gerẽtibus, quo Principis auctoritas plebeios nequit cõprimere motꝰ? quapropter ſi Regio placet moderamini,

denominentur ab Abbate auctores ſceleris, vt innoxiis abſolutis iuſtitiæ cenſura in reos decernatur. Ad hæc tyranno reſponſum eſt: Quoniam naturalis & legitimo iure proprium eſt ciuibus cuſtodire & defendere, atque immunem ſeruare ab omni periculo Dominum ac Principem ſuum, mortem necne ſpontaneam pro ſalute illius non abhorrere, iam non noxij, ſed proditores & deſertores Domini ſui dicendi ſunt, & adiudicandi qui eo in neceſſitatis articulo conſtituto, tam ſolatio quàm auxilio ſuo eum defraudauerunt. Atque ideo à capite ipſorum exigendum eſt, quicquid nequiter ipſis inſtigantibus, iuuantibus, & opem ferentibus, plebeia manus commiſit. Tunc omnes pariter qui cum Abbate ab Vizeliaco non exierunt, vel Fratribus in Monaſterio obſeſſis non ſe adiunxerunt, vel auxilium non tulerunt, adiudicati ſunt rei proditionis, infidelitatis, ſacrilegij, periurij, atque homicidij.

Quo facto, prolatum eſt primum capitulum de ſententia Regis, vt Abbas teſtificando probaret detrimenta ſua vel Eccleſiæ, & quicquid legitimè probatum fuiſſet, condemnati crimine capitali totum reſtituerent. Cui capitulo hæc Abbas obiecit. Cùm palam conſtet homines iſtos ob immanitatem pertinaciæ ſuæ à tribus Apoſtolicis excommunicatos & anathematizatos eſſe, perperam mihi videtur Dominum ſeruis, fidem perfidis, ſacramentum periuris, teſtificationem profanis, legem facere ſacrilegis. Reſpondit ei Lingonenſis (Is quippe ſemper & vbique Vizeliacenſi cauſæ aduerſabatur, & cum Humberto de Talahi Archidiacono Niuernenſi mediante Comite cauſam proditorum Burgenſium in aduocatione ſua ſuſceperat) Etiamſi, inquit, tantummodò ſententia ſit promulgata, non habemus homines pro lege excommunicatorum donec ab Eccleſia generaliter denominentur, vocentur, publicentur: quod de iſtis factum minimè ſcimus. Ad quod Abbas: Præſto ſunt, ait, Dominus Senonenſis, & Dominus Pariſienſis, necne Dominus Trecenſis, qui iuſſu Apoſtolici Pōtificis ſacrilegos proditores denominantes publicauerūt. Atteſtantibus Epiſcopis hæc ita ſe habere, perſuaſum eſt Abbati facere probationem, quam nil ſuo iuri contrariam fore conſtaret. Sed quia plene non aderant Officiales ac miniſtri Eccleſiæ, per quos probatio faci-

enda erat dilata est in subsequenti sabbato, quo pariter tam præsentes quàm absentes conuenirent apud Moretum.

Erat autem dies qui cognominatur Martis, id est tertia feria. Et vt qui fuerant requisiti conuenerunt, egressi sunt omnes cum Rege & Optimatibus suis in nemore consito supra Moretum. Vbi cùm Abbas referret summam probationis suæ, dixit eam esse centenorum sexagenorum millium solidorum, præter detrimenta nemorum & aquarum, & præter iniuriam proditionis, & præter sanguinem occisorum, & præter sacrilegium inuasæ & violatæ sacrosanctæ Ecclesiæ. Quo audito conscij facinoris consternati animo protinus in fugam versi sunt, nec sustinuerunt fieri probationem: & nesciente Rege ad complices & consodales scelerum suorum repedarunt. Abbas verò iussu Regis fecit probationem suam præsente Comite, & auxiliarijs illius prætitulatis. Vt autem cognouit Rex perfidos abesse, & iniussos temerè regiam curiam subterfugisse, fœliciter, ait, Abbas comprobauit iustitiam suam, proditores verò conprobauerunt perfidiam suam: quamobrem quia exciderunt à iustitia, proferatur sententia eorum reatui congrua: locutúsque est Remensis: Vnum (inquit) capitulum dictauimus adhuc alia prolaturj, si expectantes vel iudicio se dignos inueniri paterentur. Nunc autem quoniam exsortes rationis exciderunt ab omni iure iustitiæ, dictante Regis iudicio diffinimus, vt Comes Niuernensis, qui de fidelitate Regis præsens adest, profanos illos proditores vi comprehendat, & puniendos Regi vbi iussus fuerit adducat. Res porrò eorum tam mobiles quàm immobiles ex integro pro restitutione illati damni Abbati tradat. Et interrogatus Comes vtrum dictatam ex ore Regis sententiam susciperet; Suscipio ait. At Lingonensis nitebatur refellere iudicium. Cui Remensis: Si, inquit, iniustum tibi videtur elucubratum iudicium, apud Romanam audientiam te appello, vt ibi coram Summo Pontifice, & vniuersali Iudice, si quid habes obiectes. Nequaquam, ait Lingonensis, appellationem istam suscipio, nec iudicium Regis redarguo, sed quod æquitati ipsius visum fuerit, vt dignum est, approbo. Iterum ergo Rex interrogauit Comitem vtrum prolatum iudicium susciperet de tradendis condemnatis; qui respondit:

Iterũ apud Moretum conueniũt.

Sententia profertur in Comitẽ Niuer. & perfidos Vizel oppidanos.

Digitized by Google

Si iubet Dominus meus Rex, ſuſcipio : ſed peto vt illis concedantur inducię, quas ex fiducia Regiæ pietatis dedi eis. Reſpondens Rex ait : Planè iubeo, & auctoritate Regia pro fidelitate, qua mihi iuratus es, præcipio vt quod præfinitum eſt, perficias, nec de ſententia quicquam omittas. De inducijs autem tua intererit, nam à me nec tibi nec illis aliquæ conceduntur, quin ſequenti Dominica perficiatur quod definitum eſt.

Biduo igitur habito Concilio ibidem, ſolutum eſt collegium. Abbas autem valefaciens Regi, & Optimatibus, atque amicis illius, acceſſit prope Vizeliacum, & fuit apud Giuriacum vſque ad dictam Dominicam. Tyrannus verò dolens ſuper impios, quos ad conſpirationem incitarat, quos ad facinus prouocarat, quorum Iuratus erat, quorum opes ob fiduciam ſui exhauſerat, quorum etiam auxilio dominium Monaſterij Vizeliacenſis ſeſe obtinere ſperabat, dolens quoque quòd tam potenter & tam publicè ab Abbate victus, & confuſus atque confutatus eſſet, quódque tam de ſe quàm de ſuis ſatellitibus & complicibus veſaniæ ſuæ pro voto triumphaſſet, affligebatur animo vehementer, & cogitabat qualiter damnatis prouideret, vel deſperatis ſubueniret. Sed quia confuſus animus impos eſt rationis, infatuatum eſt conſilium eius, & Deo diſponente dum plebi prouidet damnatæ, inuitus & ignarus conſultum fert Eccleſiæ, totúmque præſtat oppreſſis quod nititur efficere dolis : dúmque tendit laqueum, leuat ipſe ſocium, aduncatur ſtimulo, malè ſatur cupito. Miſſis ergo ſatellitibus ſuis, iuſſit clamare ſub voce præconis omnibus oppidanis ſeu vicanis ex ore Comitis, vt ſublatis mobilibus cunctis omnes pariter quaqua poſſent, confugerent in præſidiis illius, vbi eum minimè venturum ſperarent : quoniam ex iudicio Regis ſequenti die Lunæ omnes comprehenderet quotquot infra Vizeliacum inueniret, & puniendos quamuis inuitus Regi traheret Pariſius. Et immiſi Deus terrorem ſuum in hominibus illis, & fugerunt quotquot erant de aduerſariis omnes à minimo vſque ad maximum, domos, vxores, liberos, poſſeſſiones, & mercimonia ſua relinquentes, ita vt penitus nemo ex tot millibus ſummo mane appareret, ſed quaſi ab hoſtibus inuaſum & direptum

Inuitus Comes ſententiæ cùm annuiſſet, modis omnibus oblectatur tentátq; vt effectũ non ſortiatur.

Digitized by Google

eſſet, ſic vacuum & inane remanſit oppidum. Æxiſtimans autem verſutus & callidus Comes quòd non præſumeret ſe abſente Abbas ingredi in Monaſterium ſuum, ſimulauit languorem. Tunc Abbas vecordiam ipſius deſpiciens, ſtatim ipsâ Dominicâ cum triumpho veſpere Vizeliacum venit, & Monaſterium ſuum obtinuit: Et facta eſt exultatio magna in Eccleſia, quoniam confuſus eſt aduerſarius, contritus eſt inimicus. Et miſit tyrannus ſatellites ſuos Vizeliacum quaſi ob gratiam perficiendi mandatum Regis, vt comprehenderent prophanos quos loco cedere iuſſerat. Ingreſſique ſatellites, dixerunt Abbati Dominum ſuum Comitem diu expectaſſe Nuntium illius, quo veniens ipſum in Monaſterio ſuo honorificè introduxiſſet; ſe autem adeò mirari quòd tam improuisè illuc ingreſſus inimicorũ motus non pertimuerit, miſſos autem à Domino ſuo idcircò ſe dicebant, vt definitam de aduerſariis vltionem ad imperium Abbatis exercerent. Quibus Abbas reſpondit: Audito quòd Dominus veſter infirmaretur, nolui oneroſus illi exiſtere, ſed commiſi meipſum Deo & B. M. Magdalenæ, cuius cauſam votis omnibus proſequor, & recepi Deo tradente quod nitebatur æmulus præripere. Cæterùm ipſi ſcitis à quo miſſi eſtis: Siquid faciendum vobis præcepit, veſtra intereſt vtrum faciatis necne: ego autem rei exitum patiens præſtolabor. Reſpondentes dixerunt ſe miſſos ideo eſſe, vt homines vici illius comprehenderent, ſed ingreſſos neminem præter mulieres & paruulos earum inueniſſe. Ait illis: Siccine quatuor homines tot millia comprehendere veniſtis? Et dixit illis quidam: ecce ſi perfidos proditores captiuare veniſtis, inuenietis ferè quater viginti latitantes & latrocinantes in contigua ſylua. At illi: aliud, inquiunt, iter nobis confecturis; modò non dirigitur illò via noſtra: & ſic tergiuerſantes abierunt. Verſutia quippe diſcipuli probatur dolus magiſtri. Et egreſſi ſunt quidam de fratribus armatæ cum pueris iuuentutis, & fregerunt tabulam impij Simonis & veſtibulum domus ipſius, quæ contra ius ob contumeliam contradicentiũ Fratrum ædificauerat, & de conſpiratione factionis confiſus hactenus contra votum Eccleſiæ obtinuerat. Inde progreſſi diſſipauerunt torcularia, quæ in ſubterraneis domorum ſuarum fraudulenter erexerant

impius Hugo Fricans-panem, & nefandiſſimus Hugo de S. Petro. Porrò impij diffuſi ſunt per oppida & loca tyranni, quíque iuſſit ſatellitibus ſuis atque Præpoſitis, quatenus eos occultarent, excuſarent, & omnem humanitatem illis exhiberent, tantùm ſui præſentiam declinare eos iuberent. Reliqui circunquaque errando diſperſi, multi eorum prædæ & direptioni necne captiuitati patuerunt. Inopes & vagi contiguam ſyluam occupauerunt, ædificantes ibidem caſas, & exinde latrocinia exercebant, viantes & peregrinos deprædabant. Die autem ſuſpecti occurſum quærentium ſe declinabant, & ad ſocios qui erant in locis munitiſſimis ſe conferebant: nocte verò in prædicta ſylua degentes mittebant abſconditos exploratores in vico ſub veſte peregrina, qui eis deferrent neceſſaria, & referrent quæ didiciſſent conſilia; & congregati ſunt profugi apud Corbiniacum, & cogitauerunt irruptionem facere, & vi repetere quas ſponte formidoloſi reliquerant ſedes.

Exercitum colligi iubet Abbas, quo perfidis oppidanis obſiſteret.

Tunc collegit Abbas externum exercitum, manum fortiſſimam, & homines doctos arcu & baliſta, & militibus infra caſtrum retentis, cæteros diuiſit cum pueris ſuis, & poſuit in munitionibus peſſimorum, vt per ea expugnarentur impij per quæ nitebãtur oppugnare munitiones Monaſterij. Omnes autem iuſſit per vices & die & nocte circuire & diſcurrere circa oppidum & prædia illius. Quicunque verò de fugitiuis comprehendebantur, aut captiuitatis miſeria, aut membrorum mulcta puniebantur: & obtinuit Eccleſia ius iuſtitiæ debitum, nec tyrannicam cogebatur adire curiam pro vlciſcenda iuſtitia; & vltus eſt Eccleſiam Abbas Pontius de peſſimo aduerſario illius Hugone de S. Petro, & præcepit vt diriperetur omnis ſubſtantia eius, & publicarentur omnia bona illius, & ſubuerterentur omnia ædificia ipſius, domus & molendina, ſtagnáque aquarum quæ multo faſtu exſtruxerat, & exaltatus erat vſque in cœlum. Sicque deleta eſt omnis poſſeſſio illius, vt fieret parabola & prouerbium cunctis pòſt futuris generationibus. Sed & in miniſtros ſeditionis Aimone de ſancto Chriſtophoro, qui dicebatur inſanus, Petro, qui prænominatus eſt de S. Petro, Aimone de Phaleſia, Roberto de Furno, Renaldo Daudet, Galterio Normanno, Roberto

Digitized by Google

Roberto de Furno, Renaldo Daudet, Galterio Normanno, Roberto de Campo-petroſo, Duranno Gulos, Alardo Claudo, & Petro Galimardi, cenſura iuſtiſſimæ vltionis pertrãſiit, & domus eorũ funditus euerſæ atque ſuccenſæ ſunt, bonáque eorum quibus malè abuſi fuerant, direpta. In cæteris autem, hoc eſt, Euſtachio, Simone, Duranno, Alburno, ínque Dauid, & Hugone Fricante-panem, & Felice, aliiſque ipſorum complicibus pietas Abbatis ſententiam ſuam moderata eſt, & vina tantùm eorum à fidelibus Eccleſiæ tranſfuſa ſunt. Inuenta ſunt præterea ſcuta & arma diuerſi generis inter ſpolia direptarum domorum. Et coniecti ſunt plures in vinculis, donec Regis iudicium ſuper eos decerneret; & humiliata eſt ſuperbia impiorum, & cognouit ſe ſubactam inſolens ruſticitas Vizeliacenſium. Et vidit tyrannus quoniam prævaluit iuſtitia, & confuſa eſt impietas, nec erat ei auxilium quo ferret opem deceptis, & reuerebatur eos, nec poterat ſuſtinere aſpectum illorum: quoniam arguebatur ab ignauia ſua, & torquebatur à conſcientia ſua. Attamen impios ſe ſe volentes reddere, & ad arbitrium Abbatis ſatiſfacere prohibuit, promittens eis pro voto pacem adfuturam; & quia confundebatur pro eis intercedere, ne contra iuſiurandum eos iuuare videretur, cogitauit conſilium irritationis in Deum, & blaſphemus erga cultum pietatis, aſſumpto baculo & pera, quaſi B. Dionyſij petiturus oracula, cuius inſtabant ſolemnia, profectus eſt ad Regem. A quo requiſitus cauſam ſui aduentus, peregrinum ſe B. Dionyſij Martyris mentitus eſt. Captato denique Regis colloquio, procedit ad pedes eius, & vt exulibus parceret illis, parceret etiam Vizel. Monaſterio, quod deſtituto vico deſolatum iri conſtaret, affectuoſiſſimè deprecatus eſt, iureiurando etiam & obteſtando pollicitus eſt, ſe in præſentia Regis homines illos adducturum, & eos ad arbitrium Regiæ pietatis Abbati & Eccleſiæ ſatisfacturos, ac perpetuæ pacis fœdus firmaturos.

Motus igitur Rex precibus iſtis, ſtatuit ei diem apud Altiſſiodorum, ſcilicet tertia die poſt feſtum Omnium Sanctorum, & deſignauit Abbati petitiones & pollicitationes Comitis, petiuítque vt interim parceret domibus eorum vſque ad diẽ condictæ concordiæ. Quibus auditis Abbas ſignificauit pro-

Comes multa Regi fraudulenter ſuggerit: quibus occurrit Abbas.

tinus Floriacenſi & reliquis amicis ſuis mandatum Regis & condictum Comitis, petiitque vt futuro ſecum adeſſent colloquio. Cæteri autem Optimates, cum quibus pro cauſa Vizeliacenſi Rex indixerat colloquium, renuntiauerant Regi, nullatenus ſe affuturos vbi Niuernenſem adeſſe prænoſcent. Quo cognito tyrannus, & hac etiam improbitate ſua impudenter vti voluit: iterùmque feſtinus ad Regem venit poſtulans vt diem & locum indicti colloquij de cauſa Vizeliacenſi accelerando præueniret, cauſatus inimicorum ſuorum inſecutionem, à quibus ſe defendere oporteret. Sperabat etenim quòd ſi nudum conſilio & ſolitarium abſentia ſuorum amicorum Abbatem inueniret, facilé ſuadibilibus dolis eum flecteret. Sed tritus fallaciis illius animus non potuit decipi incautus. Credidit tamen ei Rex, & ſcripſit Abbati vt ipſa die Omnium Sanctorum apud S. Iulianum de Saltu indicto colloquio adeſſet, pacem facturus, pacémque recepturus, ſi congrua offerretur. Ad quod Abbas inito conſilio reſpondit tam præpropere ſe non poſſe occurrere, quippe qui ad primitus deſignatum diem amicos ſuos vocauerat, quorum conſilio & facturus & accepturus pacem eſſet, ſi congrua offerretur; quem præſertim non decebat tantum & tantæ cauſæ ſolum ſubire colloquium. Quo audito Rex iuſtum eſſe dixit Abbatis reſponſum, ſicque fieri iuſſit vt priùs fuerat conſtitutum.

Condicta die Autiſſiodori cõgregantur Rex, Abbas. &c.

Die igitur ſtatuta Iouis poſt feſtum Omnium Sanctorum conuenerunt pariter apud Altiſſiodorum Rex & Abbas cum Optimatibus & amicis; Comes quoque cum Vicanis Vizeliaci: & ſedens Rex poſtera die quæ nuncupatur Veneris, interrogauit Burgenſes quidnam facere mallent. At illi reſpondentes omnia ſe facturos ſecundum beneplacitum miſerationis illius dixerunt. Dictum eſt igitur ex ſententia Regis, vt conſpirationem & mutuam confœderationem quam fecerant, quoquo pacto feciſſent, penitus abiurarent: illos, qui pueros Eccleſiæ occiderant, vbi vbi repertos aut caperent ſi poſſent, aut clamore & indicio quo poſſent proderent. Fidelitatem & vitam, ſalutémque membrorum Abbatis & ſuorum, Eccleſiæ & ſuorum, ſupra ſacra iurarent, & ſummam XL. millium ſolidorum pro illato

Damnantur denuò Oppidani Vizel.

Digitized by Google

damno penderent, munitiones & antemuralia domorum dato termino ad feſtum vſque S. Andreæ diuerent, & hæc omnia bona fide integrè ſe facturos iurarent. Tum illi iam fracta ceruice domiti & humiles effecti, ita ſe facturos ſpoponderunt, & Abbatem vt Dominum ſuum ſe veneraturos & conſeruaturos iurauerunt; ipſa etiam ſtatuti iuramenti ſacramenta, ſtatim ibidem qui affuerunt, fecerunt; ſcilicet Guibertus Lotarienſis, Hugo Fricans-panem, Durannus Alburni, & alij ferè ampliùs quàm XL. Et reuerſus eſt Abbas Vizeliacum cum hominibus ſuis iam de perfidis factis fidelibus. Et ingreſſi ſunt cum eo, lætitia & tripudio magno exultantes, habitauerúntque in pace, vt feræ manſuefactæ. Porrò illi qui erant circunquaque diffuſi audita pacis conditione gauiſi ſunt, & reuertentes confluebant quotidie cateruatim ad iuſiurandum & deditionem: Conſtituit autem Abbas ex ipſis quæſtores, qui exigerent à ſingulis impoſitam pecuniam; tali moderamine, vt appreciatis per obligationem iuriſiurandi ſingulorum poſſeſſionibus, redactíſque in ſumma penſitationibus de libra perſolueretur pars decima, hoc eſt duo ſolidi redderentur de viginti; nec fuit in his omnibus qui reſiſteret, vel aperiret os contradicendo, quoniam ablatum eſt cornu ſuperbiæ illorum, & contrita eſt virga fortitudinis eorum, & redintegrata eſt per manum eximij Abbatis Pontij libertas Eccleſiæ, & confuſi ſunt omnes proſtitutores pudicitiæ illius. Veruntamen antemuralia domorũ euertere diſſimulantes neglexerunt, quoniam hoc præceptũ in ſcandalum erat illis & quaſi aculeus terebrans oculos eorum.

Peractis autem Dominicæ natiuitatis Kalendis, vocauit eos Abbas, monuítque vt iuxta compoſitionem pacis, quod necdum fecerant, perficerent, de diruendis munitionibus domorum. Conſtituítque illis terminum quo iuſſa complerent. Iterum diſſimulantes cum interminatione commonuit, & ſi vltrà factis obaudire negligerent, iram ſuam eos exp rturos fore predixit. Mittebantur autem frequenter Abbati Epiſtolæ precatoriæ à Principibus regionis, maximè pro Simone ne contineret in ira miſericordiam ſuam ſuper eum, ſed magis miſereretur, parceret domui illius, quæ vtique cauſa erat & initium malorum. Vnde & ipſe impius Si-

mon plurimùm præsùmens de gratia & familiaritate Principum, ſuadentem Abbatem vt præcipitaret quod malè ædificauerat, contempſit, addiditque contumeliam contemptui, & ædificauit propugnacula, & munitionem incœptæ turris. Vt igitur vidit Abbas quòd veſtigium contumaciæ & gloria ſuperbiæ ipſorum eſſet in domibus illorum, accerſiuit aggreſtem multitudinem de poſſeſſionibus Monaſterij, & Sabbato poſt Hypapante Domini miſit eos & quoſdam de Fratribus in domum impij Simonis, præcipitaueruntque fundatus antemuralia ipſius, propugnacula, & turrim, ſedente ipſo Simone ad ignem in ipſa domo, cum vxore & liberis ſuis. Quod videntes cæteri timuerunt valdè, & ingemiſcentes erubeſcebant, dederúntque obſides pro euertendis munitionibus infra conſtitutum tempus.

Plectit Abbas renuentem ſe ſubijcere ſuis decretis.

Diuinæ humanationis anno quinquies vndecimo, atque vicies quinquageſimo quinto, Pontificatus verò Apoſtolici Nicolai, qui nuncupatus eſt Adrianus, anno 2. Regnante, & agente pio Rege Francorum Ludouico Iuniore, data eſt requies Vizeliacenſi Eccleſiæ per manum inclyti & clariſſimi Abbatis Pontij, genere & moribus ac dignitate præſtantiſſimi, & obtinuit Eccleſia integerrimam atque liberrimam libertatem ſuam, tàm in priuato quàm in forenſi negotio. Nam in priuato, ſuperſtite adhuc æmulo, inuitatus eſt à prædicto Abbate Alanus Altiſſiodorenſis pius Epiſcopus, & celebrauit apud Vizeliacum ſolemnes Ordines in Oratorio B. Dei Genitricis & ſemper Virginis MARIÆ, Sabbato Ieiuniorum menſis Martij, aſſiſtente in Monaſterio Cardinali Subdiacono Odone de Bona-Caſa, fecitque inſpecta Romanorum priuilegiorum auctoritate Acolytos tres, Subdiaconum vnum, Diaconos quatuor: porrò ad Sacerdotij gradum ſex Fratres promouit, præſente & cooperante Stephano Abbate de Rigniaco. Sequenti anno, anno ſcilicet pacis & victoriæ, duo Epiſcopi, videlicet Cenomanenſis & Ebroïcenſis, venientes à Roma cum Abbate S. Albani apud Vizeliacum Paſcha ſanctum fecerunt, qui rogatu Venerabilis Pontij ſanctarum Vigiliarum perſoluentes officium, ſacros Ordines ſolemniter celebrauerunt. Et Ebroicenſis quidem Oſtiarios, Exorciſtas, Lectores, Acolytos in Oratorio Theotocou

Tandē an. 1155. obtinet ſuā libertatē Vizeliac. Eccleſia: ac petente Abbate Ordines conferuntur.

Digitized by Google

MARIÆ ordinauit. Cenomanenſis verò ſeptem Subdiaconos & vnum Diaconem fecit, Preſbyteros autem quinque conſecrauit. Et in his omnibus obmutuit aduerſarius iugulo inuidiæ confoſſus, & auctoritate iuſtitiæ deiectus. Eodem ſabbato accepit Abbas Pontius ſanctum chriſma ab Archipresbytero Altiſſiodorenſi.

Porro in forenſi cauſa, primò quidem de perfidis proditoribus & ſeruis rebellibus non ex iure neque ex conſuetudine, ſed ex neceſſitate per manum Regis auctoritate Apoſtolica liberũ ius iuſtitiæ obtinuit Eccleſia. Deinde per manum Abbatis Pontij tam ſuas quàm ſuorum cauſas poteſtatiuè in propria curia diiudicauit, nec vnquam vel vſquam cuiuſquam laïcalis vel clericalis perſonæ arbitrium iuriiudicij interceſſit: Et annulata eſt omnis calumnia, quoniam poſſedit calumniatores confuſio & ignominia, & defecit inimicus, quoniam præualuit iuſtus.

HISTORIÆ VEZELIAGENSIS LIBER QVARTVS.

SICVT Patres thezauriſant filijs in incremento prædiorum & pecuniarum, ita priorum prouidentia thezauriſat ſequentium notitiæ in deſcriptione librorum, & commendatione geſtorum. Scriptis nánque medianꝫtibus præterita quodammodò iunguntur futuris, dum litera repræſentat quod antiquitas abduxerat. Deſcriptis itaque ſuperioribus libellis de dignitate & exordio atque libertate Vizeliacenſis Eccleſiæ, laboribus etiam quos pro iuſtitia libertatis ſuæ conſtanter & infatigabiliter ſuſtinuit, ad ea quæ deſunt non ſupplenda quidem, ſed proſequenda, vt pote viſu & auditu experta,

ſtylum ducimus, & piorum patrum piis filiis æmulandam probitatem deſcribimus, quatenus obtinere non negligant, quod patrum ſtrenua ſagacitas non abſque grauibus laboribus acquiſiuit. Deuictis igitur omnibus aduerſariis libertatis Eccleſiæ Vizeliacenſis, obtinuit venerandæ & ſemper recolendæ memoriæ Abbas Pontius integræ dignitatis faſtigium, & quaſi renouato iure totum penitus aboleuit quicquid erroris liuor ſeruilis induxerat, & pace adepta per quinquennium pacificè poſtmodùm rexit in virga æquitatis Monaſterium ſuum.

An. 1159. Schiſma exortum in Eccleſia.

Anno autem Verbi incarnati Milleſimo centeſimo quinquageſimo nono, orta eſt, proh dolor! fœda diſſenſio in Romana Eccleſia. Mortuo etenim Adriano Papa, generali conſilio & vniuerſali conſenſu electus eſt ſacri Scrinij Cancellarius Rollandus. Quo humiliter tantum onus ſuſcipere diſſimulante, interim Octauianus vnus ex Cardinalibus Apoſtolicis, & inter Senatores vrbis nobilior, Apoſtolica inſignia ſibi fraudulenter præripuit, & Apoſtolicum honorem, proh nefas! vſurpauit: neque diuina neque humana iura reueritus, tres tantum ſui ſchiſmatis fautores habens de toto Apoſtolico Conſiſtorio, ſcilicet Iſmarum Tuſculanum Epiſcopum, & Guidonem Cremonenſem, atque Ioannem de ſancta Martina; quorum Iſmarus & Ioannes ſchiſmatici mortem in ſchiſmate præuenerunt. Vt autem cæteri Cardinales ſchiſmaticam vſurpationem cognouerunt, protinus cum Electo ſuo, ALEXANDRO cognominato, atque ab Humbaldo Hoſtienſi Epiſcopo conſecrato, ab vrbe ſunt egreſſi. Et factum eſt graue ſchiſma in Occidentali Eccleſia, Germanico Imperatore Octauiano, qui dictus eſt Victor, Siculo autem Rege fauente Alexandro Catholico. Et miſit Alexander Legatos ſuos in Galliam, & in Inſulas Britanniæ, ad Regem Francorum Ludouicum, & ad Henricum Regem Anglorum, atque ad omnem vtriuſque Regni Eccleſiam: Videlicet Guilelmum Papienſem, & Henricum Piſanum, atque Ottonem de Tulliano Carcere. Qui tranſeuntes Italiam cùm à Cluniacenſi Monaſterio nequaquam reciperentur, primus & præcipuè omnium Gallicanarum perſonarum ſuſcepit eos dignæ memoriæ Abbas Pontius Vizeliacenſis, & Catholi-

Alexander Pp. 3.

Digitized by Google

cam Orthodoxi Alexandri electionem vniuerſis vtriuſque ordinis Principibus commendauit. Igitur Alexandro ab vtroque regno ſuſcepto, ſcripſerunt Legati Cluniacenſibus pro ſuſceptione Alexandri. Præerat eo tempore Cluniacenſi Eccleſiæ Hugo prudens moribus & ſimplex ingenio. Is conuocato ex more talium negotiorum Capitulo de ſuſceptione Alexandri Fratres ſuos conſuluit: at illi Patris Hugonis exoſam habentes prælationem, cùm dentem inuidiæ in perſonam innocentis nequirent infigere, verſuto vſi conſilio, cum conteſtatione interdixerunt ei tam Catholicum quàm Schiſmaticum ſuſcipere; ne fortè dum, vt aſſolet in talibus, victo fauerent, victoris odium incurrerent; ne verò doloſi potiùs quàm ſalubris conſilij periculum ſuſpectum haberet, idem ſapere, & eadem ſubire cum eo vnanimiter quicquid exinde contigiſſet aduerſi ſpopõderunt. Cùm autem Cluniacum accedere, & in ſchiſmaticos ferre ſententiam Apoſtolici Legati formidarent, miſerunt Henricum tunc Beluacenſem, poſtea verò Remenſem Epiſcopum, qui propter germanitatem Ludouicj Regis tutiùs ad partes illas accedere, & delegatum ſibi ab Alexandro per prænominatos Legatos Apoſtoli Petri gladium exerere poſſe videbatur. Qui cùm acceſſiſſet, & apud Luzeium conueniſſet, ſupérque Cluniacenſes ponere ſententiam anathematis diſponeret, rogatu Dalmatij & aliorum terræ illius Principum diſtulit, & ſcripſit Cluniacenſibus, exhortans vt reſipiſcerent, & vt Alexandrum ſicut alia Franciæ Monaſteria ſuſciperent; alioquin delegata ſibi auctoritate Apoſtolica ſententiam excommunicationis tam ſuper ipſos, quàm ſuper omnes fautores eorum vlteriùs promulgare non differret; & aſſignato die apud Melidunum cùm neque ipſe Abbas Cluniacenſis fraude detentus à ſuis, neque reſponſales eius adeſſent; porrò æmuli Abbatis ex aduerſo ſtarent, Theobaldus ſcilicet Prior ſancti Martini de Campis, qui aliquando poſt Abbatem Prioris locum in Monaſterio Cluniacenſi tenuerat, & alij plures qui videbantur eſſe capita Eccleſiæ ſuæ, ipſum Abbatem ſuum tanquam parricidæ filij patrem accuſantes, & culpam ſchiſmatis à ſe remouentes, quippe qui ſe & commiſſa ſibi Monaſteria ſubjectioni & protectioni Catholici Alexandri committerent,

Renuunt Cluniacenſes Alexandro pp. adhærere.

ipſis fauentibus Hugonem Abbatem Cluniaci, & omnes ſubditos & fautores illius publicè excommunicauit.

Excommunicantur.

Vocatus fuerat ad hoc colloquium ſanctæ memoriæ Pontius noſter meritò Abbas nominandus, quibuſdam annuentibus, vt extruſo Hugone is Monaſterio Cluniacenſi præficeretur. Sanè Beata & glorioſa Dei dilectrix Maria Magdalene, cui deuotus deuotum ſemper exhibuerat famulatum, hunc à candelabro ſuo, quo clariſſimè irradiauerat, minimè euelli pertulit, retinuítque eumſibi etiam corpore, quem à puero enutritum & ab Angelorum Principe Michaële ſibi conceſſum, totum ex integro ſibi vendicans conſecrauerat, nec paſſa eſt inimicum libertatis ſepulchri ſui vel ad horam exultare de eo, ne fortè contrarius ſibimetipſi exiſtens, qui pro patria pugnauerat patriam quodammodo expugnaret, neve malitia de virtute virtutem proſterneret, & ignauia probitatem probitate deiiceret. Languore nánque inſperato detentus viceſimoquarto anno ordinationis ſuæ viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, & cum graui luctu ſuorum ante ſepulchrum famulatricis ſepulchri Chriſti ſepultus, raptus eſt, vt credi fas eſt, ne gloria humanæ probitatis mutaret intellectum illius. Quo aſſumpto protinus Vizel. Monaſterij Fratres vno voto & communi aſſenſu elegerunt ſibi Patrem genere nobilem, probitate conſpicuum, virum ab adoleſcentia ſacris inſtructum diſciplinis, tam in ipſo vbi ſuſceptus eſt Vizeliacenſi, quam in Cluniacenſi Cœnobio, videlicet Guilelmum Abbatem S. Martini Pontiſarenſis, quod Monaſterium ipſe per XV. annos regens poſſeſſionibus & ædificiis multis ampliauerat.

Pontio Abbate Vizel. vita functo in eius locum ſubrogatur Guilelmus Abbas Pontiſas.

His diebus Niuernenſis Comes Guilelmus, filius Guilelmi Cartuſienſis, filii Renaldi de Hubenc, filii Guilelmi, filii Renaldi, filii Landrici, qui primus huius generis Principatum Ninis à Comite Burgundiæ ſuſcepit: hic, inquàm, Comes poſt multa grauamina quæ, vti in ſuperiore volumine partim comprehenſa ſunt, Eccleſiæ Vizel. intulit, graui morbo correptus, calicem diuinæ vltionis prægustabat. Vt ergo audiuit filius eius Guilelmus quòd Vizeliacenſes Abbate ſibi elegiſſent, genuina inſolentia ratus omnia nutu ſuo cõſtare, Vizeliacum venit in ira multa & in furore magno, & interdixit Fratribus

Ne ſortiatur effectũ electio obicem ponit Comes Niuern.

electio-

Digitized by Google

electionem ſe abſente & inconſulto patre ſuo factam ; poſuítque cuſtodes ne quis de Vizeliacenſibus tranſiret ad Electum. Sed quàm prauo & irrationabili conſilio hoc fecerit, manifeſtant Romanorum Pontificum munimenta, & Francorum Regum priuilegia : aui quoque ſui qui ſimili arrogantiâ electionem Renaldi Abbatis, poſtmodùm Lugdunenſis Archiepiſcopi, calumniatus eſt, exemplar ſubſcriptũ ,, declarat. Ego Niuernenſis Comes dimitto Deo & Beatis ,, Apoſtolis Petro & Paulo, & B. Mariæ Magdalenæ quan- ,, dam prauam conſuetudinem, quam in Vizeliacenſi Ec- ,, cleſia exigebam ; ſcilicet vt de electione Abbatis eiuſdem ,, loci nullus vlteriùs à me vel hæredibus meis ſiue ſucceſſo- ,, ribus meis requiratur conſenſus, ſed eum qui electus ,, fuerit, prædicta Eccleſia habeat, ita vt nullus noſtrûm ,, poſſit aliquid calumniari, vel de conſenſu à nobis non ,, acquiſito aliquid ab Eccleſia exigere. Sed & tam de in- ,, troitu quàm de exitu Abbatum promitto me nihil vlteriùs ,, calumniaturum.

Conſenſus Comitis in eligendo Abbate haud requirendus.

Vizeliacenſes igitur poſtpoſitâ iuuenis Comitis iniuſtâ calumniâ Renaldum Merlotenſem ad conuocandum Electũ ſuum miſerũt: qui cùm veniſſet neque Monaſterium introire, neque ſolemnẽ Fratrũ proceſſionem ſuſcipere voluit, ne minùs per oſtiũ ingreſſus videretur : cùm huiuſmodi tranſlatio de Monaſterio ad Monaſterium, vel de Eccleſia ad Eccleſiã incõſulto Pontifice Romano nequaquam authentica eſſe decernatur. Vnde Vizeliacenſes per Gaufredum Hoſpitalẽ ſcripſerũt Ottoni Cardinali & Legato Apoſtolicæ Sedis, inſinuantes ei modum electionis & perſonam electam. At ille perlectis Apoſtolicis priuilegijs electionem ſanam comprobauit & eam fore ratam vice Apoſtolica confirmauit, ipſíque Electo cõmiſit curam Vizel. Eccleſiæ ex parte Domini Papæ, per manum Petri Piſani Decani S. Aniani Aurelianenſis. Et ingreſſus eſt Guillelmus Abbas Vizeliacum, totius populi fauore, & Fratrum ſolemni proceſſione ſuſceptus, habens ſecum Macharium Floriacenſem, Theobaldum S. Germani de Pratis, Stephanum Rigniacenſem, Abbates. Et non poſt multos dies miſit ad Alexandrum Papam prænominatum Gaufredum & Ioannem Italicum Clericum ſuum cum literis Capi-

Confirmat electionem Cardinal. Legatus.

Init poſſeſſionẽ Abbas.

tuli ſui continentibus actionem electionis ſuæ, & literis Francorum Regis, literis etiam Regis Anglorum, atque Abbatum prænominatorum, perſonam electi & modum electionis commendantium.

Alexander Papa Ianuam appulit.

Interea Alexander Papa Octauiani ſchiſmatici declinans inſidias per mare appulit ad vrbem Ianuenſium. Quo audito nuntij Vizeliacenſes profecti ſunt illuc. Suſceptíque honorabiliter ab Alexandro, fuerunt cum eo in Palatio per dies aliquot: & ſedens Alexander vnà cum vniuerſo cœtu Cardinalium, adſtante multa frequentia multarum partium, Legatos Vizeliacenſis Monaſterij audiuit, allatas ab ipſis literas ſuſcepit, ordinationem Guillelmi Abbatis ratam habuit, eidem & fratribus vniuerſis eiuſdem Monaſterij priuilegium fecit, in quo iuxta antiquorum Pontificum Romanorum exemplaria ſtatuit, quatinus Fratres Monaſterij Vizel. defuncto Abbate ſuo liberam electionem in ſubſtituendo ſucceſſore haberent, & ne aliqua perſona cuiuſlibet cauſæ religioniſue obtentu quemlibet aſſenſum de ipſa electione ſibi vſurpare, vel quocunque modo requirere præſumeret. Hanc ſiquidem libertatem cùm per trecentos fere annos ab ipſo ſuæ fundationis principio Vizeliac. Eccleſia quietè & abſque calumnia obtinuiſſet, támque de ſuis quàm de aliorum Fratribus Monaſteriorum ſibi Patres indifferenter præfeciſſet: Cluniacenſes longè pòſt exorti per ſurreptionem ſibi vindicare niſi ſunt; aſſenſum quidem primùm, deinde verò ius electionis ſibi arrogantes, mentientes vtique à Paſchali traditam ſibi curam ordinis Eccleſiæ Vizel. ob quam prorſus cauſam eadem Eccleſia ſub Innocentio II. Papa graue ſcandalum pertulit reclamando libertatem ingenitam, dum per violentiam eiuſdem Innocentii & Comitis Niuern. intruſo à Cluniacenſibus quodam Alberico, ferè omnes ſæpe fati Monaſterii Fratres vinculis colligati, & per Prouinciam, Italiam, Germaniam, Lotharingiam, Franciam, & Aquitaniam, hac illácque ignobiliter diſperſi ſunt, alienigenis ſubintroeuntibus in liberrimo ſolo, qui quaſi ſub Sennacherib vndecunque congregati vnum ſuperſtitionis Samaritanorum nomen fecêre.

Ratam habet Abbatis electionẽ; renouátque priuilegia.

Cluniacenſes vſurpãt regimen Cœnobij Vizel.

Quia ergo in tempore tentationis ſupercilium Cluniaci

Digitized by Google

intumuit, & Monaſterium quod hactenus ſpecialius Eccleſiæ Romanæ membrum extiterat, à Romana vnitate exorbitauit, iure placuit Apoſtolico examini, vt B. Petri vterina filia Vizel. Eccleſia denuò Schiſmaticorum non ſubiaceret calumniæ, præſertim cùm ipſe Catholicus Papa Alexander æquè vt Paſchalis, & quilibet alii Apoſtolici prædeceſſores ſui, Deo authore, B. Petri clauibus frueretur, quibus merito fidei remittendum vel ſoluendum cenſebatur, quod aliquando ſub obtentu religionis commiſſum vel ligatum prætendebatur. Ob inſolentiam denique Cluniacenſium non ſolùm in hac parte, immò etiam in toto corpore, libertas Eccleſiæ Vizel. periclitabatur: Nam cùm aduentitii præfati abundantia multa abuterentur, & à vicinis locorum indigenis bonorum Eccleſiæ rapinam paterentur, deſidiæ & ignauiæ potiùs quàm debitæ libertati conſulentes, Comitem Niuernenſem induxerunt, & ſub ſpecie familiaritatis materiam ei dederunt inconſuetæ tyrannidis, & inuſitatæ conſuetudinis. Eorum etenim temporibus & indebitæ iuſtitiæ exactio, & procurationum frequentia, occaſionúmque grauamina, atque malarum conſuetudinum ſubmiſſio inoleuit; per quæ omnia noſtris temporibus eadem Eccleſia pènè ad nihilum redacta eſt: paulatim enim ſerpendo peſtiferum virus tam Cluniacæ ſeruitutis quàm Comitis tyrannidis à planta pedis vſque ad verticem omnes illius æui ſeniores infecit vſque ad beatæ memoriæ Pontium, quem fœcunda virorum illuſtrium Aruernica nobilis tellus protulit, & hunc de quo in præſentiarum agitur, Guilelmum de Melloto, quem ſtrenua Caroli Magni de Rupe Merloti proles edidit. Hi nempe verè filii veræ matris vicem doluerunt, & pro iuſtitia illius ad ſanguinem reſtiterunt.

Igitur Alexander Papa egreſſus ab Vrbe Ianuenſium in portu Magalonæ applicuit: cui prænominatus occurrens Guilelmus Abbas Vizel. quemadmodum prædeceſſor illius Pontius primitias legationis Apoſtolicæ non abſque ſuorum & quorundam Magnatorum inuidia ſuſceperat; ita & hic ipſum Summum Pontificem à littore maris prodeuntem omnium Sacerdotum Galliæ prior excepit, & inuenit gratiam in conſpectu Alexandri,

& magnificauit eum Alexander coram frequentia totius Romanæ Ecclesiæ, & iterum retractato Comitis Gerardi testamento, munimentis etiam antiquorum priuilegiorum collatis cum modernis, immunitatem libertatis Ecclesiæ Vizel. & libertatem eligendi vel substituendi Abbatem communi consilio & voluntate, atque arbitrio omnium Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Cardinalium Alexander Papa in Consistorio Montis Pessulani iuxta subscriptum exemplar confirmauit.

Priuilegia Vizel. Ecclesiæ confirmat Alexander Papa, eamque eximit à potestate Cluniacensium.

„ ALEXANDER Episcopus S. SS. Dei, Dilectis filiis „ Vvillelmo Abbati Vizel. Monasterii, eiúsque Fratribus „ tam præsentibus quàm futuris Monasticam vitam profes„ sis in perpetuum. Sacro-sancta Romana Ecclesia, quæ „ vnicuique respondet pro suorum qualitatibus meritorum, „ eos quos fideles reperit, benigniori tractare gratia con„ sueuit, & quos feruentiores circa suum obsequium intue„ tur, honoris prærogatiua est solita decorare. Antecessor „ autem noster bonæ memoriæ Paschalis Papa, sicut ex pri„ uilegio prædecessoris nostri fœlicis recordationis Calixti „ Papæ cognouimus, Vizel. Monasterium, quod propriè ac „ specialiter B. Petri iuris existit, Cluniacensis Ecclesiæ „ feruorem religionis, quæ tunc temporis inibi habebatur, „ attendens, cùm religio in eodem Vizel. Monasterio tunc „ ex parte maxima deperisset, commisisse dinoscitur, & „ prædictus Calixtus Papa idipsum auctoritatis suæ priuile„ gio confirmasse; ita quidem vt obeunte Abbate, qui ibi„ dem esset pro tempore institutus, alius sibi deberet com„ muni Fratrum consensu, vel partis consilii sanioris, „ Cluniacensium Abbatum consilio subrogari. Nos verò „ deuotionis vestræ constantiam & fidei firmitatem, quam „ in hoc tempore procelloso tam vos quàm bonæ memoriæ „ Pontius Vizel. Abbas, circa Rom. Ecclesiam habuistis, „ diligentiùs attendentes: considerantes etiam quàm ma„ nifestè Cluniacensis Ecclesia tempore huius turbationis „ errauerit, & quomodò à pristina religione & honestate „ corruens ab vnitate Ecclesiæ se fecerit alienam: prædicto „ Monasterio vestro in deuotione & fide Ecclesiæ firmissimè „ permanente, & religione per Dei gratiam ibidem plena-

Digitized by Google

„ riè restituta, vt vtraque Ecclesia fructum videatur pro
„ meritis reportare, commissionem illam, quam idem an-
„ tecessor noster Paschalis Papa fecerat, de communi Fratrũ
„ nostrorum consilio duximus reuocandam: Statuentes vt
„ idem Monasterium Cluniacensi Ecclesiæ in nullo penitùs
„ subiacere debeat, nec alicui teneatur nisi tantùm Rom.
„ Ecclesiæ respondere; & electionem ita liberam per omnia
„ habeatis, vt Cluniacensium Abbatũ consilium vel consen-
„ sus nullomodo requiratur; immò illum vobis in Abbatem
„ dari volumus & præponi, quem Fratres communi con-
„ sensu, vel Fratrum pars consilij sanioris, secundùm Dei
„ timorem, & B. Benedicti institutionẽ elegerint, & Roma-
„ nus Pontifex aut præuiderit ordinandum, aut suggestione
„ Monachorum eiusdem loci consenserit ordinatum. Vt au-
„ tẽ hæc nostra institutio futuris semper temporibus inuio-
„ labiliter obseruetur, eam auctoritate Apostolica cõfirma-
„ mus, & præsentis scripti priuilegio communimus: sta-
„ tuentes vt nulli omninò hominum liceat hanc paginam
„ nostrę constitutionis infringere, vel ei aliquatenus contrai-
„ re. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, secundò,
„ tertióve commonitus, nisi præsumptionem suam digna
„ satisfactione correxerit, potestatis honorísq; sui dignitate
„ careat, reúmque se diuino iudicio existere de perpetrata
„ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine
„ Dei & Domini nostri IESV-CHRISTI alienus fiat, atque
„ in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Seruanti-
„ bus autem sit pax Domini nostri IESV-CHRISTI, qua-
„ tinus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud
„ districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant,
„ Amen.

Et cùm fuisset Abbas Guilelmus cum Apostolico Alexan-
dro dies plurimos, gratia & benedictione illius auctus cum
fauore Romanæ tótius Ecclesiæ recessit ad propria, & regres-
sus cum magna gloria receptus est à Fratribus suis, & ab
omni populo suo cum solemni processione in ornatu platea-
rum & fumo thymiamatum, & facta, vt moris est, oratione,
obtulit duos pretiosos pannos sericos, & duo optima tapetia:
& confusi sunt omnes aduersarij libertatis Ecclesiæ Vizel. &

Abbas humaniter à Papa exceptus sad propria redit.

insurrexerunt viri linguosi, & quibus proprium est bonorum inuidere prosperis, cœperúntque detrahere Guilelmo Abbati apud Comitẽ juuenem (nam pater vita excesserat) quasi Guilelmus omnia bona Ecclesiæ dilapidasset, & infinitam pecuniam Romanis dedisset; dicentes impium esse tam nobilem Ecclesiam dissipari, impietatem verò ipsam in caput Comitis meritò redundare, qui cùm tutor & defensor existat Ecclesiæ, tantæ illius depopulationi non obsistat.

Famæ eius detrahunt osores.

Erat autem iuuenis quidam nomine Guilelmus, filius Petri de Monte-Regali inter ministros Abbatis Pontij, ætate quidem iunior, sed ingenio acrior; hic sensu astutus, & obsequio gratus, tantam apud Pontium obtinuit gratiam, vt potentiâ cunctos excelleret Aulicos, & dominandi secundum ferè vindicaret locum; quem excludebat, excludebatur; & quem admittebat, admittebatur; quem iustificabat, iustificabatur; & quem condemnabat, condemnabatur; iustum & iniustum, munus & meritum, ipsa quoque gratia, qua nihil clariùs in omni fortuna, absque Guilelmi fauore nihili pendebantur: factíque sunt extranei, quos olim & ætas & sapientia Pontio familiares fecerat. Cúmque puerilibus animis maiora maioribus præsumeret, etiam Fratribus detrahere cœpit, proprios accusans Dominos, seruus conditione & moribus: excluſisque omnibus solus solo nomine Domini sui gratia abutebatur, fasque nefasque vnius erant pretij apud eum, qui totus incumbebat de penuria pauperum dilatare terminos suos, & abusus fiducia Domini sui pro centenario tricenarium reddebat, & pro denario centenarium recipiebat: multiplicatúsque est vehementer in possessionibus multis & pecuniis innumeris, & actus omnium in ore illius. Vnius tantum gratia abutendo contentus, omnium simul intus & extrà odium concitauit. Homo quippe superbus & arrogans atque impurus honestos quosque & probatissimos viros despiciebat, accusabat, & dehonestabat; adeò quippe simplices pij patris animos circumuenerat callidis adulationibus, vt totum ei conmret quod huic quocunque modo placeret. Elatus igitur & miro modo supra semetipsum iuuenis erectus, cùm per quadriennium ita insolesceret potiùs quàm conualesceret, vnius vno momento noctis repente miser corruit & crepuit,

Digitized by Google

& effectus eſt quaſi qui nec fuerit, & vtinam nec fuiſſet: Nam cùm fœlicis memoriæ Pontius Abbas extremum vitæ ſpiritum efflaſſet, ſeruus proditor qui præ dolore commori debuerat, poſtpoſitis exequiis protinus claues tulit, armaria ſpoliauit, & quicquid rapere potuit, clam aſportauit. Cúmque tam ſacrilegum furtum ſæpiùs rëiteraſſet, deprehenſus à Fratribus & comprehenſus eſt. Inquiſitus autem ſuper theſauros Abbatis, & de candelabro aureo, quod Imperatrix quondam Mathildis mater Regis Anglorum Henricj Monaſterio Vizel. dederat, omnia negauit; & ſcrutata domo illius, tandémque negata claue à familiaribus illius recepta, repertum eſt illud quod negauerat cãdelabrum, ſigillum quoque Abbatis ſimul & ſigillum Capituli, quod iam per biennium Fratres latuerat. Facto autem mane dedit Fratribus obſides ſuper quingentas libras pro executione iuſtitiæ tenenda in manu futuri Abbatis qui ea ipſa die depoſitionis venerabilis Pontij concorditer electus eſt, anno diuinæ incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo primo VI. feria, XIV. die menſis Octobris.

Interea prophanus Guilelmus de Monte Regali acceſſit ad iuuenem Comitem patris exequias celebrantem, qui octauo die obitus pij Pontij vitam humanam finierat: cúmque multa mentiendo præſtrueret, ſpopondit Comiti nouo octoginta libras, decem ſeptémque ſcyphos argenteos, ſi ei aduerſus Vizeliacenſes auxilium præberet, & ſingulis etiam annis duas marchas argenti Comiti pro commendatitio daret. At ille compromiſit ei contra omnes petitum auxilium.

Recepto igitur ſolemniter electo Abbate Guilelmo, clamauerunt omnes pariter aduerſus Guilelmum de Monte Regali, qui præſumens de auxilio Comitis iuſtitiam exequi detrectabat. Vnde iuſſus ab Abbate Guilelmo comprehendi carceri mancipatus eſt. Tunc ille ſolita vſus verſutia, cùm ſperato careret auxilio, Abbatibus qui fortè ad noui Abbatis introitum conuenerant, Floriacenſi ſcilicet & Pariſiacenſi cœpit ſupplicare, atque ſub obtentu confeſſionis, quam detegere ſacerdotibus fas non eſt, requiſitos theſauros in quantum noſſet propalare, conteſtans ſe ſtare deffinitioni eorum de obiectis capitulis ſi nouus Abbas acquieſceret, qui parens illorum precibus & conſiliis dixit ſe quoque idem facturum:

ſtatímque in ipſo crepuſculo noctis allatæ ſunt Sanctorum reliquiæ in virgulto Abbatis, & productus impius Guilelmus de carcere, iurauit ſuper ſancta quòd faceret quicquid ſequenti mane præſcripti Abbates definirent, & quòd interim nuſquam diffugeret. Sed in perfido quæ fides? nullum eſt enim veritatis veſtigium, vbi non eſt fidei fundamentum. Vt autem vulgo dicitur experto non eſſe credendum inimico, ita & proditori iuranti nulla fides eſt adhibenda; iurat ore prophanus, ore iuſtitiam, ſed loquitur ex corde in corde nequitiam, & decidens in profundum malorũ contemnit iuſtitiam, ſequitúrque impietatis propoſitũ. Sic iſte ſceleratus Guilelmus ſpreto iuſiuramento, poſtpoſita etiam fide obſidum impudenter ipſa nocte periurus aufugit. Quod cum Abbas Guilelmus audiſſet, & rei exitum comprobaſſet, ſtatim miſit miniſtros ſuos in domum fugitiui proditoris, & tam frumenta quàm vina, vaſa quoque & pannos, atque vniuerſam ſupellectilem domus aſportari fecit, pollicitámque pecuniam quingentarum librarum à fideiuſſoribus exegit. Sacrilegus verò clam profugit ad Comitem, à quo receptus poſt paucos etiam dies ab eo Vizeliacum reductus eſt. Vnde cùm Comes interpellaretur ab Abbate quare perfidum fugitiuum ſuum ſuſcepiſſet, & Vizeliacum contra morem villæ reduxiſſet; cui vtique non liceret de iure neque commendatitium hominem Monaſterij ſuſcipere, neque cuiquam inimico villæ in ea conductum præſtare: de his & alijs capitulis terminandis conſtituerunt diem apud Regniacum; vbi cùm conueniſſent, primùm conqueſtus eſt Abbas quòd Comes extra morem Eccleſiæ homines ſuos commendatos ſuſciperet; petiítque vt hunc fugitiuum ſuum Guilelmum de Monte Regali, qui capitaneus ſeruus Eccleſiæ exiſtebat, incunctanter ſicut de perditione & periurio conuictum ſibi redderet. Tunc Comes Optimates ſuos requiſiuit ſuper propoſitam de iure conſuetudinis calumniam. At illi omnes vnanimiter dixerunt nullum habere Comitem in hominibus Eccleſiæ Vizel. commendatum, neque aduerſus Eccleſiam, neque alio quolibet modo. Protinus Comes dimiſit verſipellem Guilelmum, & iuſſit eum redire ad legitimum Dominum ſuum, & per omnia illius ſtare mandato: & vt vidit quòd nihil profeciſſet,

ciſſet, præcepto Abbatis vellet nollétque ſe ſubmiſit. Domo igitur cum aliquibus ex ſuis poſſeſſionibus diſtracta, obſides ſuos liberauit.

Poſt hæc contigit Comitem infirmari vſque ad mortem. Cui Abbas Vvilelmus valde compaſſus, vt potuit, quanquam exoſus ab eo, gratis ei obſecutus eſt: & oratio fiebat quotidie ab Eccleſia Vizel. ad Deum pro eo. Sed cùm illa orante conualeſceret, ingratus oblitus eſt omnium beneficiorum quæ ſibi ab Eccleſia vel ab Abbate exhibita ſunt. Et patulas aures linguis apponens detrahentium, recogitabat quibus occaſionibus Abbatem vel Monaſterium fatigaret. Scripſítque Abbati vt pecuniam, quam prophanus Guilelmus de Monte-Regali cognominatus ſibi ex compromiſſo debebat, ſibi redderet. Dedítque in mandatis Nuntio qui eius literas deferebat, vt ſi pecuniam reddere Abbas differret, vel diſſimularet, terram Abbatis illicò deprædaret. Quadam ergo die Dominica, epiſtolam Comitis ſuper præfatum negotium Abbati Nuntius obtulit (dicebatur autem nuntius ille Gaufridus de Meliduno) cui protinus Abbas reſpondit nullam omninò pecuniam ſe Comiti debere: ſi quid verò impius Guilelmus Comiti deberet, ab eo indubitanter repoſceret. Reſpondit Gaufridus nil ſua intereſſe niſi Domini ſui tantummodò mandatum perficere. Nunquid ergo, ait Abbas, hac Dominicâ bonorum noſtrorum rapinam facies? non inquit Gaufridus, ſed cras Domini mei præceptum diſſimulare non potero. Si tamen ad Dominum meum mittere placet, proficiſcar libens & ego cum nuntio & pro cauſa tua orabo: & cùm ibidem, hoc eſt apud Cãpum-mollem, ab Abbate procuratus fuiſſet, & Abbatis nuntium quendam Monachum iturum ad Comitem accepiſſet, in ipſo itinere diuertit à Monacho, & veniens ad Caſtrum Genſorium elegit fortiſſimos iuuenes, ſtatímque ipſa Dominica iam adueſperaſcente omnes greges ouium Abbatis apud Campum-mollem, vbi ea die cum Abbate comederat, deprædatus eſt. Nec mora, vltio eum diuina ſecuta eſt: nondum quippe ſeptem diebus tranſactis amentia captus de feneſtra domus ſuæ ſaltum dedit in ſubiacenti flumine Yonæ: vnde ſemiuiuus extractus propria cœpit membra laniare, ſícque inſaniendo vitâ indi-

Preces fundunt ad Deum Monachi Vizel. pro Comite Niuern. ægro; qui ingratum ſe nihilominus exhibet.

gnus mortuus est. Conclamantibus autem Fratribus vniuersis & omni populo Vizeliacensi aduersus Guilelmum sceleratissimum, quòd causâ illius, & tanti Principis inimicitias, & suorum deprædationem paterentur, præcepit eidem Guilelmo Abbas, quatinus Comiti de compromisso satisfaceret, aut certè illata damna Ecclesiæ restitueret. Qui deficiens ab vtroque, coniectus in vinculis carceri mancipatus est. Ferro igitur ligatus & tenebris obuolutus censum pecuniæ fœtore carceris non potuit negligere, quinimmò dulciùs habuit omnem subire miseriam, quàm vel diminuere gratis pecuniam. Hac etenim pluribus in locis fœnerata squalorem carceris atque famis inediam, quódque grauiùs est, honestatis iniuriam libenter perferebat: tandémque longa carceris pressura coactus iterum distractis possessionibus pacem fecit, fuítque deinde quasi lupus inter oues circumueniens proximos, accusans pauperes, detrahens diuitibus. Sanè Comes neque huius miseriis neque suis malis contentus, armenta & pecora, hominésque Monasterij Vizel. prædari fecit: quia, vt dicitur in prouerbio vulgari, Sola volenti nocere sufficit occasio; nullius iustæ querimoniæ fretus ratione, occasiones quærebat qualiter Ecclesiam suo dominio subiugaret, & ab ingenita libertate spoliaret.

Ludouicus Rex Gal. partibus stat Alexãdri Papæ, à quo repulsam passus est.

His diebus Occidentalis Ecclesia graui schismate laborabat. Henricus autem Comes Trecensis partibus fauebat Imperatoris. Porro Ludouicus Rex Galliæ misit in occursum Alexandri Catholici Papæ Legatos suos, Theobaldum Abbatem S. Germani de Pratis, & Cadurcum Clericum suum; quorum legationem cùm minùs optato Alexander suscepisset, reuersi Vizeliacum venerunt. Et decidit in lecto ægritudinis Theobaldus Abbas, & mortuus est IX. Kal. Augusti, sepultúsque infra ianuam Basilicæ B. Mariæ Magdalenæ, cuius Monachus extiterat. Et vt cognouit Rex Ludouicus repulsam Legâtorum suorum, iratus pœnituit se suscepisse Alexandrum contempto Victore & scripsit per Manassem Episcopum Aurelianensem super hæc verba Comiti Henrico Trecensi, qui eo tempore ad Germanicum Imperatorem properabat. At ille gratulabundus pro opportunitate reperta suggessit Imperatori vt iniret colloquium cum Rege:

Digitized by Google

adunatis vtriúsque regni Optimatibus, & Ecclesiasticis viris, contestatus iurejurando quòd Rex audita vtriúsque Apostolici electionis examinatione, iuxta discretionem personarum vtriúsque Regni, staret consilio suo, videlicet Henrici Comitis: & indictum est colloquium apud Louigennam vicum citra Ararim fluuium intra fines Regni Franciæ. Et statutum est vt Alexander Catholicus & Victor Schismaticus colloquio adessent, & de sua electione in conspectu totius Ecclesiæ conferrent. Quod vt cognouit Alexander, misit ad Ludouicum Regem Legatos, scilicet Bernardum Portuensem Episcopum, & Iacintum Diaconem suum, qui Regis iram lenirent, & familiare colloquium inirent. Conuenerunt ergo Alexander & Ludouicus apud Siluiniacum, qui est vicus Monachorum Cluniacensium. Rex autem Ludouicus rogabat Alexandrum vt ad constitutum veniret colloquium; aut si fortè præsentiam Imperatoris abhorreret, saltem ad partes illas accederet vsque ad Vergiacum castrum, quod erat inexpugnabile. Cui cùm Alexander nollet acquiescere: Ego, ait Rex, & te & vniuersum Comitatum tuum saluum ducam, & reducam saluum sicut corpus meum. Et cùm nec sic acquiesceret Alexander veritus dolos Imperatoris, respondit Rex: Mirum est quòd conscius iustitiæ suæ subterfugit testimonium innocentiæ suæ, seu audientiam causæ suæ. Et abiit Rex ad indictum cum Imperatore colloquium: nondum autem cognouerat conditiones quas ex parte sua Comes Henricus fecerat cum Imperatore.

* Louuieu.

Pontifex saniori cõsilio Legatos mittit ad Regem, qui eius animum demulcerent.

Cùm ergo veniisset Rex apud castrum Diuionem, occurrit ei Comes Henricus, & tum primùm aperuit ei pactiones quas cum Imperatore fecerat, dicens: Majestatis tuæ reuerentiæ & Regni tui consulens vtilitati, Domine mi Rex, inij colloquium super Ararim fluuium, quo tu Domine mi Rex, & Imperator Fridericus cum Pontificibus & Abbatibus atque Optimatibus vtriúsque Regni conuenientes, præsente Apostolico tuo, & Imperatoris Apostolico, ex vtraque parte eligentur probatissimi viri tam Ecclesiastici quàm militares, qui electionem vtriusque Apostolici dijudicabunt. Et si ROLANNI electio fuerit sanior comprobata, Oc-

Conuenit Rex ad colloquium cũ Henrico Comite Trecensi, qui Imperatori fauẽs Alexandro aduersabatur.

TAVIANI electio cassabitur, & Imperator procidet ad pedem Rollanni : Si autem Victoris electio prævaluerit, Rollannus adnullabitur; Tu verò, Domine Rex, ad pedem Octauiani venies. Quòd si Octauianum deesse contigerit, Imperator ab eo deficiens Alexandro tuo obediet: si autem è conuerso Alexander defuerit, identidem decidet, & Rex Victori fauebit. At verò si tua Majestas noluerit nec prædictis pactionibus acquiescere, nec arbitrio Iudicum assensum præbere, ego iurejurando juraui quòd ad partes illius transibo, & quidquid de fisco Regis in feodum habeo Imperatori tradens ab illo deinceps tenebo. Stupefactus Rex Ludouicus ad hæc respondit: Miror vnde tibi fiducia, quòd me inscio, méque inconsulto talia cum Imperatore condixisti. Respondit Henricus: Hanc fiduciam tu Rex ipse per MANASSEM Aurelianorum Episcopum mihi dedisti: interrogatúsque super hoc verbo Episcopus timore Regis dissimulare cœpit, occultans machinationes quibus Henricum ad hoc induxerat. Tunc Henricus protulit epistolam Regis, quâ continebatur quòd Nuntij Regis repulsi fuissent ab Alexandro, ob quam rem indignatus Rex mandabat Henrico quatinus ad Imperatorem Fredericum licenter procederet, & colloquium vtriusque audientiæ iniret, certus quòd Rex per omnia illius consilio staret.

Aliud colloquium in finibus Imperij.

FREDERICVS autem Imperator ædificauerat sibi palatium miræ amplitudinis in loco qui dicitur Dolah in finibus Imperij sui, & cognouerunt Franci quòd Schismaticus Victor non esset cũ Imperatore; & lætati sunt super illius absentiam. Quo agnito Theutonici siue Germani currentes adduxerunt eum cum festinatione maxima eadem die : quem assumptum Imperator media nocte duxit eum supra pontis medium, statímque quasi pactionibus satisfeciisset, recessit. Rex autem Ludouicus quasi venatum pergens transiit per nemus ad locum colloquij, misítque IOCIVM Turonensem Archiepiscopum, & MAVRICIVM Parisiorum Episcopum, GVILELMVM quoque Vizeliaci Abbatem cum alijs Optimatibus Regni sui ad Nuntios Imperatoris, qui ibidem conuenientes verbum Regis expectabant. Inter quos etiam erat Comes HENRICVS, qui propter affinitatem cognationis,

Nuntij Regis.

Digitized by

partibus omninò fauebat Victoris Schiſmatici. Petierunt itaque Miſſi Regis ex ore eius competentes inducias, eò quòd pactiones huius colloquij hactenus vſque perendie Regi fuiſſent incognitæ, præſertim cum Imperator compulerit Henricum Comitem jurare ne prædictas actiones ante diem conſtituti colloquij vllomodo manifeſtaret Regi: indecens autem fore tam temerè de tanto negotio diffinire. Cúmque Imperatoris Frederici prolocutores petitas inducias negarent, reuerſus eſt Rex apud Diuionem. Cardinales verò, quos illuc Alexander Papa miſerat, ſperantes ſolutum eſſe colloquium, Vizeliacum redierunt. Rex autem conſtituit qui cuſtodirent fines Regni ſui. Et ſequenti ſummo mane venit Comes Henricus ad Regem in Palatio Ducis Burgundiæ, allegans Regem nequaquam eſſe à pactionibus liberum, ideóque ſe neceſſariò diſceſſurum ab eo, & ſeſe traditurum in manu Imperatoris: Ita vt totam terram, quam de feodo Regis hactenus tenuerat, amodò Imperatori traditam ab eo reciperet, & hominium illi faceret. Attamen ob gratiam Regis obtinuiſſe ſe dixit ab Imperatore trium hebdomadarum inducias, ea conditione quòd Rex datis obſidibus polliceretur Imperatori ad diem ſe venturum, & Alexandrum adducturum, atque ibidem cauſam vtriúſque auditurum, & judicio proborum virorum Imperij & Regni pariturum, aut certè ſeipſum tradere vinctum Imperatori apud Criſopolim, quæ eſt vrbs nobilis Byzantinorum: & acquieuit Rex, & defecit ſpiritus eius, & tædiatus eſt animo, pactúſque eſt ita ſe facturum, datis obſidibus..... Duce Burgundiæ..... Comite Flandriæ, & Guilelmo Comite Niuernenſi. Omnis autem Eccleſiaſticus ordo audito hoc verbo quod fecerat Rex, doluit valde, & corde clamauerunt omnes ad Dominum vt miſereretur Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, & liberaret Regem à fraude circumuenientium ſe.

Abiit ergo Rex ad prænominatum vicum Louigennæ, vbi Regi debebat occurrere Imperator; ſed fefellit Imperator Henricum, miſítque præcipuum fautorem ſchiſmatis, Renaldum Cancellarium ſuum Colonienſis Eccleſiæ. Cúmque coram eo replicarentur pactiones, quas Comes Henricus ex ore Imperatoris propoſuerat Regi, ſubitò di-

Fallaciæ Imperatoris detectæ, à quo Rex deſciſcit.

Digitized by Google

uina virtus aſtitit Eccleſiæ ſuæ, & piæ ſimplicitati Regiæ Majeſtatis. Reſpondit enim Renaldus profani erroris fautor, nequaquam Imperatorem talia dixiſſe, ſcilicet quòd cuiquam permitteret conſortium iudicandi Romanam Eccleſiam, quæ propriè ſui iuris exiſtebat. Tunc repletus gaudio Rex, quæſiuit ab Henrico Comite vtrùm ſe haberent pactiones ſecundùm formam ab eo ſibi propoſitam. Et Rex: Ecce, ait, quòd Imperator qui iuxta verbum tuum adeſſe debuit, abeſt: ecce quòd etiam Miſſi illius formam pacti te præſente, te teſte commutant. Verum eſt, inquit, Comes Henricus. Et ait Rex: Nonne ergo abſolutus ſum ab omni pacto? abſolutus, ait Henricus. Et dixit Rex cunctis Optimatibus ſuis & Epiſcopis, atque Abbatibus, qui præſentes aderant: Audiſtis & vidiſtis omnes qualiter ego ipſe gratis perfecerim omnia quæ ad me pertinent, & dicite vtrùm liber ab his pactionibus videar. Dicunt omnes, liberaſti verbum tuum: ſtatímque Rex velociſſimum equum cui inſidebat reducens, protinus ire perrexit. Teuthonici autem valde cõfuſi inſecuti ſunt eũ, rogantes vt rediret ad Imperatorem paratum profequi omnia quæ Henricus propoſuerat. At ille paruipendens ea quæ dicebantur, decipulam quam euaſerat exhorruit, dicens: Feci quod meum fuit. Sic ſoluto conuentu Rex in ſuum Regnum rediit.

Alexander Papa ſuſceptus Pariſiis à Rege.

ALEXANDER autem Catholicus Papa veritus indignationem Regis LVDOVICI, tranſiit in Aquitaniæ Metropolim vrbem Bituricorum, & in Doſenſe Monaſterium, quod eſt apud Caſtrum Radulphi, ibíque hyemauit: & ſequenti tempore Quadrageſimæ acceſſit ad Ludouicum Regem in vrbe Pariſiorum. A quo ſuſceptus honorificè ſecundum morem Romanæ Eccleſiæ, portauit ipſe roſam auream Dominicâ quâ cantatur *Lætare Hieruſalem*. Peractíſque Paſchalibus ſolemniis conſecrauit Baſilicam Monaſterii B. Germani de Pratis, cui præerat Hugo de Moncellis, Monachus Eccleſiæ Vizeliacenſis. Illuc iterum acceſſit Guilelmus Abbas Vizeliacenſis, petens à ſummo Pontifice Alexandro quatinus libertatem & poſſeſſiones Eccleſiæ ſuæ, atque immunitatem banniarum Monaſterii ſui ab Anteceſſoribus ſuis præſcriptarum tertiò pleniùs confirmaret. Cui ille

Conſecrat Eccleſiam S. Germa. Pratenſis.

Digitized by Google

pium assensum præbuit, & tertium ei priuilegium dedit. Inde Turonicam Metropolim vrbem adiit, & Concilium ibidem tenuit omnium Episcoporum Lugdunensium, Narbonensiũ, Viennensium, Bituricensium, Senonensium, Remensium, Rothomagensium, Turonensium, Burdegalensium, Auscitanensium, Alpensium, Apenninarum, & Maritimarum, centum quinque numero: Cantuarensium etiam atque Eboracensium, Scotorum quoque & Hibernensium; sed & Abbatum & diuersæ professionis personarum gratanter vndique aduenientium: nam & Germanorum Episcopi plures occultè scripserunt Alexandro Papæ, obedientiam, & omnimodam reuerentiam pro loco & tempore illi humiliter exhibentes. Italiæ verò non minima pars affuit, partim scripto partim suâ præsentia. Sed & Sardinia & Sicilia, cum omni Calabria, omnis quoque Orientalis Ecclesia, & Hispania, deuotum obedientiæ caput humiliter Alexandro Catholico Papæ subdidit.

Concilium celebrat apud Turones.

Interfuerunt prædicto Concilio STEPHANVS Abbas Cluniacensis, & GVILELMVS Abbas Vizeliacensis. Cogitauerunt autem actionem renunciationis Cluniacenses proponere contra Vizeliacenses: Sed conscii suæ iniustitiæ & Romanæ rectitudinis conticuerunt omnes, nec etiam exinde ausi fuerunt mutire: cùm plurimæ huiusmodi controuersiæ hinc & inde in eodem Concilio proponerentur & terminarentur; sicut fuit causa Parisiensium Clericorum & Monachorum Cœnobii S. Germani de Pratis, quæ pleniùs ventilata iniustis Clericorum vocibus æternum silentium imposuit. Alexander igitur soluto Concilio Synodali, Bituricam in vrbem, quæ caput est Aquitaniæ, rediit. Procedente dehinc tempore autumni Senonicam ciuitatem adiit, ibíque per decem & octo mensium curricula sedit. Auctore autem Schismatis Octauiano, qui appellatus est VICTOR, ab hac vita infœliciter exempto, subrogatus est à Schismaticis GVIDO Cremonensis, qui de auctoribus electionis Alexandri primus apostatauit.

Agitatæ eo in Cõcilio variæ causæ; præsertim Clericorum Paris. aduersus Monachos Sangerman.

Interea Comes Niuernensis Vizel. Ecclesiam grauiter infestabat, & per suppositas personas eorum qui ouino colore mendacium supprimunt, mores Guilelmi Abbatis & Fratrum suorum diffamare insistebat: Sola quippe Vizeliaci

Comes Niuern. persequi Vizeliacenses nõ desistit.

deditione cupidus inuidiæ morbo aduersus Abbatem afficiebatur, qui prauis conatibus eius tam strenuè quàm callidè resistebat. Vnde illius magnanimitas potissimùm enituit, quòd insimulanti æquè vt deprædanti restitit. Eapropter cùm dolus inuidiæ in seipso contabescens nihil penitus proficeret, & ab omni destitueretur iure, tandem postpositâ iustitiâ, honestate spreta, contempta religionis reuerentia, rabiem vesaniæ suæ tyrannica temeritate armauit. Cúmque tergiuersando vt iniquè ageret, laboraret, & nullam causam justè affligendi Ecclesiam inueniret, vsurpatas procurationes, quas pater illius periculo maris actus remiserat, & eo cum matre in Capitulo Vizeliaci concedente confirmauerat, contra ius fasque ab Ecclesia repetiit. Neganti Abbati quòd iniustè reposcebatur, diffidationem mandauit. Interuenientibus autem amicis vtriusque partis inierunt colloquium supra stagnum de Nouerria, si fortè obortam controuersiam pacificare possent. Interpellanti itaque Comiti super prædictam exactionem, respondit Abbas, quia quod pater dimiserat, & ipse concesserat, nec ab eo repetendum, nec à se reddendum erat, præsertim cùm ipse inuestitam Ecclesiam hac dimissione patris, & sua concessione inuenerit. Et subitò tyrannus iracundia motus, frendens & insaniens, Vizeliacum venit, (erat autem vigilia natiuitatis Præcursoris Christi) ingressúsque Monasterium cùm Fratres audito aduentu eius Claustra sua signassent, irruit ipse, & primus accepta securi ostium fregit coquinæ. Quod videntes satellites eius domos Ecclesiæ protinus occupauerunt, ostia reliqua fregerunt, Monachos impellentes cæciderunt, & de substantia Monasterii Dominum suum inuitis Fratribus ea nocte in hospitio Monasterii procurauerunt. Fratres autem cruces, & capsellas deposuerunt altaria, nudauerunt, & diuinum officium per omnes Ecclesias suas celebrare cessauerunt.

Ea nocte declinauit Abbas apud Campum-mollem; sequenti vero apud Gibriacum, inde misit ad Regem, ipse autẽ profectus est ad Romanum Pontificem, qui regressus à Concilio Turonico in Dolensi Monasterio degebat: Sed quia Rex expeditionem tunc mouerat in Aruernenses, noluit exasperare Comitem; monuit tamen vt propositam litem differret,

donec

Digitized by Google

donec ipſe ab expeditione rediret. Alexander quoque recogitans ſchiſma, quo infirmabatur Eccleſia, & veritus ne fortè ſi aliquantulum duriùs erga ſæculi Principes procederet, grauiori ſcandalo Eccleſiam affligeret, ſimplici tantùm ſcripto cõmonuit Comitem, vt à grauaminibus Eccleſiæ Vizeliacenſis quæ filia B. Petri & alodium Romanæ Eccleſiæ exiſtebat, deſiſteret. Sed induratum eſt cor Pharaonitici Comitis, & pro dulci fonte duritiam induit lapidis. Apoſtolica igitur ſimul & Regalia mon ita ſpernens cum graui & multo exercitu equitum & peditum atque promiſcui vulgus, quaſi hoſtilem obſeſſurus populum, in ipſa B. Mariæ Magdalenæ ſacra ſolemnitate Vizeliacum venit: quo ingreſſo, protinus Fratres ceſſauerunt à diuinis officiis, ſeorſum ſubmiſſa voce in capella Genitricis Dei clauſis oſtiis Clauſtri Deo debita vota ſoluentes, indignum vtique judicantes ſacra ſacrilego pandere. Abbas autem deſcendit apud ſanctum Petrum: Comes autem Monaſterium ingreſſus more ſolito, ſed comitatu inſolito deſcendit in hoſpitio, negatámque ſibi à Fratribus procurationem ipſe ſibi de ſuo exhibuit.

Papa monet Comitẽ vt vexare deſinat Vezeliacẽſes.

In ipſa nocte aſcendit Abbas ad ſepulchrum B. Mariæ Magdalenæ, ibíque Deo debita ſolemnitatis celebria pro tempore perſoluit, & illuceſcente die deſcendit ad Eſconium, Deóque ſacram hoſtiam obtulit. Quem inſecutus Renaldus de Merloto fratruelis ſuus cum Duranno Alburg, rogauit quatinus ibidem requieſceret modicùm. Miſerat quippe apud Gibriacum qui ſibi neceſſariam refectionem pararent. Aſcendítque Renaldus & locutus eſt de compoſitione pacis cum Comite. Reuocato igitur Abbate talis compoſitio proceſſit, vt Comes de violatione Monaſterij publicè ad altare ſatisfaceret, de vſurpata procuratione viginti libras reſolueret, remiſſionem quam pater fecerat de fortuitis procurationibus ipſe denuò concederet, & ſcripto confirmaret; Renaldum quoque fratrem ſuum, & Guidonem æque fratrem ſuum, ſororémque hæc omnia concedere faceret, data fidei pollicitatione & obſidibus, Ignaro Vicecomte de Iouiniaco, & Stephano de Petra-pertuis, & Hugone de Tornella, vt cùm ad legitimam ætatem peruenirent, iteratò præſcriptam remiſſionem concederent. Ob gratiam verò ſcriptæ confirmationis & conſeruan-

Pacem ineunt Abbas & Comes nonnullis conditionibus interpoſitis.

dæ pacis in perpetuum diffinitum est, quòd Abbas septingentas libras daret Comiti, & de procuratione illius diei ducentas quinquaginta tres libras persolueret ; eo pacto interueniente, quòd Comes sequentis festi procurationem penitus dimitteret, & iterum de alia procuratione non nisi centum libras exigeret. His ita compositis & hinc inde concordatis, horâ diei sextâ pulsantibus signis celebrauerunt Fratres sacri festi solemnia. Et accedens Comes ad altare de illata Monasterio satisfecit iniuria, reposuítque iuxta conditum pro recti executione viginti libras. Et sequenti die ingressus Capitulum Fratrum præsidente Abbate coram omnibus concessit sæpedictam procurationum fortuitarum remissionem, quam pater suus fecerat, & scripto confirmauit, suíque sigilli munimine corroborauit.

De illatis iniurijs veniam petit Comes.

Post hæc Guilelmus Comes Niuernis ægrotauit vehementer, ita vt desperaretur; sed cùm humilitatis vota solueret Deo, tandem conualuit, petiuítque Sanctorum suffragia in Oratorio Beatæ & intemeratæ Virginis MARIÆ apud Anicinum vrbem Vallauensium. Inde reuersus corpore quidem ad patriam, animo autem ad inditum sibi odium Guilelmi Abbatis Vizeliacensis; mandauit eidem vt sibi iustitiam de non exhibito sibi salinario exequeretur in præsentia sua, & iudicio Curiæ suæ Niuernis staret. Respondit Abbas: Sperabam feciſſe me pacem cum Comite de omnibus querelis præteriti temporis: veruntamen quia ego rudis, & de huius Monasterij consuetudinibus nondum plenè instructus videor, loquar cum maioribus natu villæ huius, & cum cæteris sapientibus, & secundùm consilium cœlitùs nobis indultum per proprios Comiti Nuntios respondebo. Abo autem de Monte Gualguerij (is enim iunctum sibi nuntium perferebat) dixit Abbati: si placet diem Comitis à me tibi denominatum suscipere, bene; sin autem, Comes faciet sicut de negata sibi à te iustitia. Sic Abo receſſit, & peiora dictis Comiti retulit. Abbas verò iniit consilium, misítque Nuntios qui ad hæc verba responderent; qui euntes occurerunt satellitibus Comitis, Dominum suum cum multa vesania venientem Vizeliacum præeuntibus. Et subitò Tyrannus irrumpens in Monasterium inuasit offici-

Iterum litem mouet & persecutionem.

Digitized by Google

nas Monasterij : misitque protinus præcones per omnem villam Vizeliaci & Esconij & S. Petri, mandans omnibus hominibus Monasterij, vt pariter congregati præsentiæ suæ in crastinum adstarent. At illi vnanimiter omnes mandatum eius contempserunt. Tunc ille furia inuectus contra morem oppidi clamare fecit per præconem suum, quòd omnis qui ante conspectum suum non veniret, inuentus proculdubio caperetur, & domus illius publicaretur. Quo audito stupefacti sunt omnes, & plures præ timore accesserunt ad eum; quibus astantibus dixit: Quoniam negauit mihi Abbas iustitiam, inuestiui me de iure meo: volo itaque vt abiurato Abbate fidelitatem mihi faciatis, & amodò Abbati aut Monachis nullam consuetudinem persoluatis. Ad hæc Burgenses responderunt: Nos fidelitatem iurauimus Abbati & Ecclesiæ; iniustum ergo & turpissimum videtur absque causa quantum ad nos peierare; vnde petimus à te dari nobis inducias vt cum Domino nostro loquamur, & super hæc verba illum conueniamus. Præsto est, ait, Dominus vester, & citò poteritis ei loqui. Permitte nos ergo, inquiunt, ire ad eum; quibus ille dixit: Eligite ex vobis duos vel tres qui Abbati verbum vestrum, & vobis illius responsum perferant.

Surrexit igitur Simon de Siluiniaco, & Durannus Alburg, qui Comitis impietati præcipuè fauebant, venerúntque cum paucis ante Abbatem, & innotuit sermo Abbati quòd Comes detinuisset suos, ne ad se venirent. Illicò vocauit Ioannem Caprarium, & paucos seniorum Ecclesiæ, misítque eos confestim in hospitium ad Burgenses suos in hæc verba: Vobis qui fidelitatem Abbati debetis & Ecclesiæ, mandat & præcipit Abbas per ipsam fidelitatem quam sibi iurastis, & sibi debetis, vt recedentes ab hoc tyranno quantocyùs ad illum veniatis, & statim venerunt. Et cùm de quæstione Comitis hinc inde multa conferrent, rogauerunt Burgenses Abbatem, quatinus in tanta necessitate sibi & illis consuleret, tempúsque redimeret, recipiens diem Comitis sub tali conditione, vt in eo tantùm Comiti faceret, quantùm deberet. Acquieuit Abbas suorum consiliis, mandauítque Comiti dicens: Quoniam ex improuiso tyrannicè inua-

ſiſti domum meam, licet omninò iniuſtum ſit quod exigis, ſuſcipio tamen diem tuum ſicut violentiam paſſus, aſſignatum apud Altiſſiodorum, tantùm ibidem facturus, quantùm debere me probabo. Protinus Comes fruſtratus à propoſito (propoſuerat nanque tali conditione Vizeliacum ſuo mancipare dominio) collecto impetu veſaniæ ſuæ receſſit. Inſtante autem die, miſit Abbas ad Comitem Deſeſiæ Maiores Eccleſiæ ſuæ, Gilonem tunc Priorem, & Gaufredum Angligenam Suppriorem, atque Giſlebertum Eleemoſynarium. Quibus ille dixit vt ſe ſequerentur Niuernis, ibidem eos auditurus. Quod cùm feciſſent, ex parte Abbatis renuntiauerunt ei diem aſſignatam, rogantes, vt alteram propinquiori loco aſſignaret. Renuente illo diei renuntiationem vel commutationem ſuſcipere aut dare, ſubintulerunt: Dominus Abbas Vizeliacenſis tibi reſpondet per nos, quòd mandato tuo ſtare nullo teneatur iure, & ſi denuò per violentiam volueris illum fatigare, ipſe te appellat ad audientiam Apoſtolicam, ad quam dominium Vizeliacenſis Monaſterij propriè ſpectat, & ad audiẽtiam Domini Regis, ſub cuius protectione & cuſtodia idem Monaſterium conſiſtit, aſſignátque tibi diem in præſentia Papæ Alexandri in Octauis Paſchæ; interim ſe ſuáque in manu Apoſtolici, & in manu Regis committens. Et cùm hæc dixiſſent, licentiámque redeundi ab eo petiiſſent nec impetraſſent præ nimia ira, paululum digreſſi reuerſi ſunt ad hoſpitium ſuum in Monaſterium S. Stephani, quod contiguum eſt eidem vrbi, ſimulantes quaſi in craſtinum ad Curiam Comitis eſſent redituri. Nocte verò conſcenſis equis Vizeliacum redierunt. Abbas autem declinans furorem inſanientis Comitis abiit in Franciam.

Abbas verò abiit ad Alexandrum Papam, ſignificans ei qualiter & quàm iniuſtè ipſe & Eccleſia Vizeliacenſis à Comite grauaretur. Inde profectus eſt ad Regem conqueſtus in auribus eius ſuper iniuſta vexatione qua premebatur à Comite, qui motus tam compaſſione conquerentis, quàm commonitione Alexandri Papæ, mandauit Comiti diem colloquij in vrbe Senonum. Quo vtrinque conuenientes, & plura hinc inde conquerendo conferentes, cum pacis veſtigia nulla paterent, tandem rogatu Regis diem requiſitæ iuſtitiæ in ſub-

Digitized by Google

monitione ſua diſtulit. Rex autem Ludouicus Epiphaniorum diem fecit apud Vizeliacum, & ſuſcepit eum Abbas, obſecutúſque eſt ei diligenter; quo regreſſo, inuidia ductus Comes mandauit Abbati diem apud Altiſſiodorum qui diem ſuſcipiens pro tanto quanto ſibi competeret, miſit ad Papam Legatos qui eum conſulerent quid ſuper hoc faceret. Illi verò accepto ab eo conſilio, & cautè ſecreto commiſſo, reuerſi ſunt.

Monachus circumfert reliquias SS ad poſcēdas ſuppetias.

Et egreſſus quidam Frater Vizeliacenſis, nomine Renaldus, à Monaſterio quod adiacet Moreto cum B. Dei Genitricis MARIÆ, & ſancti Blaſij, aliorúmque Sanctorum memoria propter ædificationem Baſilicæ ipſius Monaſterij, de eleemoſynis fideliũ plurimam collectionem faciebat. Cúmque loca peragraret, & Ambianenſium pagum pluribus Sanctorum virtutibus opitulante ſuperna gratia illuſtraſſet, ad caſtrum quod dicitur Arborea, cum ipſa Sanctorum venit memoria: vbi paucis diebus commoratus, cùm plurima ibidem Sanctorum per merita fierent miracula, & multus vndique occurſus populorum fieret, tandem exinde abire propoſuit, & hinc inde, vt moris eſt, aſſumentes lecticam, nec vel parum ab Eccleſia potuerunt eam extrahere. Cúmque vices vicibus alternarent, & nunc alios aliis, nunc fortiores fortioribus ſubmitterent, Dominus locorum nomine Alelmus cum alio illuſtri viro lecticam leuauit, ſed neque limen Baſilicæ attingere potuit. Reponentes itaque lecticam ſuper altare, orationi incubuerunt. Tunc vnus Fratrum, qui cum eodem Renaldo aduenerant, vocatus Petrus, ſtulta temeritate cœpit lecticam ipſam, quaſi Sanctos flagellis exire compellens, percutere virgis. Nec mora, in illum deſæuit vltio: continuò quippe paralyſi diſſolutus, poſt paucos dies hac vita caruit. Illuſtris ergo vir Alelmus perpendens diuinitus hæc fieri, pro munere ſibi cœlitus collato, omnium bonorum auctori Deo gratias egit; dedítque in confinio ipſius caſtri in proprio allodio locum vbi ædificaretur Oratorium, in quo Sanctorum memoria reponeretur, & à Fratribus religioſo officio ad honorem Dei coleretur: Conſtituit etiam locum ipſum ſub regimine & diſpenſatione Eccleſiæ Vizeliacenſis debere conſiſtere, eo quòd Sanctorum pignora ab eadem

Digitized by Google

Ecclesia & à Fratribus eiusdem loci perlata ibidem fuissent. Ad quem locum ipse Guilelmus Abbas cum vocatus venisset, alias quoque Reliquias & ornamenta multa pretiosa secum attulit, quæ ob honorem Sanctorum & ob deuotionem fidelium locorum illorum ibidem reliquit : dictus est locus ille de nomine adiacentis castri, Arborea. Sic inter fluctus persecutionis bonorum semper successus virtutis incrementum capit ; & vnde magis Ecclesia affligitur, inde magis cumulatur.

Grassatur Comes Niuern. in Monachos Vizel.

Comes itaque Guilelmus graui odio tenebatur aduersus Guilelmum Abbatem, & quia minùs perficere valebat quod volebat, furorem suum in rapina asinorum, & pecorum, & mancipiorum Monasterij explebat. Et erat homo pessimus Hugo, cognomine Lethardus, seruus de capite suo Monasterij : fuit quippe mater eius consanguinea germana Simonis filij Odonis Præpositi Vizeliaci, serui vtique Ecclesiæ : qui videlicet Simon prodidit & percussit Dominum suum, videlicet Artaldum Abbatem Vizeliacensis Monasterij. Hunc Hugonem fecit sibi Comes Præpositum apud castrum Censurium, qui præ omnibus satellitibus Comitis Ecclesiam persequebatur. Impossibile dictu quot & quibus quantísque modis nocte diéque vexabat eam, & iniustè agens de iure interpellabat Ecclesiam ; sed ius exigens, nil iuris rependebat, immò pro iure sibi constabat quicquid contra ius fásque violenter extorquebat. Cùm ergo iterũ Abbas conquereretur in Alexandri Papæ auribus super iniquas & multiplices oppressiones, quæ per satellites Comitis sibi & suis inferebantur, scripsit Alexander Comiti & matri eius in hæc verba.

Vtà vexatione abstineat ad eum scribit Alexander Papa.

„ ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio nobili viro GVILELMO Comiti Niuernensi, & „ IDÆ matri eius, salutem & Apostolicam benedictionem. „ Quantò Monasterium Vizeliacense ad ius B. Petri, & dis„ positionem nostram noscitur specialiùs pertinere, tantò „ eius incrementis & commodis studio frequentiori inten„ dimus, & ad pacem ipsius, & bonorum conseruationem „ magis solliciti permanemus. Inde quidem est quòd de „ pace & vtilitate eiusdem Monasterij studiosi omnimodis „ existentes dilectum filium nostrum Subdiaconem PE-

Digitized by Google

„ TRVM ad nobilitatem vestram transmittimus, Magni-
„ tudinem vestram per Apostolica scripta rogantes, mo-
„ nentes, & exhortantes in Domino, quatinus ad pacem
„ & vtilitatem præscriptæ Ecclesiæ, & rerum suarum con-
„ seruationem & defensionem pro reuerentia B. Petri, ac
„ nostra, modis omnibus intendatis, & iam dictum Subdia-
„ conem nostrum in hoc audire & etiam exaudire curetis;
„ & circumadiacentes nobiles & potentes Barones vestros
„ à præscripti Monasterij molestijs & iniurijs penitus com-
„ pescatis. Ita quoque nostris in hac parte precibus & ad-
„ monitionibus acquiescatis, vt nos preces ac petitiones ve-
„ stras debeamus efficaciùs exaudire, vt eis effectum vtilem
„ indulgere & ad honorem vestrum omni tempore feruen-
„ tiùs aspirare. Datum Senonis VII. Idus Septembris.

Igitur Petrus Rom. Ecclesiæ Subdiaconus peractis apud Vizeliacum Dominicæ natiuitatis solemniis, venit ad Comitem & ad matrem eius, dedítque illis Apostolica scripta: & cùm post Apostolica scripta etiã & suam vti optimè literatus exhortationem obturatis auribus exhibuisset, illi ex aduerso iniurijs & diuersis pluribúsque mendacijs cœperunt Abbati & Fratribus eius detrahere, bonúmque nomen illorum diffamare. Et cùm de pace cum inimicis pacis tractaret, nullum pacis vestigium inuenit, nisi Abbas contra morem & dignitatem Ecclesiæ iudicio Curiæ Comitis staret. Adhibito ergo communi Fratrum consilio deliberauerunt omnes pariter exilium potiùs mortis subire, quàm tantæ tyrannidi deseruire. Omnem itaque postponens Abbas dissimulationem inducíarum, suscepit diem indictam in initio Quadragesimæ: misítque ad Papam vt sibi mitteret auxilium: qui misit ei IACINTVM Diaconem Cardinalem Rom. Ecclesiæ, & PETRVM de Bona Subdiaconem suum, & IOANNEM Marischalcum suum.

Literas Papæ spernit Comes.

Eo tempore Fratres Pontisaræ astabant Apostolicæ Curiæ, interpellati à Cluniacensibus, eò quòd vel Guilelmum quondam Abbatem suum Vizeliacensibus illis inconsultis dimiserint, vel alium ei substituerint: Sed defecerunt Cluniacenses à causa sua, nec etiam præsentare se ad diem præsumpserunt. Vnde Fratres Monasterij Pontisarienſis absoluti

De pace tractatur.

Digitized by Google

à Romano Pontifice, cum libertate ſua remearunt ad propria. Quorum Abbas LECELINVS Vizeliacum interim degebat, & rei exitum ibidem expectabat. Præ nimia quippe arrogantia dedignati ſunt illum Cluniacenſes in cauſam trahere, ſed Fratres eius tantùm, quaſi acephalos prouocauerunt: de Monachis tantùm, non de Abbate, quaſi non eſſet Abbas, conquerentes, ideò conſequenter Fratrum, & non Abbatis audientiam Alexander Papa expetijt: Sed quia non fuit Sathan neque occurſus malus, probatam Potiſarenſis Monaſterij libertatem fauore omnium Cardinalium confirmauit. Conuenerunt itaque Altiſſiodorum GVILELMVS Abbas Vizeliacenſis, & LECELINVS Abbas Põtiſarenſis, atque Abbas Monaſterii S. Ioannis de Pratis, cum multis aliis Fratribus & amicis Monaſterii Vizeliacenſis; quibus etiam occurrerunt Legati Apoſtolici: quorum præſentiam Comes reueritus iam ſponte mutare diem voluit, quem hactenus nec rogatus differre permiſit. Super quo Abbas prudentes viros conſuluit. Reſpondens Iacintus dixit ei: hactenus tertiana laboraſti febre, ergone vis quartanã ſubire? quin potiùs ambages omnes abrumpe, & de iure libertatis tuæ incunctanter age: & poſuit Abbas verbum ſuum in ore Abbatis Monaſterii S. Ioannis de Pratis: ſed nec ipſe nec quiſpiam alter ob timorem Comitis auſus eſt proloqui. Quod videntes filii libertatis Eccleſiæ Vizeliacenſis fide armati omnem penitus timorem abiecerunt, & propriam dignitatem alieno defenſare ſermone indignum duxerunt. Surrexítque Gilo tunc temporis Prior Cœnobii Vizeliacenſis, & ait Comiti: Hactenus audiuit allegationes tuas Dominus Vizeliacenſis; & quædam quidẽ facili cedunt concordiæ; cætera verò ſecum ipſe tractabit: nam iudicio tuo eum ſtare debere fruſtra exiſtimas, quippe qui nullo vnquam tibi iure tenetur. Quo audito Comes nimio furore correptus eſt. Erubuit enim ad verbum quod præter opinionem ſuam fuerat prolatum. Egreſſúſque eſt Abbas cum ſuis à Comite. Iacintus autem feroces Principis animos mitigare tentabat, & pro pace inſtabat: ſed repulſus, vel inducias aliquas Eccleſiæ dari orabat. Acquieuit Comes & fictas licet inducias dedit vſque in octauas Paſchæ.

Inſtante

Digitized by Google

Instante igitur sacra Dominicæ Resurrectionis solemnitate venit Vizeliacum Signiensis Episcopus, à latere Domini Papæ missus ad visitandos, & confortandos Fratres: & consecrauit ibidem sacro-sanctum chrisma, & oleũ sanctum sacro die Cœnæ; celebrauítque Sabbato sancto Paschæ Ecclesiasticos Ordines. Ordinauit autem Henricum, Petrum, & Humbertum de Monachis Ecclesiæ Presbyteros; Geraldum quoque eiusdem villæ Clericum fecit Presbyterum; Tres etiam Diacones de Monachis ordinauit, scilicet, Ansellum, Guilelmum, & Gaufredum: Subdiaconos autem, Guilelmum, & Guidonem pueros. Porrò Laurentium de Moreto fecit Acolythum.

Episcopalia munia exercet Vizeliaci Signiens. Episcopus.

Thomas autem Cantuariæ Archiepiscopus Henricum Regem fugiens, exulabat apud Pontiniacum. Is aliquando familiarissimus eidem Regi, & eleganti strenuitate conspicuus, Cancellarius eius exstiterat, nec eo potentior quisquam visus est apud Regem Angliæ: at vbi Ecclesiastici regiminis curam suscepit, Deum homini præponere per omnia curauit, vnde contigit vt vsurpanti Regi in morem Oziæ iura Ecclesiastica velut alter Ionas constanter restiterit: quamobrem indignatus Rex, & inæstimabilem gratiam implacabili commutans odio, comprehendere illum & bona eius in fisco redigere dispositi: Sed præuenit impios conatus solertia innocẽtis, & clam mare transiens cum paruo comitatu ad Ludouicum Regem Francorum venit, & se suósque in manu illius commisit. Qui suscepit eum benignissimè, & necessarium ei auxilium liberaliter exhibuit. Attamen iustum illi visum est Alexandrum Papam adire debere, & omninò ipsius consilio stare. Ad quem cùm venisset, & aduentus sui causam ei exposuisset, condoluit ei Alexander, & tradidit eum Guichardo Pontiniacensis Monasterij Abbati, qui postea ab ipso Alexandro Lugdunensium Archipræsul consecratus est. Rex autem Ludouicus pro his & pro alijs negotijs ad Henricum Regem Anglorum misit, indixerúntque Reges mutuum colloquium: cui colloquio cùm interesse Alexander disponeret, venit Parisius: quod vt Rex Henricus cognouit, colloquium indictum Ludouico Regi demandauit, infestus Alexandro ob inuidiam Thomæ Cantuarien sis. Alexander autem iteratò iam

S. Thomas exul in Gallia tutelæ Regis se committit.

acceperat Legatos Romanorum rogantium vt rediret, & B. Petri ad ſedem remearet: Vale dicens itaque Ludouico Regi ad vrbem venit Bituricorum.

Hugo Letardus res Vizel. deprædatur inſtinctu Comitiſſæ Niuern.

Impijſſimus verò Hugo Letardus, ſeruus nequam genere & moribus pertinaciter inſiſtebat tàm captioni, quàm deprædationi hominum & rerum Vizeliacenſium; ſed & illa vetus Herodias, filia Ieſabel de ſemine Amalech, mater videlicet Guilelmi Comitis Niuernis, nomine Ida, virus odiorum ore peſtifero iugiter infundebat in filij pectore, æmula honeſtatis, & inimica totius bonitatis, & quæ ſatellites ſuos quaſi filij partibus fauens, ad perſequendum Monaſterium Vizeliaci acriter perurgebat: Hinc cædes, hinc rapinæ, hinc captiuitates, hinc varia tormenta, hinc mortis diuerſa genera, omnia de antro fœmineæ nequitiæ manantia; nec facilè cuiquam ciuium Vizeliaci exitus liber patebat. Compoſuerant Fratres ratem calcis miræ magnitudinis ad conſtruendum dormitorium ſuum, & igne ſuccenſo trahebant ligna cum plauſtris de adiacenti nemore ſuo: vnde inflammata hydra peſte inuidiæ, immiſit Satellites veſaniæ ſuæ, qui in ipſis Sancti Spiritus ſolemnijs equos raperent quadrigarum, quibus ligna trahebantur: ſic deficiente igne periit opus ratis pretii centum librarum. Huius hydræ viperinus filius præceperat obſeruari iter Guilelmi Abbatis, vt quaſi eo ignorante à vilibus mancipiis dehoneſtaretur. Tantis igitur vndique malis afflictus Guilelmus Abbas, proſecutus eſt Alexandrum Papam; quem cùm in prædicta vrbe inueniſſet, expoſuit ei omnia vt potuit mala, quæ à Comite & matre illius patiebatur: dixítque illi quòd cauſa ſua, cauſa eſſet Domini Papæ & totius Romanæ Eccleſiæ, cuius iuris Monaſterium ſuum propriè exiſtebat, & ideò æquè vt ſuum Vizeliaci negotium ſuſcipere Apoſtolicum debere; præſertim cùm idem Monaſterium hoc ſolo crimine periclitaretur, quòd ſe Romanum libera voce profiteretur, & quòd nemini ſe obnoxium, niſi ſoli Romano Præſuli fateretur. Addidit quoque, quòd ſi periclitanti Monaſterio quàm citiùs ſubuenire negligeret, tanquam repudiatum adultero manum daret, & iam ampliùs de cenſuali iure non teneretur, maximè cùm in ipſa Apoſtolica præſentia tàm moder-

Conqueritur Abbas corã Papa multis rationibus.

Digitized by Google

ea, quibus ipse dominatur, ut Deus dicitur homines regere, licet illorum, qui dominantur, ministerio. Quemadmodum igitur hæc in Politia civili, quæ modum continent, ut ea, quæ sunt ordinis naturalis, ordinate fiant, non sunt ordinis naturalis, sed humani: Ita quæ in Politia Ecclesiastica, quæ ordinem hunc respiciunt, ut ea, quæ sunt ordinis naturalis, ordinate fiant, non sunt ordinis naturalis, sed humani. Quemadmodum enim in Politia civili, ut ordinate fiat, quæ ordinis naturalis sunt, magistratus requiritur: Ita in Politia Ecclesiastica, ut ordinate fiat, quæ ordinis naturalis sunt, Ministerium requiritur. Quemadmodum autem in Politia civili magistratus officium, magistratus est, magis quam magistratus: Ita in Politia Ecclesiastica Ministerium, Ministerium est, magis quam Ministerium. Quemadmodum igitur magistratus officium, magistratus est, humanum est, ita Ministerium, Ministerium est, humanum est. Quemadmodum autem magistratus officium, magistratus est, ita ut ejus exercitium, magistratus exercitium sit, ita Ministerium, Ministerium est, ita ut ejus exercitium, Ministerium exercitium sit. Quemadmodum autem magistratus officium, magistratus est, ita ut ejus exercitium, magistratus exercitium sit, non quidem ordinis naturalis, sed humani. Ita Ministerium, Ministerium est, ita ut ejus exercitium, Ministerium exercitium sit, non quidem ordinis naturalis, sed humani. Quemadmodum autem magistratus officium, magistratus est, ita ut ejus exercitium, magistratus exercitium sit, non quidem ordinis naturalis, sed humani, ita ut ejus exercitium, magistratus exercitium sit, ita Ministerium, Ministerium est, ita ut ejus exercitium, Ministerium exercitium sit, non quidem ordinis naturalis, sed humani, ita ut ejus exercitium, Ministerium exercitium sit. Quemadmodum autem magistratus officium, magistratus est, ita ut ejus exercitium, magistratus exercitium sit, non quidem ordinis naturalis, sed humani

lus ſtultus eſt, pauper & ſuperbus. Ego igitur Edua ſuperbiam illius contundam: tu autem ſtultitiam eius ſubſannabis, & paupertas illius noſtras ſupplebit delicias. Inuitemus ergo Aſſur precibus, inſtigemus perſuaſionibus, conducamus muneribus, qui eius arrogantiam atterat in virga ferrea, & in manu robuſta: & quoniam non eſt auxiliator neque propugnator qui liberet eam, ſcindamus eam inter nos, & tollat vnuſquiſque partem ſuam. Tu Cluniacus arcem obtinebis Capituli: Ego Edua mihi vindicabo altare. Porrò Aſſur, Comes ſcilicet, oppidum diripiet. Et quis ad hæc, inquit, Domine ſancte Pater ſtabit? vtinam eſſet tranſmigratio! vtinam ſorte diuideremur! vtinam tempus & tempora nobis ponerentur! fortè quandoque ſuſcitaret nobis Dominus Aod * ambidextrum, in cuius manu foret ſalus Iſraël: nunc autem in ſedibus noſtris iugulamur, in domo noſtra ſeruituti ſubiicimur, temporis redemptio perpetua nobis efficitur ſubiugatio. Tantorúmque malorum cumulo totius miſeriæ & extremæ ignominiæ accedit incrementum, quod in conſpectibus patris mactamur, quod à complexibus paſtoris auellimur, quod legitimo præſente patrono præiudicamur; quódque ſumma totius redargutionis eſt, ſilentio vniuerſalis Iudicis condemnamur. Vtique ſi actio palam procederet, ſi ratio intercederet, ſi ius faſque, vel iudiciarius ordo locum haberet, leuior eſſet iactura, & gauderet compendio præiudicata pœna, tametſi minùs videretur conſcientiæ iudicio promerita: nunc autem cauſa noſtra in ore vulgi verſatur, & iudicium noſtrum in manu inimicorum noſtrorum proſcribitur.

* *Alludit ad cap. 3. Iudit.*

His auditis condoluit Alexander, & omnis Romana Eccleſia, ſcripſítque Comiti, vt illata damna Monaſterio Vizel. emendaret, & denuò ab infeſtatione eius abſtineret: quòd ſi quid iuris habere ſe aduerſus Abbatem putaret, præſentiæ ſuæ in octauis Pentecoſtes apud Clarum-montem ſe exhiberet, ibi primùm Abbati ſatisfacturus, & ſic ab eo ius debitum recepturus. Comes autem Apoſtolicum mandatum penitus contempſit, inſuper etiam Abbati inſidias prætendens, ita eum incluſit, quòd nec illius equi aquatum ire poſſent. Miſit ergo Abbas Ioannem Clericum ſuum ad Ale-

Papa Alexander reſpondet Abbati; conatúrque à vexatione Comitem auertere.

Digitized by Google

xandrum : sed & Comes dissimulans contemptum, misit & ipse Theobaldum Decanum Niuernis, & Humbertum Archidiaconem, & Bernardum Priorem S.Stephani : quos Apostolicus Pontifex benignè susciens, requisiuit vtrum sufficientes responsales pro Comite aduenissent. Sed cùm excusationem potiùs quàm iuris executionem prætulissent, absolutos remisit, scribens per eos Comiti quatinus infra octo dies posteaquam literas suas recepisset, Abbati & Fratribus Monasterij Vizel.ablata restitueret, captos Burgenses, & eorum obsides liberos absolutósque dimitteret; & ipsis stratæ publicæ, quam à longè retroactis temporibus habuisse noscebantur, ingressum & egressum liberum habere permitteret : deinde Apostolico se conspectui præsentaret, vt inter eum & prænominatum Abbatem ac Fratres componeret. Quòd si ei graue videretur, scilicet Apostolicam adire præsentiam, ad Senonensis & Bituricensis Archiepiscopi præsentiam cum Abbate accederet, qui inter eos pacem & concordiam reformarent. Porrò Bituricensi & Senonensi Archiepiscopis scripsit formam præscripti mandati ad Comitem, præcipiens eis, vt si Comes mandato illius staret, congruam compositionem inter Abbatem & Comitem facerent : sin autem, præcipiendo mandauit soli Senonensi, vt secundum tenorem aliarum literarum procederet, quarum continentia ita se habet.

Scribit ea de re ad Senonensem Archiep.

„ ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei, „ Venerabili Fratri HVGONI Senonensium Archiepisco- „ po Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad tuæ Fra- „ ternitatis notitiam peruenisse credimus, quomodo vir „ nobilis Comes Niuernensis, & mater sua, in Vizeliacense „ Monasterium manus suas ampliùs solito aggrauarunt, & „ Dei ac B.Mariæ Magdalenæ, cuius corpus in eodem Mo- „ nasterio requiescit, timore & reuerentia omninò postpo- „ sitâ, equitaturas, boues, asinos, & pecora tam Monasterij „ quàm exteriorum obedientiarum per seruientes suos ra- „ pere, & exinde abducere minimè formidarunt. Abbati „ quoque eius loci iamdictus Comes minas & insidias cir- „ cumponit, ita quòd de Monasterio sine proprij corporis „ periculo & timore exire non audeat. Vnde quoniam Mo-

„ nasterium illud ad ius & proprietatem B. Petri ac nostram
„ noscitur specialiter pertinere, & non modicum membrũ
„ Ecclesiæ Romanæ existit, Fraternitati tuæ per Apostolica
„ scripta mandamus, quatinus sicut gratiam B. Petri ac no-
„ stram caram habes, memoratum Comitem, & matrem
„ suam, sub velocitate cum omni diligentia studeas conue-
„ nire, & attentiùs exhortari, quòd prænominato Abbati &
„ Fratribus ablata omnia cessante dilatione restituant: de
„ damnis & iniurijs illatis congruam satisfactionem exhi-
„ beant, & ab eorum molestatione ac grauamine indebito
Nisi Comes resipiscat, interdictũ & excommunicationem mandat promulgari. „ vlteriùs omninò quiescant. Alioquin infra XX. dies post
„ commonitionem tuam per totam terram eorum omnia
„ diuina officia, præter baptisma paruulorum, & pœniten-
„ tias morientium, penitus interdicas, & si nec sic resipue-
„ rint, in personas illorum excommunicationis sententiam
„ non differas promulgare. Venerabilibus fratribus nostris,
„ Eduensi, Lingonensi, Autisiodorensi, & Niuernensi, Epis-
„ copis per scripta tua significans, & firmiter eisdem ex par-
„ te nostra iniungens, vt sententiam à te in supra dicti Co-
„ mitis vel matris suæ terram aut personas eorum prolatam
„ vsque ad dignan satisfactionem inuiolabiliter studeant
„ obseruare. Nos enim ipsis per scripta nostra mandamus, vt
„ ex quo super hoc literas tuas receperint, id fideliter stu-
„ deant adimplere.

Eiusdem est argumenti. „ ALEXANDER Episcopus Seruus Seruorum Dei: Ve-
„ nerabilibus Fratribus HENRICÒ Eduensi, GALTERIO
„ Lingonensi, ALANO Autisiodorensi, & BERNARDO
„ Niuernensi Episcopis, Salutem & Apostolicam benedi-
„ ctionem. Ad vestræ Fraternitatis notitiam, *&c. vt supra*
„ *vsque ad hæc verba:* Ecclesiæ Romanæ existit. Venerabili
„ Fratri nostro Senonensi Archiepiscopo dedimus in man-
„ datis, vt memoratum Comitem, & matrem suam sub
„ velocitate, cum omni diligentia studeat conuenire, &
„ attentiùs exhortari, quòd prænominato Abbati & Fratri-
„ bus ablata omnia cessante dilatione restituant, de dam-
„ nis & iniurijs illatis congruam satisfactionem exhibeant,
„ & ab eorum molestatione & grauamine indebito vlteriùs
„ omnino quiescant: alioquin per totam terram eorum om-

Digitized by

„ nia diuina officia, præter baptiſma paruulorum, & pœ-
„ nitentias morientium, penitus interdicat: & ſinecſic reſi-
„ puerint, in perſonas illorũ excommunicationis ſententiã
„ non differat promulgare: vobis per ſua ſcripta ſignificans,
„ & firmiter ex parte noſtra iniungens, vt ſententiam ab
„ eodem in ſupradicti Comitis vel matris ſuæ terram, aut
„ perſonas eorum prolatam, vſque ad dignam ſatisfactio-
„ nem inuiolabiliter obſeruare curetis. Ideóque Fraterni-
„ tati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus
„ cùm eius ſuper hoc literas receperitis, quod ab eo exinde
„ ſtatutum fuerit, ſicut gratiam B. Petri ac noſtram caram
„ habetis, firmiter teneatis, & per veſtras parochias faciatis
„ inuiolabiliter obſeruari; alioquin nos in noſtri trangreſ-
„ ſorem mandati id auctore Domino duriùs corrigemus.
„ Datum apud Clarum-montem Nonas Iunij.

„ ALEXANDER Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ca- Rogat Re-
„ riſſimo in Chriſto filio LVDOVICO Illuſtri Francorum gem vt Co-
„ Regi Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad Regiæ mitẽ coër-
„ ſerenitatis notitiam credimus peruenisſe quomodò nobi- ceat.
„ lis vir Comes Niuernenſis & mater ſua in Vizel. Monaſte-
„ rium manus ſuas ampliùs ſolito aggrauarunt, & Dei ac
„ B. Mariæ Magdalenæ, cuius corpus in eodem Monaſterio
„ requieſcit, timore & reuerentia omnino poſtpoſita, equi-
„ taturas, boues, aſinos, & pecora tam Monaſterij quàm
„ exteriorum obedientiarum, per ſeruientes ſuos rapere, &
„ exinde abducere minimè formidarunt. Abbati quoque
„ eiuſdem loci iam dictus Comes minas & inſidias circum-
„ ponit, ita quòd de Monaſterio ſine proprij corporis peri-
„ culo & timore exire non audet, publicam etiam & anti-
„ quam ſtratam non ſolùm infringit, ſed viatores per
„ quoddam caſtrum ſuum tranſire compellit, & occaſione
„ iſta quoſdam Burgenſes à nundinis redeuntes cepit. Vn-
„ de quoniam Monaſterium illud ad ius & proprietatem
Romanæ Eccleſiæ, & Regiæ Celſitudinis protectionem
„ ſpectare dinoſcitur, Serenitatem tuam per Apoſtolica
„ ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino,
„ quatinus diuini amoris obtentu, & pro reuerentia B. Petri,
„ ac noſtra, memoratum Comitem & matrem ſuam inſtan-

Digitized by Google

„ ter commoneas, & diligentiùs ſtudeas conuenire, &
„ etiam ſi neceſſe fuerit poteſtate Regia coërcere, vt præ-
„ nominato Abbati & Fratribus ablata omnia ſine dilatio-
„ ne reſtituant, de damnis & iniurijs congruam ſatisfactio-
„ nem exhibeant, & ab eorum moleſtatione ac grauamine
„ indebito vlteriùs omnino quieſcant. Ita quòd ab omnipo-
„ tente Domino indeficiens propter hoc præmium fœlici-
„ ter valeas adipiſci, & nos Clementiæ tuæ vberrimas ex-
„ inde gratias exoluere teneamur. Nos enim præfatum Co-
„ mitem & matrem ſuam per noſtras literas monuimus, vt
„ errata corrigere ſtudeant, & à talibus de cætero penitus
„ conquieſcant. Datum apud Clarum-montem Nonas Iu-
„ nij.

De præfatis literis à ſe ſcriptis certiores facit Abbatem ac Monachos Vizel.

„ ALEXANDER Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Di-
„ lectis filijs GVILELMO Abbati & Fratribus Vizelia-
„ cenſibus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Suſ-
„ ceptis literis veſtris ac diligenter perſpectis tribulatio-
„ nibus & anguſtijs veſtris, quas earum continentia expri-
„ mebat, paternæ mentis affectu interiùs condoluimus, ſicut
„ qui Monaſterium veſtrum proprium patrimonium B. Petri
„ eſſe cognoſcimus, & vos ſicut ſpeciales & deuotos Eccleſiæ
„ filios certiori in Domino caritate diligimus, & veſtris pro-
„ fectibus prompto animo aſpiramus. Inde ſiquidem fuit
„ quòd cariſſimo in Chriſto filio noſtro Ludouico Illuſtri
„ Francorum Regi, Venerabilibus quoque Fratribus noſtris
„ Hugoni Senonenſium Archiepiſcopo, Eduenſi, Ligonenſi,
„ Autiſiodorenſi & Niuernenſi Epiſcopis, nobili etiam viro
„ Comiti Niuernenſi & Comitiſſæ matri eius, pro negotio
„ veſtro ſcripta noſtra dirigimus, ſicut ex eorum tranſcri-
„ ptis vobis euidentiùs innoteſcet; vos autem ad hæc corri-
„ genda ſtudium & operam adhibeatis, & per Clauſtri ac
„ religionis obſeruantiam iugiter orationi vacantes, clame-
„ tis in cœlum, vt omnipotens Dominus his malis citò fi-
„ nem imponat, & vobis pacem & optatam tranquillita-
„ tem concedat. Datum apud Clarum-montem Nonas
„ Iunij.

Archiepiſcopus Senon. arbiter

Igitur HVGO Senonenſium Archiepiſcopus ſecundùm mandatum Apoſtolicum præfixit Comiti & matri eius diem

infra

infra quem ablatâ Eccleſiæ Vizeliacenſi reſtituerent, & ſuam atque Biturícenſis præſentiam adirent, vt cum Eccleſia Vizeliacenſi componerent. At illi rogauerunt Senonenſem quatinus per ſe ſolum diem ſibi & Abbati daret, illi autem conſilio eius cum Abbate libenter componerent. Et conuenerunt Senonenſis & Abbas cum Fratribus & amicis ſuis apud ſanctum Iulianum de Salice. Comes autẽ & mater eius Legatos ſuos miſerunt, non qui componerent, ſed qui appellarent Apoſtolicam audientiam. Præuiderat hoc Abbatis Guilelmi prouida ſagacitas, qui iam paulò antè cum magna celeritate miſerat Nuntium ſuum, ſupplicans quatinus omnem appellationis vocem tolleret ab eis, qui potiùs ſubterfugium quàm iudicium quærebant. Vnde impetrato quod poſtulabat reuerſus eſt feſtinanter Nuntius; & quarto die poſt appellationem ingreſſus Senonicam vrbem, inuenit Abbatem, & dedit ei optatas literas Domini Papæ. Statímque Abbas ingreſſus ad Archiepiſcopum tradidit ei Apoſtolicum mandatum, quo continebatur, vt niſi Comes & mater ſua infra præſcriptum terminum viginti dierum, quem nuper in ſuperioribus literis præfixerat, ablata Eccleſiæ reſtituerent, de illatis iniurijs ſatisfacerent, & à grauaminibus Eccleſiæ deinceps quieſcerent, omni remota appellatione in perſonas & in terras eorum ſententiam ſecundùm tenorem aliarum literarum promulgaret. Quo audito Senonenſis valde ſtupuit, miratus tam celerem appellationis remotionem: indignabatur etenim Apoſtolici iudicij ſententiam ſibi delegatam fuiſſe, eo quòd Niuernenſis Comitis animoſitatem vereretur. Ipſe autem Comes ære grauiter alieno preſſus audiuit multas eſſe opes in quodam Aruernorum municipio, quòd vocatur Mons-Ferrandi; & repente ex inſperato quietum nihílque ſuſpicantem aggreſſus eſt populum, & omnem prædam prædicti diripuit municipij, ipſúmque Dominum municipii pactæ pecuniæ obſidem ſecum tenuit: vbi cùm furioſa tyrannide deſæuiret, venit ad eum Senonenſis Archiepiſcopi Hugonis Nuntius, & obtulit ei ex parte Domini ſui Archiepiſcopi Senonenſis literas hunc modum continentes:

à Papa cõſtitutus agit cauſam Vizeliac. & Comitis.

,, HVGO Dei gratia Senonenſium Archiepiſcopus. Ca-
,, riſſimo ſuo GVILELMO nobili Comiti Niuernenſium

Niſi Comes ablata Vi-

zeliac. restituat excommunicationis sententiam minatur.

„ salutem & dilectionem. Suscepimus literas Domini Papæ
„ pro Ecclesia Vizeliacensi, quam omni modo aggrauastis,
„ sicut Monachi conqueruntur, & misimus ad vos statim
„ Guilelmum Fratrem meum qui vos ammoneret diligen-
„ ter, vt omnia ablata & damna faceretis restitui, & iniu-
„ rias emendari, & præfixus fuit vobis dies. Infra verò diem,
„ sicut conquesti sunt Monachi, viginti quatuor boues capi
„ feciſtis: Ad diem qui præfixus fuerat misistis ante nos re-
„ sponsales vestros, minus quidē sufficientes vti videbatur,
„ quoniam nec literas vestras attulerant, quòd quicquid
„ facerent de negotio, teneretis. Nec ideò pleniùs agere
„ poterant in eodem negotio. Abbas quidem plenariam pe-
„ tebat restitutionem ablatorum, sicut Dominus Papa præ-
„ cipiebat: sin autem, infra terminum viginti dierum, prout
„ in eisdem literis Domini Papæ continetur, plenariam iu-
„ stitiam de vobis & de terra vestra exhiberi. È contrà dice-
„ bant vestri, quòd recredi facerent Abbati: sed Abbas non
„ nisi plenam restitutionem volebat habere. Inter hæc verò
„ & alia, vestri appellauerunt ad Dominum Papam, & sic
„ destitimus in eodem negotio procedere. Postea venerunt
„ ad nos literæ à Domino Papa, in quibus nobis iniunctum
„ est, cessante omni occasione & appellatione si damna &
„ vniuersa ablata non feceritis restitui, ex tunc & in vos &
„ in terram vestram excommunicationis sententiā promul-
„ gemus. Quòd si non feceritis, infra decem dies postquam
„ literas istas videbitis, in vos & in terram vestram
„ auctoritate & præcepto Domini Papæ, quamuis tristes &
„ inuiti, excommunicationis sententiam promulgamus.

Comes excommunicatione inuodatur.

Similia quoque scripta misit Senonensis Idæ Matri Comitis; & completi sunt præscripti dies ante festum B. Mariæ Magdalenæ tertia die: & incurrit Comes & mater eius Apostolicam sententiam. Nec tamen minùs venire præsumpsit Comes Vizeliacum in festo solitam procurationem exacturus, non debitum honorem famulatrici Dei exhibiturus. Sed Fratres absente Abbate suo Domini Papæ excommunicatum procurare minimè præsumpserunt, immò diuina officia celebrare ipso præsente destiterunt. Super quo valdè aporiatus, voluit vim inferre Monasterio & Burgensibus,

Digitized by Google

ſed reuocatus eſt à Milone & ab alijs Baronibus ſuis.

Et addidit Satan aggrauare manum ſuam ſuper Monaſterium Vizeliaci, & intrauit in cor quorundam Pſeudo-monachorum, vt quoniã exterior calamitas ad euacuandam dignitatem Monaſterij ſufficere minùs videbatur, inteſtinum ſaltem bellum ipſam penitus libertatem ſubiugaret. Nam Petrus quidam genere Aruernicus in Monaſterio à iuuentute enutritus, viperinam aſtutiã aſinina ſimplicitate, vel potiùs hypocriſis fictione occultabat. Et quoniam palliata virtus bonorum ſimplicitatem efficaciùs decipere ſolet, factum eſt vt per ſingulos gradus ordinis ad Priorat um Monaſterij promotus, tandem induſtria & ope dignæ memoriæ Abbatis Pontij Monaſterio Tornodorenſi præficeretur. Quam dignitatem indignus indignè adeptus, vitiorum protinus laxatis habenis, bona domus ad nihilum vſque redegit. Cuiuſdam præterea iuuenis nomine Theobaldi, quem ſacro habitu induerat, contubernio diffamatus, ſæpe à Fratribus Monaſterij ſui præmonitus, ſæpe ab ipſo Lingonenſi Epiſcopo ſuo Godefrido correptus eſt: ſed cùm non minùs correptionem quàm præmonitionem neglexiſſet, contubernium tandem illius Fratris abiurare ab Epiſcopo præfato coactus eſt. Cúmque dilapidationi domus etiam periurij infamiam appoſuiſſet, canonico iudicio à cura regiminis Monaſterij Tornodori remotus eſt. Quem depoſitum Pontius Abbas venerabilis vſus ingenita pietate ſuſcepit, & eum multo, quamuis indebito, honore habuit. Quo videlicet Pontio Patribus ſuis in pace coniuncto, inſanus ille Petrus fratres Monaſterij Vizeliaci ſollicitando cœpit à ſacra libertate deuiare, & electionem huius Guilelmi, de quo agitur, modis quibus potuit impedire, ſed infatuatum eſt conſilium Architophel, & diſſipatæ ſunt omnes machinationes Satanæ. Tamen multis verbis ſtultorum corda inficiebat, & interna odia concitabat. Factus eſt eius inſipientiæ collega Gaufredus de Latiniaco, potens in ſermone, & efficax in perſuaſione, ſed efficacior in verſutia.

Monachi quidam degeneres partibus ſtant Comitis.

Talis & tantus præfato coniunctus Theobaldo furtiuis colloquijs & nocturnis ſuſurrijs nunc iſtum nunc illum ſollicitabat, inquirebat, irritabat, inſtigabat & prouocabat

ad ſcandala detractionum atque odiorum. Vterque igitur coeuntes ex ſemine Chanaan pepererunt filium diſſenſionis, materiam ſcandali, fomitem inimicitiæ, incitamentum diſcordiæ, Bartholomæum ſpurium, & ex ſcorto ab adultero genitum.

His quatuor rotis currus Pharaonis velut quatuor equi iuncti ſunt, & alij quatuor quorum nomina ſupprimuntur, quia nihil præter numerum efficere valebant, tum quia in tempore examinationis à propoſito reſipiſcentes inſipientiam ſuam recognouerunt. Per hos omnes murmur paulatim ſerpebat, & ſacri ordinis diſciplinam quodammodo inficiebat. Iamjámque confœderantes ſibi quoſcunque allicere poterant, vnanimi deliberatione ſcripſerunt Petro pulſo à Tornodoro, qui paucis antè diebus cum gratia & benedictione Abbatis ad viſitandas obedientias ſuas in territorio Aruernico ſitas perrexerat, & rogauerunt eum ſuppliciter, vt deſolatæ domui Vizel. ſubueniret celeriter, vnum eſſe dicentes conſenſum Fratrum omnium illius conſilio in hac neceſſitate parere. Quibus cognitis, Petrus ſtatim inopinatus aduenit, malignantes exhilarauit, cæteros autem multa admiratione tam ſubiti quàm inſperati aduentus repleuit: & acceſſerunt ad eum clàm machinatores infandæ ſeditionis, & effuderunt in auribus eius fel conſpiratæ proditionis, rogantes & adiurantes, ſeſeque illi deuouentes, vt infauſtam illorum cauſam aduerſus Abbatem, immò aduerſus Eccleſiam ſuſciperet: ſpondentes ſe nunquam illi defuturos vſque ad mortem, & etiam totius Conuentus maximam partem ſibi ſociaturos. Ille Comitem ſecretò adijt, qui, vt prætaxatum eſt, ad feſtum conuenerat eíque ſeditioſorum vota intimauit. At ille gaudio incredibili exultans, ipſe quidem fidei pollicitatione, ſibi & complicibus eius ſpopondit, quod eis in omnibus firmiſſimum præſtaret auxilium, equos & expenſas, & etiam ſi neceſſe foret, tuta præſidia vbique locorum terræ ſuæ impenderet. Quatuor autem milites de Optimatibus ſuis dedit ei obſides, qui iurejurando pacti ſunt Comitem promiſſa ſeruaturum tam ipſi quam omnibus quos ſecum aduerſus Abbatem in fide Comitis habere poſſet. Petrus verò & Theobaldus iurauc-

Digitized by Google

runt Comiti fidem ſe illi tenere aduerſus Abbatem, ita quòd potiorem partem Conuentus Eccleſiæ fidelitati Comitis ſubmitterent: ipſi autem poſt Alexandrum vniuerſalem Pontificem aduerſus eundem Abbatem Guilelmum pergerent. Et facta eſt coniuratio hæc in ipſo ſacro feſto Sanctæ dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ, in capella ſuperiori apud B. Laurentium, per manum Stephani Pontiſarenſis, & Stephani de Petra-foraminis, & Milonis atque Hugonis de Argentolio. Et impij quidem atque adulterini ſic prophanauerunt ſanctum diem, fratribus & liberæ filijs dolentibus & mœrentibus, quòd Patronæ ſuæ minus dignè poſſent exſoluere debitam celebritatem. Aderant quoque HENRICVS Piſanus Cardinalis, & Electus Maguntinus, atque Electus Carnotenſis, qui ſpecie tenus videbantur agere de pace, ſed ſpiritu carnis acti magis ac magis partibus Comitis & matris eius fauebant.

Vnde & ipſe Comes proditorum ſuggeſtionibus audacior effectus, Fratrum Capitulum ingredi petijt; quo impetrato conqueſtus eſt de Abbate, à quo exhæredaretur, & multiplicibus iniurijs afficeretur. Quæ cùm vniuerſa immeritus pateretur, maximè dolere ſe perorabat deſolationem Eccleſiæ quondam rebus opulentæ, honorabilibus perſonis decoratæ, rigore diſciplinæ religioſæ, caritate hoſpitalitatis opinatæ: & quæ in his aliiſque pluribus bonis omnes Gallicanas Eccleſias poſt Cluniacum aliquando præcellebat, nunc & rerum penuriâ, & debitorum grauamine, & perſonarum exiguitate, & morum infamia, & hoſpitalitatis inhumanitate adeo denotabatur, quòd jam non ſolùm quarumcunque Eccleſiarum, ſed etiam vilium vulgi perſonarum fabula extaret, quòd totum vtique ſuperbia & diſſolutione Abbatis, ipſorum quoque Fratrum conſenſu, qui ei fauerent, proueniſſe conſtabat. Vbi, ait, ſunt honeſtæ illæ & graues perſonæ quondam, Cellerarius, Hoſpitalis, Sacriſta, Eleemoſynarius, Camerarius, quorum prudentiâ & etiam potentiâ olim domus hæc florebat? Iam non eſt in vobis qui poſſit alterum iuuare, vel conſulenti cuilibet reſpondere, caſſo nomine tantùm honoris retento. Idcirco patet in propatulo omnium veſtrum diſſolutio, cum ſimiles

Comes allicere conatur Monachos aduerſus Abbatẽ.

simili fauentes, quasi gratuitam patimini iniuriam. Hactenus sustinui iniurias meas, hactenus passus sum huius Ecclesiæ detrimentum; quæ videlicet Ecclesia quoniam mea est, & in tuitione mea velit nolit Abbas vester, consistit, jam ampliùs tantum dedecus, tantúmque grauamen non patiar; præmonitos tamen vos esse cupio, quatinus Abbati suadeatis, vt huic denuò Ecclesiæ parcat, & à destructione illius desistat; quódque mei iuris est mihi restituat. Ego quipp nihil noui exigo, sed meorum antiqua Patrum iura repeto. Quomodo nanque nouis vel iniustis exactionibus grauarem, quam ab omnium hominum infestatione habeo custodire? Moneo demùm vt consulatis vobis, alioquin ab omnibus vobis exigam tantæ illius prauitatis assensum.

Prior Comiti respõdet.

His auditis, surrexit Gilo Prior ad hæc responsurus, vocauítque Ecclesiæ Seniores, & ipsum alterum Iudam cuius adhuc proditio latebat, & secessit in Oratorio B. Dei Genitricis MARIÆ cum Fratribus & Burgensibus, collatóque consilio, respondit Gilo: Sicuti, Domine Comes, ipse professus es, & nos quoque cognoscimus & volumus te tutorem ac patronum nostrum & Ecclesiæ huius esse. Desolationi autem domus nostræ te compati gratum & acceptum habemus; atque in hoc affectuosiùs Celsitudinem tuam rogamus, quatinus in his quæ ad tuam, & in his quæ aliorum Principum spectant personam, Ecclesiæ huic, quæ in tua existit custodia, consulas & prouideas. Quæ licet interiùs fraternâ pace & concordia, sufficientíque victu & vestitu vigeat, exteriùs tamen & rerum suarum diminutione, & quorumdam inimicorum grauamine laborat. Debito autem eam opprimi nondum nouimus, quod septingentas libras non excedere scimus. Capituli sanè seueritas, & Claustri disciplina, necne personarum dispositio non minùs solito florere nobis videtur; & si qua mendacis infamiæ nota Ecclesiam lædit, non hanc veritatis assertio, sed æmulorum inuidia contraxit. Personam porrò Abbatis nostri bonam & honestam fore sicut volumus ita & credimus, & si quid odio iudice cuiquam de eo aliter videtur, rationis lance mendosum conuincitur. Eapropter idem sapere, idémque cum eo sentire, sicut decet membra cum capite, gaudemus: nec in tam communi legiti-

Digitized by Google

móque capitis & membrorum conſenſu quicquam ineſſe vitij ſperamus. Veruntamen ſi quid vel proprio exceſſu, vel aliena inſimulatione odio dignum fortè apud vos contraxit, hoc nos piget, & exinde plurimùm dolemus, licet vſque hodie incompertum quid vel quare commeruerit habeamus. Cùm ergo venerit, humiliter vt Monachi Abbatem, vt ſubditi Dominum cõmonebimus, quatinus dignitatis veſtræ gratiã promereri ſatagat. Cæterùm diſcretionẽ tuam exoramus, vt Eccleſiæ quæ in tua, vt dicis, exiſtit cuſtodia, parcas, & ne vnius hominis odio illam diſperdere moliaris, quæ quantum in ſe eſt, Abbati quidem ſuo ſubdita, tibi autem ſemper eſt deuota. Mandauerat autem Petrus proditor Comiti per Simonem de Siluiniaco clam, vt mitiùs Fratribus loqueretur, maximè in verbo quod ad Fratrum infamiam ſpectare videretur, ne dum Abbatem inſequitur, irritatos Fratres amittere videatur.

Reſpondit ergo Comes: Veſtros quidem mores non improbo, ſed multam egeſtatem veſtram, quam Eccleſiæ huius bonorum dilapidatione ab Abbate factam patimini, doleo: vnde, ſicut dixi, aut vos ipſi vobis & Eccleſiæ iſti prouidebitis, aut ego tantum vlteriùs detrimentum non patiar. Nam cùm canonico ordine nondũ publicatus fuerim, præcepto Abbatis veſtri ob ſolam præſentiam meam à diuinis officijs ceſſaſtis, & procurationem meam, mundo teſte, debitam neſcio qua ratione non exhibuiſtis. Quod verò debitum Eccleſiæ ſeptingentas libras non excedere dicitis, ſcio ego inter duo mariã plus quàm mille libras vos debere, & quod de exteriorum inimicorum grauamine querimini, hoc in caput Abbatis veſtri redundat, cuius tanta eſſe arrogantia dinoſcitur, quòd nec mihi, nec cuiquam alij, quod iuſtum eſt proſequatur: Verùm in cauſam vos ego non traho, tantùm vt recogitetis, & vobis prouideatis moneo. Quòd ſi feceritis, fidelem adiutorem me per omnia habebitis; ſin autem, veſtra intererit: ego autem mihimet prouidebo. Hæc ideo dixit, vt proditores animaret, & alios ad conſenſum proditorum incitaret. Egreſſus ergo Capitulum, locutus eſt Petro proditori, inierúntque ſimul conſilium, quomodò Petrus ipſe poſt Alexandrum Papam pergeret, Abbatem accuſaturus, & mitteret cum eo Abbatem Boniradij, qui ſub ouina ſpecie inſontem acriùs dente

Subinfert Comes.

lupino morderet; & vt dolus mutuæ locutionis lateret, ſpopondit Petro Comes quòd pecuniam, quam eidem Petro Eccleſia Tornodorenſis pro dimiſſione cuiuſdam obedientiæ debebat, ſibi reddere faceret.

Inſtabat autem dies colloquij data Comiti & Abbati ab Archiepiſcopo Senonenſi: ſed neque Comes neque Abbas conuenerunt: affuit tamen ex parte Abbatis Gilo Prior, & hic ipſe Petrus adhuc latens proditor. Cúmque vtrinque agerent in præſentia Archiepiſcopi apud Baſſoldum, & Gilo Prior illata à Comite damna Eccleſiæ aſtante Comite proſequeretur: Petrus vim feruentis doli eructans, cœpit conſtanter arguere Gilonem, quaſi duriùs & irreuerentiùs aduerſus Comitem loquentem. Quo audito Gilo & Gofridus tunc Hoſpitalis, aliíque Fratres, qui illuc pro Abbate conuenerant, erubuerunt vehementer. Comes autem pro parte damnorum reſtituendorum dedit obſides. De reliquis verò querelis, petijt alteram diem annuente Senonenſi Archiepiſcopo, innocenti parantes laqueum in quem ipſi deciderunt. Nanque Archiepiſcopus excuſatoriam petitionem miſit ad Alexandrum Papam, rogans vt ſententiæ ſuper Comitem alter Iudex delegaretur; ne fortè iuuenis Principis fæuitia tam in ſe quàm in ſuos debaccharetur, & vnius detrimentum duos in eadem pœna inuolueret. E contra Comes Petrum præfatum & alios Principes ſuos parabat mittere aduerſus Guilelmum Abbatem Vizeliacenſem ad Alexandrum Papam. Et hæc erat fiducia, vt Archiepiſcopo excuſante, Comite autem accuſante, delegarentur à Papa Iudices, qui inter vtroſque limites Comitis & Abbatis cauſam agitarent. Sed contigit in obliquum, & fruſtrata eſt cogitatio inſipientiæ.

Narrat Prior Abbati quid cum Comite egerit.

Infecto igitur negotio receſſerunt ab inuicem, & venit Gilo ad Abbatem apud ſanctum Iulianum de Salice, & retulit ei quæ nudius tertius apud Vizeliacum, & quæ in præſentem diem egiſſent, & quàm impudenter confudit eos Petrus ille intimus amicus ſuus in præſentia Comitis & Archiepiſcopi. Super quo Abbas non modicùm ammiratus, ex abundanti gratia fidem dictis nullatenus adhibuit, immò liberum eum ab omni ſuſpicione dimittens, præce-

pit

Digitized by Google

pit ei vt receptâ pecuniâ à Tornodorenſibus in domum ſuam de Salis abiret, ibidem eum expectans iturum in proximo poſt Alexandrum Papam, aut viſo Nuntio ſuo, occurreret ei apud Podium, paratus proficiſci cum eo : præmiſerat autem Abbas ad Curiam Ioannem Clericum ſuum, à quo cùm literas recepiſſet, quòd Alexander in Kalendis Auguſti mare foret ingreſſurus, propoſitam profectionem dimittens, venit per terram Ducis Vizeliacum perendie Octauarum B. Mariæ Magdalenæ, & obſtupuerunt quotquot erant de factione Petri ad tam ſubitum & inopinatum Abbatis aduentũ, quem denuò Abbatis honore præditum non ſperabant rediturum, quemadmodum contubernalibus ſuis prophetizando, vel potiùs delirando iam prædixerant.

Abbas tandem agnoſcit proditores ſuos.

Certior tandem Abbas redditus de proditoribus, vocauit Vincentium Decanum, narrauitque ei quomodò etiam alio referente eadem cognouerit. Vocauit etiam Abbas Gilonem Priorem, & retulit ei omnia quæ audierat. Incredibile illi viſum fuiſſet, niſi nequitiam verborum Petri ad memoriam renouaſſet. Accerſitus poſtmodùm Gaufredus Supprior, obſtupuit ad ea quæ dicebantur : nec mirandus ſtupor tantæ nouitatis : Eccleſia quippe Vizeliac. trecentorum & eò ampliùs annorum tanta pacis & honeſtatis diſciplina floruerat, quod vſque ad id temporis nulla infamiæ macula, nullius ſcandali rumor eam fœdauerat. Abbas autem paci & quieti, atque ſilentio, & caritati operam dare omnes in commune hortabatur, & vt orationi attentiùs inſiſterent, & manus in cœlum contra Amalech leuarent, deprecabatur. Dein habita ex more ſolemni proceſſione, obtulit Deo ſacrificium. Et hi qui ſeditionem abiurauerant, ſcripſerunt Petro & Theobaldo, vt cœpta omitterent, quoniam fruſtra contra ſtimulum recalcitrarent; præſertim cùm in ipſo exordio diſſipatum videretur conſilium illorum, & ipſi deprehenſi traditam ſibi ab ipſis nequitiam abiuraſſent. Alexandro quoque Summo Pontifici & vniuerſis Apoſtolicæ Curiæ Cardinalibus ſcripſerunt, qualiter à quodam dierum malorum inueterato fuiſſent infatuati; quem ad pedes Apoſtolicæ Curiæ venientem aduerſus Abbatem ſuum, & Matrem ſuam Eccleſiam, ne ſuſciperetur, exorant, néve

Digitized by Google

tenebræ lucem obfuſcarent, errórque veritatem obtunderet, ſupplicant. Porro vaſa iniquitatis filij Belial, ſcilicet Gaufredus Latiniacenſis, & Guilelmus Pidet, in felle permanentes nequitiæ, & dolos excogitantes inſipientiæ, rogabant Abbatem, quatinus poſt Petrum & Theobaldum eos abire concederet, quatinus eos aut reducerent, aut in Romana Curia de proditionis nequitia conuincerent: ſanè columbina ſimplicitas prudenter nonnunquam præcauet aſtutiam ſerpentis; vix nempe experta nequitia ſuſpicione caret.

Poſt prandium itaque clam diſpoſito itinere, venit Guilelmus Abbas nocte Aualonam, quod eſt caſtrum Ducis Burgundiæ. Inde ſurgens ſeptima die Montempeſſulanum ingreditur, habens in Comitatu Gaufredum Angligenam Suppriorem, Vincentium Decanum, Franconem Capellanum ſuum, HVGONEM Pictauinum Notarium ſuum huius Operis Auctorem. Hugo autem de Varenis ſubſequutus fuerat proditores Petrum & Theobaldum, quos in caſtro quod dicitur Gannac inuenit ſimul cum Abbate Boniradij, qui ea hora iam ſe collocauerat. Proferens igitur Hugo literas Abbatis Guilelmi, & totius Capituli Vizeliac. tradidit eas Petro, quem toruo lumine Theobaldus reſpiciens, ait Petro: Quid eſt, ſtultorum ſtultiſſime quod feciſti? Quis enim eſt ille Abbas in cuius nomine formatam ſuſcepiſti? nos quidem illum pro Abbate non habemus, qui fidelitati Comitis contrarius exiſtit: & hæc dicens, formatam adhuc integram rapuit de manu Petri, atque in ſolo conculcandam proiecit. Reſpondens Hugo dixit Petro & Theobaldo: Iniuria hæc non ſolùm Abbatem, ſed etiam totum Conuentum Vizeliacenſis Monaſterij lædit. Ex parte igitur Abbatis Guilelmi, & ex parte totius Capituli vobis dico, vt infra quartum diem Vizeliacum redeatis ad obiecta reſponſuri: ſin autem, Abbas & totus Conuentus ſententiam excommunicationis auctoritate Apoſtolica in perſonas veſtras promulgant, & ego ipſam ſententiam ex parte illorum vobis denuncio. Et egreſſus Hugo occurrit Abbati apud Aniciũ Ciuitatem Vallauorum, & retulit ei proditorum rebellionem. Præuenerúntque proditores Abbatẽ; ſed prægogniti à Ioanne Clerico Abbatis, nullum ad Curiã introitũ habere potuerunt.

Auctor huius hiſtoriæ.

Digitized by Google

Ingressus Abbas ad Alexandrum Papam, cum magno honore & plena gratia susceptus est ab eo, & ab omni Curia. Cúmque proditores adire Curiam niterentur, & ab ea turpiter & cum nota proditionis etiam per ostiarios repellerentur, introiuit Abbas Boniradij quasi propria Ordinis sui negotia executurus: vt autem partes Comitis cœpit allegare, & proditorum velut innocentium Legatorum Ecclesiæ Vizeliacensis causam aduersus Abbatem, quasi aduersus dilapidatorem bonorum, & Ordinis subuersorem agere, repulsus est statim ab Alexandro Papa, resistente ei in faciem VMBALDO Hostiensi Episcopo Cardinali. Denique HENRICVS Pisanus Cardinalis, & Electus Maguntinus parti Comitis & proditorum pro posse fauebant. Vnde precibus multis pertæsum Papam, vix compulerunt scribere Comiti excommunicato. Quod vt per notarios cognouit Abbas, ingressus ad eum genuflexo dixit: Quid est Domine quod feciſti? nondum plenam iustitiam sumus assecuti, & iam illud tantillum iustitiæ quam nobis feceras, reuocasti. Quomodò, ait Papa? Scribendo, inquit, præter morem Apostolicum ei quem ipse excommunicasti. Ergone, ait, iam sententia promulgata est? Ita inquit. Et dixit: Ostende tuum rescriptum; & dedit ei: protinus Alexander misit in gazophilacium Notariorum, & iussit vt surreptitium illud scriptum retineretur: vtque cognouit quod iam illud Maguntinus recepisset, indignatus valde, præcepit vt celeriter ab eo reposceretur: quo reddito, ingressus est Maguntinus ad Papam, & petijt Apostolicam epistolam sibi reddi: quem Papa cœpit arguere de surreptione indebiti scripti: qui cùm petitionis suæ repulsam indignè ferret, ad lacrymas prorupit. Motus ergo Papa, dixit ei: Ecce habeto vt vis; sed nullum exinde cognato tuo emolumentum præstabis: fecimus enim noua scripta aduersus illa surreptitia. Videntes verò Petrus & Theobaldus proditores quòd nihil proficerent, recesserunt. Quibus abeuntibus occurrerunt eis Guilelmus Pideth, & Helias literis quidem vacuus, sed insipientia plenus; hi ad vomitum reuersi, & abiurata infidelitate resumpta, nocte Claustrũ clam egressi, Monasterij murũ cõscenderunt, & per funiculos sese summiserunt. Accidit autẽ vt rupto funiculo caderet Helias, & brachiũ læderet.

Fautores Comitis. Abbas à Romano Pontif. cũ honore exceptus: Proditores repulsi.

Digitized by Google

Tota igitur nocte fugientes, & ad Comitem venientes conquesti sunt se grauissimis tormentis afflictos ab Abbate ob illius solam odij causam, quibus Comes dedit equos & expensas, misitque eos post Petrum & Theobaldum. Vt ergo sibi inuicem occurrerunt, ad Curiam pariter reuersi sunt: & obseruantes exitum Alexandri Papæ, ad quem nullum penitus accessum habere valebant, tandem occurrerunt ei exeunti de Oratorio: prostratúsque coram eo Guilelmus Pideth, conquestus est quòd post appellationem Apostolicæ audientiæ cæsus & incarceratus fuerit ab Abbate Guilelmo. Nunquid, ergo, ait Apostolicus, & tu ex illis excommunicatis proditoribus Ecclesiæ tuæ es? Conclamantibus autem vniuersis adstantibus, eiecti sunt proditores à conspectu Alexandri de Consistorio. Denique Abbas nihil horum curabat, nec etiam verbum ex illis in Curia facere dignabatur. Volebat sanè vt delegatio Apostolicæ sententiæ in tyrannum & matrem illius à Senonensi transferretur, & cuilibet alteri delegaretur; quod etiam ipse Senonensis plurimùm affectabat, & hoc ipsum iam scripto petierat. Sanè quoniam potior & maxima pars terræ Comitis de Dioceſi eius erat, delegationem quidem sententiæ transferre Apostolicus noluit, sed vt securior & robustior ad executionem sententiæ Senonensis procederet, dedit ei collegam STEPHANVM Meldensem Episcopum: & scripsit vtrique quatinus Comitem Niuernensem & matrem eius conuenirent, eósque hortarentur cum Ecclesia Vizeliaci amicabiliter componere, aut super contemptores delegatam sententiam, omni surreptitio scripto postposito, & appellatione remota promulgarent; & Eduensi, Lingonensi, Altisiodorensi, atque Niuernensi obseruandam denuntiarent, secundùm quod eisdem scripto ipse mandauerat.

De legati Iudices à Summo Pontif.

Factum est ergo sequenti die Lunæ post Assumptionem intactæ Virginis & Genitricis Dei MARIÆ, ascendit sanctissimus & vniuersalis Pontifex Alexander Catholicus Papa ad altare, vt sacram & viuificam Deo victimam offerret pro anima IVONIS Carnotensis Ecclesiæ Decani; & cùm perficeretur sacrificium, proditores illi cum Gaufredo Angligena litigabant; & accessit ipse Gaufredus ad Vmbaldum,

Digitized by Google

Hostiensem Episcopum, & significauit ei quantam Domino Papæ proditores irreuerentiam irrogarent. Conuersus Hostiensis vidit detestabiles illos proditores, dixítque Alexandro: vt quid Domine, sustines prophanos illos proditores Vizeliaci, sacris te præsente interesse officijs? vbinam, inquit, sunt? Respondit, adsunt: & ait, Eijce quantocyùs eos foras. Dissimulantibus illis exire, protinus Hostiensis & Signiensis vocatis Officialibus expulerunt eos ab Ecclesia. Quod videns Maguntinus qui tunc fortè cum Vizeliacensi loquebatur Abbate ibidem, egressus præ nimia indignatione abijt post eos. Abbas quoque Boniradij, cuius lateri semper ipsi proditores adhærebant, videns sese frustratum à proposito, erubuit valde, & recessit: Quem proditores prosecuti, confusionem & ignominiam promeritam Domino suo Comiti reportauerunt. Abbas autem Guilelmus non recessit, donec ipsum Papam Alexandrum vsque ad mare prosecutus est. Reuersúsque prosperè auctus Apostolica benedictione, vltimo die mensis Augusti Vizeliacum ingressus est: inde post paucos dies venit Parisius, vbi Hugoni Archiepiscopo Senonensi, & Stephano Episcopo Meldensi Apostolica scripta tradidit: qui protinus tam ipsi, quàm Comiti statuerunt diem apud Iouiniacum. Quo cùm conuenissent, obtulit Abbas munimenta priuilegiorum Romanorum Pontificum, & Regum Francorum; Epistolas quoque Alexandri Papæ, quas prænominatis Pontificibus de executione compositionis seu sententiæ delegarat. Cúmque hinc inde allegarentur plura, constante controuersia dies finita est. Vt ergo Pontifices cognouerunt quòd per Comitem staret quin pacis cõpositio fieret, delegatam sibi ab Alexandro Papa excommunicationis sententiam super Comitem & super Matrem illius promulgauerunt.

Conueniũt Delegati Iouiniacũ, excommunicationíque subiiciunt Comitem & matrẽ eius.

Sequenti sanè die rogatu ipsorum Pontificum rursus hinc inde ad Vlmum Bassoldi conuenerunt. Enumeratis igitur damnis Ecclesiæ illatis, tentabant quidam ita componere quòd Abbas damna sua omnino condonaret; Comes verò deinceps pacem cum Abbate & Ecclesia haberet, sícque omnes aliæ controuersiæ sopirentur. Et respondit Abbas, quam ergo cautionem præstabit Comes de pace tenenda? Dixerunt ei: nudo tantùm verbo tenebitur: quòd si Comi-

Iterũ apud Vlmum Bassoldi litem discutiunt, sed incassum.

Digitized by Google

tem ad hoc coëgeris, manu ſua fiduciabit in manu Pontificum. Et ſi, inquit Abbas, fidem compromiſſæ pacis exceſſerit, quis mihi iuſtitiam faciet? Reſponderunt: Tu videris: non ergo acquieuit Abbas remiſſioni tantorum detrimentorum, immò magis omnino inſtabat vt grauamina procurationum penitùs à Comite remitterentur. Quippe cùm auctoritate Teſtatoris & priuilegiorum neminem habeat Eccleſia procurare, niſi ſponte & ex caritate. Comes verò reſpondit priùs ſe velle exhæredari quàm obtentam à patribus ſuis conſuetudinem relinquere. Quin etiam ni trecentas libras ei Abbas pro negata ſibi nuper procuratione ea ipſa die perſolueret, nullam pacis compoſitionem reciperet. Et ait Abbas Guilelmus: Nequaquam more nummularij ad has nundinas attuli ſacculum meum. Veruntamen ecce iam in propatulo patet ſuperſtitio tyrannidis ſeu rapacitatis Comitis, qui pro vnius diei procuratione trecentas libras exigit; & ſub tanto flagello quæ pax poterit conſtare? Sic per Comitem negata pacis compoſitione diſceſſum eſt. Venit itaque Gilo Prior Pontiniacum nocte illa cum Epiſcopo Meldenſi qui celebrauit feſtum Omnium Sanctorum apud Vizeliacum. Gaufredus verò Supprior cum Renaldo Eleemoſynario, & reliquis ſocijs venerunt non ſine timore Altiſſiodorum, & nocte ſurgentes ipſo mane ingreſſi ſunt Vizeliacum. Porrò Abbas noctem illam fecit cum Senonenſi Archiepiſcopo, & Abbate S. Germani de Pratis, apud ſanctum Iulianum de Salice. Inde occurrit Regi Moretum, efflagitans vt pro ingenita pietate, & pro Apoſtolici mandati reuerentia in tanta & tam graui neceſſitate Vizeliacenſi ſubueniret Eccleſiæ: à quo reſponſum accepit, nunquam ſe B. Mariæ Magdalenæ neque famulis eius defuturum; Immò pro Monaſterio Vizeliacenſi, ſicut pro corona Regni decertaturum. Abbatem ſanè ſuſtinere ad modicum debere, & declinare veſaniam inſanientis tyranni, & videre ſi fortè ad ſacrilegium vſque manus extenderet, quatinus completam totius orbis teſtimonio puniret.

Abbas Regem adit.

Archiep. Senonenſis excommunicatos de-

Suſcepit igitur Abbas monita Regis, miſítque Hugonem Notarium ſuum mandans Senonenſi Archiepiſcopo, quatinus iuxta Apoſtolicum mandatum Comitem & matrem eius

Digitized by Google

excommunicatos publicè denuntiaret. Cum itaque Archiepiſcopus ſacris adſtaret altaribus, & expleta lectione Apoſtolica, ſolemnis perficeretur iubilatio, aſtante populo, & expectante * Diacono, fecit ſermonem ad populum, ſignificans ei quantis grauaminibus Comes Niuernenſis & mater eius, dilectricis Dei B. M. Magdalenæ toto orbe famoſiſſimum perſequeretur ſepulchrum. Pro quibus videlicet grauaminibus ex mandato, inquit, Domini Papæ ſententiam excommunicationis ſuper vtrumque promulgamus; & niſi infra imminens feſtum B. Martini reſipuerint, totam terram illorum ſub interdicto totius diuini officij, præter baptiſma paruulorum & pœnitentias morientium, [illegible]imus. Hanc ſententiam idem Archiepiſcopus Hugo ſcripſit Alano Altiſſiodorenſium, Bernardo Niuernenſium, Henrico Eduenſium, Galterio Lingonenſium Epiſcopis in hunc modum.

clarat Comitem & eius.

F. * ſpectante.

Ea de re eius epiſtola ad Epiſcopos.

HVGO Dei gratia Senonenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, Venerabilibus Fratribus & amicis Henrico Eduenſi, GALTERO Lingonenſi, ALANO Altiſſiodorenſi, BERNARDO Niuernenſi, eadem gratia Epiſcopis ſalutem & dilectionem in Domino. Diſcretioni veſtræ ſignificamus, quòd Dominus Papa ſæpe & repetitis literis à Claro-monte, & à Podio, atque à Montepeſſulano tam monendo quàm auctoritate Apoſtolica præcipiendo, nobis ſcripſit ſuper indebita grauamina & iniquas oppreſſiones, quas Monaſterio Vizeliaci & hominibus eidem pertinentibus Comes Niuernenſis & Mater ſua inferre noſcuntur. Denique præcepit nobis, vt ex tenore literarum ipſius videre poteſtis quas vobis ex parte illius mittimus, quatinus vtrumque, ſcilicet Comitem & Matrem ſuam, ſub velocitate conueniremus, & cum omni diligentia eos exhortaremur, vt Abbati prænominati Monaſterij ablata omnia ſine dilatione redderent, de damnis & iniurijs illatis ſatisfacerent, & ab eorum infeſtatione & indebito grauamine vlteriùs quieſcerent. Si autem infra XX. dies noſtræ commonitioni obedire contemnerent, ſuper ipſos excommunicationis ſententiam proferremus, & in terram illorum omnia diuina officia, præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias morien-

Digitized by Google

tium, penitus interdiceremus. : eamdémque ſententiam omni remota appellatione, & dilationis occaſione inuiolabiliter obſeruandam vobis auctoritate ipſius mandaremus. Nos itaque præceptum Domini executioni mandantes, cùm de admonitione noſtra nihil proficeremus, ſententiam excommunicationis in vtraſque perſonas promulgauimus; ſed vobis eam denuntiare hactenus conſultò diſtulimus. Pacem quippe inter Abbatem & Comitem componere cupientes inſtitimus, & in quantum potuimus, elaborauimus, tam nos quàm venerabilis Frater noſter Meldenſis Epiſcopus, cui hoc ipſum à Domino Papa ex induſtria iniunctum fuerat, ſed quoniam ſæpiùs à propoſito fruſtrati ſumus, tandem Iouiniacum conuenientes, & per biduum de pace agentes, cùm nec pacis veſtigium habere poſſemus, promulgatam iam diu à nobis ex mandato Domini Papæ ſententiam confirmauimus, eandémque vobis tenendam & firmiter obſeruandam auctoritate Domini Papæ & noſtra præcipiendo denuntiamus, mandantes vt de cætero habeatis eos excommunicatos, & ab inſtanti feſto S. Martini ſtatim ſine dilatione per omnes parochias veſtras excommunicatos publicè denuntietis, & in omni terra illorum diuina officia, præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias morientium, prohibeatis : maximè autem illis Sacerdotibus qui propriè Capellani Comitis & Comitiſſæ matris eius dicuntur, hoc denunciandum, & ſub Ordinis ſui periculo intimandum eſt, vt à tranſgreſſione Apoſtolici & noſtri mandati caueant.

Et hæc quidem Archiepiſcopus. Cæterùm Epiſcopi conſtitutam ſibi ſententiam minùs firmiter obſeruare ſtuduerunt. Porrò Guilelmus Abbas circuiens Monaſteria ſua in pago Baluacenſi conſtituta, ingreſſus territorium Nouiomenſium venit ad Villaris-Syluæ Monaſterium. Erat autem dies Sabbati hebdomadæ primæ aduentus Domini : eadem nocte venit ad eum vnus è pueris eius nomine Giroldus, referens ei luctuoſum ſtatum Vizeliacenſis Eccleſiæ. Accidit interea in eadem Eccleſia quoddam futuræ calamitatis præſagium ſimul & ſolatium. In crypta enim, quæ ſupra B. Dilectricis Mariæ Magdalenæ ſepulchrum extat, tantus ignis

Sepulchrũ B. Mariæ

caſu

casu erupit, vt etiam tirannos, quos Francigenæ trabes vocant, qui erant in superiori parte, combusserit. Imago tamen B. Dei Genitricis MARIÆ lignea, in ipsius pauimento cryptæ posita, nullum omninò passa est incendium, sed tantummodò denigrata est. Sericum autem quod ad collum Imaginis pueri IESV pendebat phylacterium, nec odorem fumi contraxit, nec in paruo aut magno colorem mutauit. Vnde liquidò claruit, quòd nec ipsa imago aliquantisper fumo obduceretur, nisi vt reparationis eius occasione thesaurus inæstimabilis latens in ea per diuinam dispensationem panderetur. Nam prædictâ imagine ad reparatorem missâ, dictum est ab ipso reparatore, quòd imago, vti sibi videbatur, occultissimum ostiolum inter scapulas haberet: quo audito, Gilo Prior præcepit eam portari in sacristariam; vocánsque secum Gaufredum Suppriorem, & Geruasium Sacristam, & Girardum Conestabulum, Mauricium quoque Succentorẽ, & ipsum Lambertum imaginis reparatorem, accepto cultello ipsemet rasit colores, lignóque retecto nullius iuncturæ indicium potuerunt deprehendere: demum accepit malleolum ferreum, tentauítque aure percipere, quod omnes oculis nequibant inuestigare, audiénsque quasi sonum rei concauæ, spe succinctus hilari ostiolum illud proprijs manibus piè audax reserauit, inuenítque capillos illius intemeratæ Virginis, quæ nec primam similem visa est nec sequentem habere; & de tunica eiusdem Genitricis Dei MARIÆ, & ossium vnũ B. Ioannis Baptistæ. Inuenit etiam ossa BB. Apostolorum Petri & Pauli & Andreæ in ligatura vna: vnam quoque vnciam pollicis B. Iacobi fratris Domini; sed & duas ligaturas de ossibus B. Bartholomæi Apostoli, & quasi vnum brachium de Innocentibus, atque reliquias S. Clementis, & vnam massam de Capillis S. Radegundis Reginæ: de vestimentis præterea trium puerorum, Sidrach, Misach, & Abdenago: & de veste purpurea quam indutus est Dominus IESVS Christus in passione. Per singula autem supra dicta singulos breues inuenerunt, qui singulorum docérent differentiam; & cùm omnes prædicti breues adeò inueterati essent quòd vix legi potuissent, inuenti sunt & alij tres non legibiles; sed cuius vel quorum extiterint soli Deo cognitum est. Quos ergo le-

Magdalenę flagrat.

Reliquiæ in imagine B. Virginis repertæ.

Digitized by Google

gere potuerunt, transcribi fecerunt, & vetera scripta cum nouis ligauerunt in testimonium. Postquam autem omnia diligenter viderunt, loco suo, vt priùs fuerant, reddiderunt, ipsámque imaginem cum prædictis sanctorum pignoribus super maius altare locauerunt: & induti omnes cappis, omnibúsque signis maioribus cum campanis pulsatis, laudauerunt Creatorem omnium, qui ad illorum custodiam & loci tutelam tot & tam præclara pignora largiri dignatus est. Tunc confluentibus populis tam peregrinis quàm vicinis fit lætitia & exultatio permaxima, tam in Ecclesia quã tota villa atque in locis vicinis, ex agris & ex vicis circũquaque properãtibus ad gaudij celebritatem. Denique vix omnium clamores Gilo compescens, manu silentium imperauit, causámque laudis & gaudij sub breuitatis moderamine reddidit omnibus flentibus præ gaudio, & dum postea sepulchri Dilectricis Dei cryptæ imaginem reddere niterentur, tantus factus est concursus populorum volentium eam osculari, vel etiam tangere, vt vix eam in omnium præsentia loco pristino possent restituere. Quòd autem ipsam imaginem tangi non permiserunt, causa fuit ne notarentur auaritiæ. Ignis ergo diuinitus erumpens instantis tribulationis præsagium fuit: inuentio autem sanctorum pignorum eiusdem tribulationis optimum finem edocuit. Hæc autem verba scripserunt Vizeliacenses Abbati suo Guilelmo ad consolationem susceptæ peregrinationis.

An. 1165. Comes Niuernen. nouam persecutionem mouet aduersùs Vizeliacẽses.

Annò Verbi incarnati millesimo centesimo sexagesimoquinto, vicesima sexta die Mensis vndecimi, quintâ feriâ quæ præcedebat aduentum Domini, GVILELMVS Comes Niuernis & mater eius Ida ingressi sunt oppidum Vizeliaci cum multitudine armatorum quasi funditus illud euersuri. Et Comes quidem declinauit in hospitium Monasterij quod adiacet domui Eleemosynariæ, quæ est in introitu Claustri: Mater verò eius omnium malorum incitatrix descendit in domum Simonis de Siluiniaco, & factus est timor magnus super omnes inhabitantes oppidum. Et intonuit sermo Giloni Priori, & omnibus Fratribus eâ horâ in Capitulo sedentibus: tulítque Gilo omnes claues Monasterij, prohibens ne quis Claustrum egrederetur. Et siluit Comes ea die. Sequenti

Digitized by

verò die cùm vidiſſet quòd nullus Fratrum prodiret, ſubſannando interrogauit vtrùm Monachi paraſceuem ridiculò ſolemnizarent, an fortè ſolitâ ſuperbiâ ſuam præſentiam dedignarentur. Hæc ille irridendo; reuera autem Fratres paraſceuem inſtantis reparationis libertatis ſuæ ſolemnizabant: nam ſicut per paraſceuem Dominicæ paſſionis reparata eſt dignitas humanæ conditionis, ſic & per paraſceuem communis Fratrum exilij excluſa tyrannica vſurpatione, reparata eſt integritas priſcæ libertatis. Et mandauit Fratribus Comes quòd vellet ingredi Capitulum eorum locuturus ad eos. Qui reſponderunt quòd non poſſent communicare excommunicato; Verùm ſi ea quæ pacis ſunt perſequeretur, per Priorem ſuum ei loquerentur. Paucis ergo ſecum accitis venit Gilo ante faciem Comitis, quem toruo reſpiciens oculo in multis eum obiurgabat; ad extremum vt deteſtabiles proditores Petrus & Theobaldus, eorúmque complices in Monaſterio reciperentur inſtabat. Cui Gilo reſpondit, nec poſſe nec debere ſe excommunicatos Domini Papæ recipere. At ille: Iſti, ait, non ſunt excommunicati; ſed quia noluerunt vti prudentes participare veſtræ leccacitati, innocentes expuliſtis à vobis. Reſpondit Gilo: Nos in pace & pro pace venimus, tu autem nos indebitis iniurijs appetis: vnde tibi certum conſtet, quòd denuò faciem tuam pro tali donatiuo non repetemus. His dictis, Clauſtrum Gilo repetijt. Comes autem miſſo præcone ſub interminatione præcepit omnes Burgenſes ante faciem ſuam conuenire. Quidam ſanè illorum nequitiam illius ſæpiùs experti ſeſe latenter per abdita infra Monaſterium receperunt. Poſuerat nanquè cuſtodes qui obſeruarent valuas, ne quis Burgenſium ingrederetur Monaſterium. Hi ergo qui vel de familiari obſequio, vel de furtiua commendatione tyranno exhibita præſumere potuerunt, præſentiam illius adierunt: quos protinus fidelitatem Abbati & Eccleſiæ pactam abiurare præcepit. At illi reſponderunt, conſilium ſuper hoc verbo ſe habituros. In promptu, ait, habetote conſilium. Et fecit obſerare oſtia hoſpitij portáſque Monaſterij: miſítque Stephanum Cancellarium ſuum, & Stephanum de Petra-foraminis, & Furnerium de Droia; mandauítque Giloni Prioti, vt ſibi mitteret claues

Monaſterij. At ille reſpondit : Ergóne Comes eſt Abbas, vel Clauicularius Monaſterij huius? Sic, inquiunt, præcipit Comes. At ille: Loquar ſuper hoc Fratribus meis : & ingreſſus Capitulum, omnibus Fratribus reſidentibus ſic exorſus eſt : Ecce, Fratres, ecce adeſt dies longè ante à Venerabili Abbate noſtro, & à nobis ipſis præmeditata, ſæpiúſque vobis prædicta, in qua de libertate veſtra & veſtræ Eccleſiæ, déque communi periculo veſtro & hominum veſtrorum non tractandum, ſed potiùs deliberandum eſt. Hæc dies eſt meta ſeruitutis & libertatis, quietis & laboris, ignauiæ & probitatis, honoris & infamiæ; vtrumlibet eligatis chirographo inuiolabili conſtabit. Hactenus bonorum veſtrorum rapinam ſuſtinuiſtis, hactenus minas & opprobria impiorum patienti aure quaſi ventorum rabiem excepiſtis. In theatro fortunæ iſtius vobis conſtitutis, omnium in vobis defixi ſunt oculi. Iam corpus ipſum negotij veſtri eſt in ſtadio, & vtrum vincatis, an vincamini nulla eſt dilatio, non ſufficit tyranno huic veſtes veſtras abrumpere, pilos veſtros euellere, pellem veſtram vellicare, ſed iam etiam molares veſtros conatur excutere. Claues veſtras expetit, vt veſtram libertatem ſeruitutis compede ſe incluſiſſe glorietur. Ad hoc verbum protinus omnes ſurrexerunt, & ne claues Monaſterij Comiti daret ex parte Apoſtolica, & ex parte Abbatis ſui vna voce contradixerunt. Et inſiſtebant vt paucis relictis cuſtodibus omnes pariter exilium pro libertate ſubirent. Quibus reſpondit Gilo : Inconſultum mihi videtur domum relinquere, quandiu redditus domusſuperfuerint.

Prior Fratres adhortatur vt forti ſint animo.

Et dum hæc agerentur, diuertens Furnerius de Droia, tulit ſecum ſatellites Comitis, & venit extrinſecus ad inferiorem portam domus Abbatis, eiectóque loripede qui portam cuſtodiebat, accepit claues, quæ fortè in oſtiolo valuæ maioris dependebant, & occupauit domũ tam ſuperiùs quàm inferiùs, relinquens in ea viros impios, qui Comitis loco eam obtinerent, quaſi Comes tantam in Monaſterio haberet dominationem, quòd eiectis Abbatis hominibus ſuos pro libito intromitteret. Et prorumpens Comes ingreſſus eſt Clauſtrum, clamante Iſgnardo Vicecomite Iouiniaci : Feſtinate, ait, ſuperbi Monachi, & eſtote ſubditi Domino meo Comiti. Cúm-

Satellites Comitis vi Monaſterium ingrediuntur, diripiúntque.

Digitized by Google

que feſtinaret Comes ingredi Capitulum Fratrum, occurrentes ei quidam compulerunt eum cedere retrorſum. Fratres autem ſtatim egreſſi Capitulum, ingreſſi ſunt Eccleſiam vt rei exitum expectarent, non vt diuina officia celebrarent in ea, à quibus ob præſentiam Comitis eadem Eccleſia vacabat, & cùm ſederent in ea reſpicientes viderunt ſuper capita ſua, tyranni ſatellites, qui iam turrem S. Michaëlis fracto oſtio inuaſerant. Siquidem ſubito aduentu inimicorum Fratres præoccupati non potuerunt reſiſtere inopinatæ nequitiæ: ſed & prudentioribus viſum fuit cedere potiùs quàm reſiſtere; ne fortè tyranni prouocatus furor Monaſterium ſimul & oppidum funditus euerteret. Poſt hæc Fratres Refectorium ingreſſi panem lacrymis, potúmque fletu miſcentes vix parũper cibo præguſtato egreſſi ſunt velociùs reſponſuri Burgenſibus de expoſtulata à Comite abiuratione: dixerúntque eis: Si ſanum ſapitis, honeſtam paupertatem diuitiarum infidelitati præferetis. Meliùs quippe eſt honeſtè viuere cum fidelitate, quàm opulenter cum dedecore infidelitatis: vos videritis quid præſtet conſultius. Siquidem veſtri gratia laboramus, veſtri cauſa perſequimur. Cuius enim eſt pretij ſtaminium noſtrum, ſeu nigellum caputium iſtud quod cernitis? Veſtræ opes ambiuntur, veſtrum propriè caput appetitur, ſi ſerpentino more vos membra noſtra ictui exponimus: ecce nos quaſi truncum caput, qualicunque quiete perfruemur: ſed abſit hæc à nobis, abſit quòd veſtra deditione ignominioſam pacem redimamus. Neque enim gloriamur in tribulationibus veſtris pro nobis ſed potiùs gloriamur in tribulationibus noſtris pro vobis; iam iam experiri libet, & iam experiri neceſſe eſt, quæ fides, quod fœdus, quis amor hactenus interceſſerit, iamque qui noſter eſt, nulla ratione à nobis auelli patietur. Talibus animati, qui fideles extiterunt cum Fratribus infra Monaſterium remanſerunt. Quo audito Comes armatos ſatellites diſpoſuit in domibus ſingulorum, ſolo victu præcipiens eos fore contentos de ſtipe obſeſſorum. Porro excommunicatis proditoribus pſeudomonachis, Petro ſcilicet, eiúſque complicibus tradidit domum & redditus de Eſconio: alio autem redditus omnes Monaſterij tradidit in manu Hugonis Letardi Præpoſiti Caſtri Cenſorij, qui erat

ſeruus Eccleſiæ de genere Simonis filij Odonis Præpoſiti Vizeliaci; qui videlicet Simon occidit Dominum ſuum Abbatem Artaldum. Hugo autem tradidit omnia Mauricio de S. Andræa eiuſdem conditionis & generis. Et innotuit verbum Giloni. Facto igitur veſpere mittit famulos qui debitum furnagium reciperent; quos ſatellites Comitis cum vxore Mauricij aggredientes panibus ablatis, & verberibus affectos remiſerunt. Reos etiam qui in domo Præpoſiti tenebantur iuſſit Comes abſolui. Tunc pro monaſtico more percuſsâ tabulâ ingreſſus eſt Capitulum Gilo cum Fratribus ſuis, & dixit eis: Iam quod rationabiliter differebamus, neceſſariò facere compellimur. Domus noſtræ & hominum noſtrorum occupatæ ſunt ab hoſtibus, redditus neceſſarij auferuntur; & quod morte grauius eſt, garciferi cum meretricibus ſacratiſſimum Dilectricis Dei ſepulchrum pedibus impuris conculcãt, iam nihil eſt quod nos detineat, quibus & victus & honeſtas interdicitur. Cedat ſanè dolor rationi & indiſcreta procul abſit deſperatio. Neque enim nouum eſt, vel inopinatum eſt quod accidit. Biennium eſt fere quod idem verſabamur in mente: hanc eandem violentiam tyranni, & futurum exilium præ oculis habentes, & vobis omnia hæc prædicentes, vnde & vos ipſi ſæpiùs nobis acclamaſtis, & vt præmeditata effectui manciparentur exoraſtis: & ecce nox tribulationis & nox temporis nos vrget, nec verbis ſed factis opus eſt. Et factus planctus & fletus magnus inter Fratres, & famulos, atque Burgenſes qui infra Monaſterium confugerant.

Monachi crudeliter vexati aufugiunt.

Diſpoſuit itaque Gilo Prior qui remanerent, quíve pergerent, & famulos qui euntibus obſequerentur. Et dato potu fecerunt ſuper ſe tota nocte excubias, & depoſuerunt imagines, & cruces, & omnia vaſcula, in quibus Sanctorum pignora continebantur. In qua depoſitione cum iconiã maioris crucis quæ ſuper altare in media pendet Baſilica, diligentiùs inſpicerent, inuenerunt de lacte inuiolatæ Virginis & Genitricis Dei MARIÆ. Gilo autem Prior inter tumultum euntium & redeuntium, clam nocte receſſit; deſcenditque pedes in inferiorem vicum S. Petri: ſtatímque conſcendens equum, venit in prædium quod vocatur Pons-Arberti, vbi cùm parumper quieſceret, ſuperuenerunt à Gi-

Digitized by Google

briaco Gaufredus Supprior, & Gaufredus Hoſpitalis : remiſsóque Hoſpitali Prior & Supprior per longos anfractus Burgundiæ declinantes terram Comitis, venerunt Iouiniacum. Facto igitur mane cùm vidiſſet Comes quòd Fratres receſſuri componerent ſarcinas ſuas, receſſit in domum Simonis Siluiniaci. Fratres autem præparatis omnibus, ingreſſi ſunt Capitulum, & accepta benedictione, mutuò ſibi cum lacrymis valedixerunt. Et ingreſſi in maiorem Baſilicam, vbi fere omnis populus cum paruulis & mulieribus conuenerat, ante ſepulchrum Beatæ Patronæ ſuæ prociderunt, & cauſam ſuam illius patrocinio commiſerunt : factúſque eſt mugitus ingens, flentium & plangentium, ſuóſque capillos euellentium ; ita quòd ad cœlum vſque pertingeret clamor vlulantium. Et erat horror intolerabilis videre quod vix præ dolore videri poterat, commixtúſque clamor & promiſcuus fletus pectora & capita ſua in ipſo pauimento tundentium. Elementa denique ipſa tantæ calamitati quodammodo compati viſa ſunt, dum obtenebratus aër, ſolaris ſplendor obfuſcatus, fluidus liquor congelatus, continuo niuium imbre adoperta tellus, triſtem omnia faciem prætenderent. Fletu tandem & vlulatu totius populi proſequente, egrediuntur Fratres ab Eccleſia numero ferme ſexaginta.

Iam Comes matre remanente ab Oppido receſſerat. Traditor autem Guilelmus Pideth conſcenſo equo tripudians venit poſt fratres, dicens quòd Comitiſſa mandaret vt ſubſiſtentes eam expectarent. At illi diſſimulantes inuiſum videre, tranſierunt Eſconium, peruenerúntque comitante populo ad Crucem Montis-gaudij. Ibi remorantes aliquantiſper, venerandámque toto orbe dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ Baſilicam reſpicientes, prociderunt in facies ſuas cantantes vt poterant : O peccatoris ſolatium ! Quis fletus, quíſve dolor fuerit abeuntium ſimul & proſequentium virorum ac mulierum, capita ſua ibidem præ anguſtia in niue volutantium, fari poteſt nemo ; Cum ſtylus hic ipſe ferreus lacrymis pene totus exudet. Luctus iſte, vt verùm fatear, funeris luctum excedit : ſiquidem luctum funeris releuat ſucceſſio hæredis : at verò hæredis deſolatio, hæreditatis eſt abolitio : inaudita noſtro orbe, noſtráque ætate deſolatio ! Catholicus

Princeps innocentes Monachos pellit à Monaſterio, & quem ferè totus Chriſtiani nominis mundus veneratur locum, affines ipſi atrociter deuaſtant. Si cauſa quæritur, libertas criminatur: ſi ratio ventilatur, præiudicium contorquetur. Cùm ergo fletus & gemitus vtrinque tam à Fratribus quã ab omni populo indifferenter funderentur, illa tyranni viperea mater Idam pedententiũ abeuntes proſecuta, acceſſit propiùs, & ab equo deſcẽdit, vtque à Fratribus audiretur ſimulata humilitate petijt. At illi memores illius Apoſtolici: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*: Surgentes à terra ſubſtiterunt. Tunc illa fictas prætendens lacrymas irrationabilem & ſine cauſa illorum calumniabatur exitum; cùm filius ſuus ipſos & Eccleſiam Vizeliacenſem affectuoſiùs diligeret, ſolíque Abbati inimicaretur, à quo iniuſtè exhæredaretur, quanquam filius ſuus nihil ab eo, niſi quòd ſui iuris eſt, repoſcat: eos autem memores eſſe debere illius Euangelici: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Rogabat deinde vt redirent, & ipſa filium exoraret, quatinus illorum miſertus vſurpatos redditus Monaſterij eis redderet, vel ſi ad hoc filium flectere nequiret, ipſa eis quotidianum ſumptum præberet, donec Abbas filio ſuo concordaret. Talibus dictis Fratres reſponderunt, quòd neque locus, neque tempus intercederet diſceptandi de iure filij ſui, cũ palam conſtaret illũ ſibi vendicaſſe fáſque nefáſque: redire autem ſub incerta ſpe inconſultum videbatur; & alienam ſtipem inconſulto Abbate ſuo percipere intolerabile credebant: indignum iudicantes ſe præbendarios famulatricis Chriſti IESV Mariæ Magdalenæ, effici ſtipendiarios deſolatricis ſepulchri eiuſdem Beatiſſimæ Patronæ ſuæ. Hæc dicentes terga mulieri dederunt, & noctem illam apud Breciam fecerunt.

Mater Comitis fictis lacrymis compati Monachis ſimulans, eis vt redeant ſuadere tentat.

Sequenti die properantibus Altiſsiodorum, occurrit ARDVINVS Venerabilis Abbas S. Germani, ſupplicans vt apud S. Germanum declinarent. Quo conceſſo, ille quidem redijt ad præparationem hoſpitij. Fratres autem bini & bini coopertis capitibus vrbem ingrediuntur, ſuam calamitatem Dauidica molodia commendantes: & factus eſt concurſus populi totius ciuitatis virorum & paruulorum ac mulierum flentium atque clamantium; Proh dolor! quis vnquam vidit

talia?

Digitized by Google

talia? quis crederet poſſe fieri talia? quis furor, quæve inſania exercuit talia? O glorioſa & B. Domina Maria Magdalena vt quid ſuſtines talia? quam de te nos peccatores fiduciam ſperare poſſumus, quæ permittis ſeruos tuos pati talia? pereant & confundantur omnes illi quorum conſilio aguntur talia. Ipſe quoque tyrannus aſcenſo equo aduenerat, & ſingulos reſpiciens, ſubſannabat eos dicens; ſic & ſic tales debent lucrari panem ſuum. Fratres autem nihil horum curantes demiſſis vultibus tranſierunt. Et honeſtè ſuſcepti in Monaſterio S. Germani nocte illa quieuerunt. In craſtinum autem diuertentes apud Iouiniacum in domum Hugonis quondam Præpoſiti procurati ſunt honorificè ab Aimerico Podienſi, & à fratre illius Stephano. Inde properantes ad vrbem Senonicam præmiſerunt procuratores. Simon autem, cognomento Infans, egreſſus deambulatum fortè occurrit eis, & cognitâ causâ tanti laboris tantorum & talium virorũ, vehementer condoluit. Et deſcendens ſuppliciter petiit, vt in domum ſuam pro caritate diuerterent. Quo vix impetrato ſuſcepit eos, & procurauit honeſtiſſimè. Mane autem deduxit eos ad conductam nauem (nam huc vſque pedes venerant) & fœnum multum illis ipſe ſuppoſuit, & laborauerunt die illa in remigando, víxque iam nocte ingruente deſcenderunt in quandam villulam quæ dicitur Miriacus: cúmque illic non inueniretur hoſpitium tot & tantis opportunum, erant quippe ferme octoginta animæ: cuiuſdam ruſtici grangiam boum ſtercoribus refertam ingreſſi ſunt. Et cùm die ieiunaſſent, nihil cir cumcirca inueniri potuit, præter parum communis panis, & duas alliorum reſtes, quæ cruda vtcunque comederunt cum pane & aqua: mirum dictu! cùm tot laboribus affligerentur, alacriter omnia tolerabant, & exilium pro libertate quaſi patriam amplectentes, cantando & congratulando ſqualorem itineris tranſigebant. Et ſummo diluculo ad nauem reuerſi, applicuerunt Chonam. Ibi primò inuenerunt Gilonem Priorem, & ſocium illius Gaufredum. Et exinde pedes venerunt Moretum die ſecunda menſis duodecimi, ibíque fecerunt ſequentem diem & tertiam. Miſerunt autem Renaldum Priorem de Arboreia ad Hugonem venerabilem Abbatem Pariſienſem, nuntiantes ei aduentum ſuum, &

Digitized by Google

cauſam aduentus ad Regem. Quo ille audito vehementer condoluit, lacrymíſque ſuffuſus feſtinauit ad Regem Ludouicum, oſtendens illi quàm facinoroſo vſus ſacrilegio Comes Niuernenſis peruaſiſſet famoſſimum Monaſterium Vizeliaci, & quanto labore omnes ferè eiuſdem Monaſterij Fratres ad pedes Regiæ Maieſtatis confugerent. Protinus Rex ira ſimul & dolore motus, mandauit Comiti, vt iniuſtè peruaſa dimitteret, & Fratribus infra octo dies Eccleſiam, turres, domos, villam, redditus omnes, & poſſeſſiones in eo ſtatu quo ante octo dies egreſſionis Fratrum conſtiterant, redderet, diminuta quoque reſtitueret; & de tam graui iniuria toti Regno illata ſibi ſatisfaceret. Ad hæc Comes Legatis Regis reſpondit: De Monaſterio Vizeliaci feci ſicut de meo, nec quippiam ex hoc facto Regi debeo; immò, inquiunt, debes de exceſſu perpetrato in feudo Regis. At ille comminando prohibuit eos denuò adire præſentiam ſuam. Cui reſponderunt: Nos ſerui Regis ſumus, & reſponſum tuum Domino Regi referre debemus. Statim Comes miſit Regi IOANNEM Aurelianenſem, qui de perpetrata tyrannide ſeſe excuſaret, quaſi qui rebus publicis terræ ſuæ cõſuluiſſet, eò quòd Abbas & Monachi Vizeliacenſes inimicum ſuum Ducem Burgundiæ conduxiſſent, & ei niſi præuenti fuiſſent, turres Monaſterij tradidiſſent.

Tandem Monachi Pariſios aduenerũt, ac lacrymis perfuſi Regi pandunt cauſam doloris.

Interea Fratres nocte, quâ ſecunda Dominica Dominici aduentus illuceſcebat, ſurrexerunt, nauémque ingreſſi peruenerunt in quandam poſſeſſionem Monaſterij B. Germani Epiſcopi Pariſienſis. Introeuntes autem domum cuiuſdam viri, optimè procurati ſunt à ſuperueniente miſſo Abbatis eiũſdem Monaſterij nomine Renaldo. Inde ſurgentes, & æquoreo vehiculo ſeſe committentes, venerunt Pariſius: & commota eſt vniuerſa Ciuitas, concurrentibus & fluentibus vniuerſis à minimo vſque ad maximũ; ingreſſíque matricem Eccleſiam, facta oratione, ſederunt ibidem modicùm, nihilominùs aſſiſtente & confluente omni populo. Rex verò Ludouicus vt audiuit aduentum Vizeliacenſium, relicto negotio de ordinatione Monaſterij S. Dionyſij, quò tendebat, reuerſus eſt. Venerunt ergo Fratres ad Palatium Regis. Cúmque Rex obuiam illis iret, & ſuper gradus Palatij ſtaret,

Clementer à Rege excepti.

Digitized by Google

cum ingenti fletu prociderunt omnes ad pedes eius : è contrà Rex ipſe flens motus pietate procidit, & cum ſurgentibus ſurrexit. Dixit itaque Gilo, qui Prior agminis exiſtebat : Nota tibi eſt, Domine mi Rex, noſtri cauſa aduentus, ſed dolore & concurſu populi præpediente, modum cauſæ nequaquã pleniùs tibi ad præſens pandere valemus: Loco igitur & tempore à te conſtituto, pars noſtrûm veniet ad te, & quæ mala nobis Comes intulerit diligentiùs aperiemus, interim ad hoſpitium remeabimus, veſtram in commune gratiam & miſericordiam implorantes : & prociderunt omnes in facies ſuas. Et reſpondit Rex : antequam veniſſetis, ſtatim vt infamis fama noſtras peruenit ad aures, miſi ego Nuntios meos ad Comitem : quid reſponſurus, quidve facturus ſit, nondum ego noui. Hoc tamen pro certo noueritis, quoniam ſi Comes tantumdem terræ quantum Rex Anglicus habet, præter ſuam propriam terram haberet, nullatenus tantam iniuriam ſuſtinerem fore inultam. Ego quippe peregrinus ſum Dominæ meæ B. Mariæ Magdalenæ, & pro poſſe meo famulis eius nunquam deeſſe potero. Vnde etiam rogo in domo mea manere dignemini, & ego cuncta vobis neceſſaria prouidebo. At illi humiliter gratias agentes, reſponderunt ſufficere ſibi auxilium illius in tanta neceſſitate. Videntes verò ad latus Regis hoſpitem ſuum Simonem, qui cognominatur Infans, gratias ei de collato egerunt obſequio in conſpectu Regis. Sed & Rex multam ei gratiam exhibuit. Exeuntibus igitur Vizeliacenſibus & populis proſequentibus, proceſſerunt obuiam illis vſque ad vetus Palatium omnes Fratres Monaſterij S. Germani de Pratis, & ſuſceperunt eos cum fletu & gemitu graui. Ingreſsíque, vt moris eſt, bini & bini, & facta ſolemni oratione venerunt in domum Abbatis, & appoſitæ ſunt illis menſæ.

Abbas Pariſios Fratres viſurus petit

Porro Guilelmus Abbas Vizel. vt audiuit apud Villarem-Syluam mala domus ſuæ, & aduentum Fratrum ſuorum, ingemuit, & omnes qui erant cum eo conſternati ſunt animo, maximè eò quòd tam longè poſiti eſſent. Surgentéſque nocte ipſa, qua & Fratres à Moreto, tota die ieiuni & frigore nimiúmque affecti equitantes per varios alieni itineris anfractus,

Digitized by Google

tandem ſecundâ vigiliâ noctis feſſi & mœſti venerunt Merlotum. Sequenti autem die venerunt Pariſius, inuenerúntque Fratres ſuos adhuc ſedentes ad menſam, quos ſurgere volentes iuſsit Abbas ſedere. Et prætendens Abbas conſtantiam à fletu continuit, intrinſecum dolorem viriliter reprimens. Socij autem eius tanta doloris capti ſunt anguſtia, quod vix alterutrum diſcernere, & ſalutantibus ſe Fratribus exulibus reſpondere quiuiſſent. Mirum in modum Fratres exules, itineris & famis ſqualore confecti, Fratres ſuos, qui tantorum pro parte laborum fuerant expertes, conſolabantur, & de Dei miſericordia, déque Regis compromiſſo auxilio præſumendum hortabantur.

Coram Rege cauſam ſuam agit.

Facto igitur mane, Dominíque inuocato auxilio, ingreſsi ſunt Palatium Regis Abbas Guilelmus & Abbas Hugo, cum Gilone & Gaufredo, Francone & Rotberto, Petro & Vincentio, Hugone & Theobaudo Regis cognato, paucis accitis geſtæ rei teſtibus. Sedente itaque Rege cum Fratribus ſuis, Henrico Remenſium Archipræſule, & Comite Roberto, atque Petro de Curtiniaco, & alijs Optimatibus Palatinis: ſurrexit Gilo, & modum tyrannicæ inuaſionis Fratrúmque ſuorum expulſionis ex ordine perorauit. At contra Ioannes Aurelianenſis reſpondit Abbatem ius Comitis, quod in villa Vizeliaci Regio ex fiſco habebat, tuliſſe, & de illatis iniurijs iuſtitiam Comitis negaſſe. Si, inquit Rex, de feodo meo habet ius illud quod ſibi vendicat, ergo priùs debuerat mihi clamorem facere de iniuria feodi mei, quàm Monachos de ſuo Monaſterio expuliſſet. Et ait Ioannes: Dominus Comes non expulit Monachos, ſed ipſi ſponte in contemptum Domini mei exierunt. Reſpondit Robertus cognomento Craſſus, vnus ex Fratribus Vizeliacenſibus: Satis, inquit, mihi obturat os, qui meam de manu mea tollit buccellam. Ita eſt, inquit Rex. Poſtquam ergo, ait Rotbertus, inuaſit Comes Monaſterium noſtrum, & miſit inibi ſatellites ſuos, omnéſque redditus nobis ablatos in manu eorum tradidit, quæ nobis ibidem poſt hæc manſio competebat? nulla, inquit, tota Curia. Et ait Rex: Ego Nuntios meos miſi Comiti, & ſiquidem benefecerit, vtinam! ſin autem, poſſe meum Eccleſiæ non deerit. Et gratias agens Abbas cum his

qui ſecum erant, ad hoſpitium regreſſus eſt. Fuerúntque Abbas & Fratres eius per triduum apud S. Germanum, & reuerſi ſunt Moretum, manſerúntque ibidem per dies triginta. Et ſcripſit Hugo Archiepiſcopus Senonenſium Guilelmo Abbati Monaſterij Vizeliacenſis in hæc verba :

„ Hvgo Dei gratia Senonenſis Archiepiſcopus, Cariſ- Mandat
„ ſimo ſuo Guilelmo Venerabili Vizeliacenſi Abbati ſalu- Abbati vt
„ tem & dilectionem. Pro negotio Vizeliacenſis Eccleſiæ & Senones
„ veſtro, miſimus ad Comitiſſam Niuernenſem, & ipſa ſicuti conueniat
„ illa quæ multùm pacem deſiderat, fecit nos ſecurum de ad pacem
„ centum libris in vadimonijs auri & argenti; & ſi ampliùs cum Comi-
„ fuerit in querela, faciet me inde ſecurum per bonos obſi- tiſſa com-
„ des & fideiuſſores. Mandamus itaque vobis & conſulimus, ponendam.
„ vt proxima die Iouis Senonis veniatis, & ſecundùm quod
„ feceritis probari legitimè, reſtitutionem habebitis. Nunc
„ autem ſi non veneritis ad diem, ſentiet ſe Comitiſſa gra-
„ uari : Et ſi verbum hoc voluerit ad ſummam audientiam
„ deportari, non poterimus ei negare teſtimonium ſecun-
„ dùm quod offert. Valete.

His verbis Abbas reſcripſit, quòd data dies minùs competens videbatur, eo quòd tam longè poſitus à Monaſterio ſuo, & inimicitias habens ipſius Comitiſſæ & filij eius, conuenire nullatenus poſſet. Veruntamen ſi ſecuritatem eundi & redeundi ipſa Comitiſſa præſtaret hominibus ſuis legitimè probaturis illata damna, libenter conueniret ad diem congruè ſibi datam : Et factum eſt ita. Conuenerunt igitur vtrinque. Repoſcente ergo Abbate illata damna, & legitimè probare volente ; è contra partem maximam Comitiſſa negabat, quædam verò in filium retorquebat, dicens crimine filij ſe non debere teneri. Reſpondit ei quòd malefactores ipſi homines eſſent Comitiſſæ, & Præpoſiti terræ illius ; & idcircò iuſtè ab illa exigebat, quod à ſuis ablatum legitimè probabat ad pretium vſque ducentarum marcharum. Attoniti qui erãt ex parte Comitiſſæ, magis autem ipſe Archiepiſcopus cum Clericis ſuis, rogabant Abbatem, vt finem probatorum damnorum diceret, ne tam graui verbo Comitiſſam exaſperaret. Et reſpondit Abbas, immeritus extremam exaſperationem illius expertus ſum, & iam in quo ampliùs valet exaſperari ? Petit Senones diceptatque de iure ac de damnis Vizeliaco illatis.

Digitized by Google

Attamen ob recuperandam gratiam illius, si tamen hoc reuera posset fieri, quòd indubitanter constaret, medietatem eorum quæ probare possum gratis dimitterem, salua in cæteris Domini Papæ mandati executione. Cuius, inquiunt, mandati? At ille respondit: Vt de illatis iniurijs satisfaciat, & de seruanda pace cautionem præstet. Erat autem Sabbatum ante Natale Domini. Ipsa die promotus est ad Diaconatum Guilelmus Electus Carnotensis, frater Comitis Henrici, qui etiam tunc ibidem ob gratiam fratris aduenerat. Is ieiunio valde pertæsus, grauiter aduersus Abbatē indignatus abscessit: & dilatum est verbum vsque in crastinum. Cúmque hinc inde multùm pro compositione laboraretur, opere cassō discessum est; quoniam Comitissa neque illata damna restituere, neque de seruanda pace cautionem præstare voluit, dicens absque consensu filii sui expostulata facere se non posse, vnde & actio ipsa dilata est vsque in tertiam diem Circumcisionis.

Sequestres se offerunt Comites Theobald. & Henric. pro Comite Niuern.

Legati autem Regis à Comite reuersi responderunt se nihil de mandato Regis à Comite impetrasse; iniuriis verò, & minis abundanter ab eo remuneratos fuisse. Statim Rex accitis Librariis præcepit vndique adunari exercitum, & iussit vt omnes armati occurrerent sibi vicesima die post Natale Domini. Comes igitur Theobaldus & Comes Henricus vix à Rege impetratâ licentiâ Comitē Guilelmum conuenerunt, & de perpetrata nequitia obiurgati sunt; acceptóque ab eo compromisso quòd staret mandato Regis, conduxerunt eum in vrbem Senonicam, quo Rex propter alia negotia intrante Ianuario conuenerat. Abbas quoque Vizeliacensis fortè ibidem aduenerat in præsentia Senonensis & Meldensis, causâ componendi cum Comitissa. Sed illa desistente vel ablata reddere, vel cautionem de seruanda, pace præstare labor inutilis effectus est. Nocte itaque insecuta misit Comes Theobaldus ad Abbatem, rogans ne sequenti crastino abscederet, donec secum de proprio negotio loqueretur. Cúmque sequenti die Abbas Curiam Regis adiret, occurrentes ei Comes Henricus & Comes Theobaldus tentabant eum de compositione pacis. Quibus Abbas respondit: Ego in manu Domini Papæ sum & Domini Regis; & absque illorum nutu

Digitized by Google

facio penitus nihil. Ingreſſi ergo ad Regem rogabant eum ſuper hunc eundem ſermonem. Et vocatus Abbas ante Regem, non tam de ſua quàm de tyranni pace à quibuſdam interpellabatur. Cognouit autem Abbas dolos eorũ qui modis omnibus laborabant gratiam ab eo Regis auertere, vnde conſultò in deliberatione illius poſuit totum finem negotij ſui, vituperium æquè vt gratiam à ſe remouens totius operis. Quæſiuit ergo Rex à prolocutoribus Comitis, nõn enim cum eo loquebatur, nec faciem eius videre volebat, quandiu quæſtio ventilabatur. Quæſiuit, inquam, Rex, vtrùm Comes ſecundùm verbum ſuum finem faceret huius negotij. Quo negante, indignatus Rex vehementer, ait: Quid ergo? Abbas qui iniuriam paſſus eſt, & in nullo penitus mihi tenetur obnoxius, ipſe totum ſe meæ diſpoſitioni exponit, & Comes qui fecit iniuriam, mihíque tenetur tam proprio hominio quàm causâ querelæ ſuæ, Conſilio meo & Curiæ meæ parere diffidit? Iam de cætero caueat ſibi Abbas ne decipatur, quia ego ei nunquam decro.

Comes Niuern. coram Rege ſiſtitur, promittíque damna à ſe inflicta reſarciturum.

Poſt multos itaque conflictus verborum, tandem vocatus Comes ante præſentiam Regis, compromiſit ei per manum ſuam in manu illius pollicendo Eccleſiam, redditus, domos, & omnes poſſeſſiones Monaſterij Abbati & ſuis reddere in eo ſtatu, quo diebus octo ante Fratrum egreſſionem conſiſtebant, & ſaluis illis querelis quas ad inuicem ante habebant, & ſaluâ ſententiâ excommunicationis & interdicti quâ tenebatur. Pollicitus eſt item ea omnia, quæ à tertio die ante Fratrum exitum de rebus Eccleſiæ quoquomodo diminuta vél perdita viderentur, reſtituere, & demuò pacem ſeruare, Eccleſiæ & poſſeſſionibus illius, Abbati & Monachis atque hominibus eorum: hoc iure retento, quòd ſi fortè inter Comitem & Abbatem vel Eccleſiam controuerſia emerſerit, per quindecim dies poſt diffidationem habebunt inducias Burgenſes Vizeliaci, in quibus diuertere poterunt ſe & ſua ad tuta loca, Eccleſia permanente in pace cum vniuerſis proprijs poſſeſſionibus ſuis. De damnis igitur modernis ſecundùm probationem hominum Eccleſiæ reſtituendis Comes dedit obſides Anſellum de Triagnello, & fratrem eius Garnerium.

Digitized by Google

.... Comitem, & Isgnardum Vicecomitem de Iouiniaco. Hi quatuor pro quarta parte fiduciauerunt singuli in manu Comitis Theobaldi, quoniam si Comes post quadraginta dies legitimæ probationis damna probata reddere detrectaret, infra quindecim dies summonitionis Abbatis apud Senonicam vrbem obsidatum tandiu tenerent, donec Abbati & Ecclesiæ ipsi vel Comes satisfacerent. His itaque compositis rogatus ab Abbate festinauit Rex facere diem Epiphaniorum apud Vizeliacum, reduxítque Abbatem cum lætitia magna in locum suum. Et electi sunt filij Belial de Monasterio & de Burgensium domibus, & obtinuit omnes gaudium & lætitia magna. Sed & nequam proditores pseudomonachi egressi de domo Esconij, bona penitus omnia quæ præ manibus habere poterant dissipantes, fugam arripuerunt.

Rex per semet Abbatẽ restituit & Monachos Vizeliac.

Igitur nouies quinque diebus exactis, reuersi sunt fratres de exilio cum lætitia & ingenti gaudio. Vnus autem excommunicatorum nomine Guilelmus Pideth diabolico inuasus spiritu cœpit Monasterium impugnare & prædas facere: quod cùm diu fecisset, insecuti sunt eum tam ex oppido Vizeliaci quàm ex oppido Campi-molli multitudo rusticorum magna: tandem percussus miser mortuus est. Itaque præsentibus Regis militibus & clientibus Comitis, computauit Abbas summã detrimentorum Monasterij quæ ab hominibus Comitis fuerant Ecclesiæ illata ab exitu fratrum vsque in præsens: & fuit summa ducentarum quadraginta librarum. Post hæc Missi à Comite expostulauerunt ab Abbate expensam procurationis festi B. Mariæ Magdalenæ, & alia quædam ridicula. Quibus Abbas respondit: Quando Comes factâ mecum concordiâ in communionem Ecclesiæ susceptus fuert, tunc respondebo illi super proposita quæstione. Et conuenerunt apud Crisenon Archiepiscopus Lugdunensis, & Archiepiscopus Cantuariensis, tentantes si fortè componere possent inter Abbatem & Comitem atque Comitissam. Sed frustra laboratum est. Quia enim pondus omnium grauaminũ in immoderatis procurationibus existebat, nolebat Abbas vel Ecclesia recipere quamlibet compositionem, quæ profectò non veram, sed potiùs fictam inducere pacem videretur, nisi aut omnimodas procuratio-

Tentat Comes Abbatis animum emollire.

nes

nes Comes dimitteret, aut certâ expenſarum præſcriptione eaſdem limitaret.

Iterum imminente media Quadrageſima Guilelmus de Merloto & Renaldus frater eius venerunt ad patruum ſuum Guilelmum Abbatem Vizeliac. tentantes de compoſitione pacis animum eius. Et conuenerunt apud Eſcolnias hinc Abbas, illinc Comes: ſed & tunc caſſo labore ſudatum eſt. Inde Abbas cùm properaret ad Regem, inuenit eum Senonis. Et ſignificauit ei quomodo Comes conſtitutas interrupiſſet inducias quadraginta dierum. Siquidem in Senonica compoſitione dictum fuerat quòd poſt probationem damnorum ſuorum, Abbas & Eccleſia XL. dierum inducias haberent à Comite ſuper omnibus querelis quas Comes aduerſus Abbatem haberet. Et etiam deinceps ſi fortè Comes ampliùs ſuſtinere nollet, à die diffidationis iterum quindecim dies induciarum Abbas haberet. Comes autem diebus octo infra XL. dierum inducias Abbatem ita diffidauit, quòd non niſi octo dies daret induciarum, & ipſi octo dies cum XL. ſuperioribus perficerentur. Quod vt Rex audiuit, ægrè tulit; dixítque Abbati vt ſecum rediret Altiſiodorum: & vituperauit Comitem Rex, præcepítque ei vt fractas inducias reſtitueret. Et conteſtatus eſt Comes valde, ita quòd penè lacrymaretur; coactus tamen paruit, & abinde XV. dierum inducias dedit. Completíque ſunt dies illi infra ſeptimanam Ramis-palmarum. Henricus denique Comes Trecenſis, & Theobaldus Comes Bleſenſis, atque Anſellus de Triagnello conuenerunt Guilelmum Comitem Niuernenſem, & Guilelmum Abbatem Vizeliacenſem, & diu ſatíſque egerunt pro compoſitione pacis inter Comitem Niuernis & Cœnobium Vizeliaci. Erant autem hi duo Comites cognata germanitate coniuncti Comiti Niuernenſi. Quid plura? de omnibus querelis ſuis dixit Abbas ſtare conſilio & diffinitioni eorum, exceptis duabus procurationibus, quibus Eccleſiam penitus Comes deſtruebat. Dictum eſt itaque à prætaxatis illuſtribus viris, quatinus de ſingulis procurationibus ſexaginta libras Comiti perſolueret; ita tamen vt de feſtiuitate, quam præſentiâ ſuâ minimè Comes honoraret, nihil ei omnino Abbas vel Eccleſia præſtaret. Vt autem hæc compoſitio grata Co-

Conqueritur Regi Abbas de Comite.

Comes Trecenſis, & alij agunt de pace cõponẽda, ſed perperam.

Digitized by Google

miti, & perpetua lege rata constaret, dictum est vt Abbas Comiti septingentas libras daret. Abbas verò quinquaginta tantùm libras de singulis procurationibus, & pro compositione quingentas libras offerebat. Ventum est igitur ad Comitem Niuernensem. At ille compositionem omnino instigatus ab Stephano Clerico suo, & ab Stephano de Petra-foraminis renuit, nisi de singulis procurationibus octoginta libræ, pro compositione autem mille libræ ab Abbate sibi darentur. Et durus visus est sermo in oculis Abbatis, laudante & contradicente Comite Henrico, ne quid oblato ampliùs daret. Sic vespere facto, infectóque negotio ab inuicem discesserunt.

Rogatu denique Abbatis scripsit Rex Comiti Henrico gratias agens, & obsecrans quatinus pro præscripta compositione satageret. Et assignauit Comes Henricus Abbati diem Lunæ Ramis-palmarum Trecis. Misitque ad Comitem Niuernensem, rogans sicut cognatum, vt gratiâ compositionis inter ipsum & Abbatem Trecas venire dignaretur. At ille remandauit ei ipsum potiùs venire debere Altisiodorũ, si fortè opus haberet. Henricus autem tantum fastum exhorrescens, scripsit hoc ipsum verbum Regi & Abbati. Reuersus itaque Abbas ad Regem, inuenit eum Aurelianis in die sancto Dominicæ Cœnæ. Inuitatúsque est ab Episcopo Manasse, vt secum celebraret solemnia confectionis sacri Chrismatis. Quo facto misit ex eodem Chrismate Vizeliacum per manum Vincentij Decani. Et cùm intimasset Regi responsum Guilelmi Comitis, quod fecerat Comiti Henrico, miratus est Rex valde, & misit ad eum præcipiens vt die Mercurij post Pascha suam apud Moretum præsentiam exhiberet. Interim autem ab infestatione Monasterij Vizeliac. contineret, & saluum conductum veniendi ad prædictum colloquium Vizeliacensibus concederet. Fecítque Abbas sanctum Pascha apud Villare Monasterium. Et quarto die conuenerunt in nemore quod est supra Moretum Rex, & Comes, & Abbas, singuli cum suis. Rex autem rogabat Comitem vt compositioni acquiesceret secundùm consilium Comitis Henrici. Cui Comes respondit: quod habeo in Monasterio Vizeliaci susceperunt patres mei à patribus tuis in feodum, de quo feodo plus quàm de tota hæreditate mea vel agere vel componere non tam pa-

Colloquiũ coràm Rege.

Digitized by Google

cificum, quàm violentum mihi videtur. Ad hæc Rex: Si ita eſt, inquit, quòd patres mei patribus tuis illud tradiderunt feodum, conſtat proculdubio cauſâ tuitionis & non deſtructionis id factum fuiſſe. Tu autem, pro utnobis videtur, in deſtructionem Monaſterij totis viribus anhelas. Reſpondit ei Comes: Saluo verbo Regis, ego illud non deſtruo. Dicit ei Rex; in quantum opera tua manifeſtant, deſtructio ipſa præſto eſt. Sanè his intermiſſis, de compoſitione agamus; ſi tamen Abbas voluerit. Reſpondit Abbas: Quod Comes dicit patribus ſuis à patribus tuis datum fuiſſe Monaſterium Vizeliaci, ecce præ manibus habemus patrum tuorum priuilegia quibus ipſius Monaſterij libertas commendatur, & omnium Poteſtatum omnimoda poſſeſſio atque conſuetudo excluditur. Attamen ipſa priuilegia tam Apoſtolica quàm Regalia, & ipſum Monaſterium Vizeliaci in manus tuas committo, compone & diſpone ſecundùm cenſuram iuſtitiæ tuæ. Interrogauit ergo Rex Comitem vtrum ſtaret compoſitioni prolocutæ à Comite Henrico apud Autiſſiodorum. Reſpondit Comes: nullum penitus verbum feci compoſitionis cum Comite Henrico. Et ait Rex: Equidem ſic audieram ſicut dixi. Sed quantum ad hæc, vide quid mei gratiâ facturus ſis. At ille: Tui, ait, gratia quod potero faciam, ſed de iure meo nunquam componam. Indignatus Rex ait; Abbas qui nullo iure mihi tenetur obnoxius, de iure proprio ſeſe ſubmittit, & ſententiæ meæ totum ſe exponit: & tu qui iure proprij hominij mihi teneris, ſuſpectum me Dominum tuum habes, atque conſilio meo ſtare detrectas? Hactenus pueritiæ tuæ deferens iniuſtitias tuas ſuſtinui, hactenus grande peccatum in tolerantia ſubuerſionis ſepulchri B. Mariæ Magdalenæ contraxi. Iam de cætero iuſtitiæ Monaſterij non deero, ſi fortè Abbas clamorem ſuper te faciens iuſtitiam quæſierit: interim auctoritate regia interdico tibi, ne amodò Monaſterium Vizeliaci, aut homines ſeu poſſeſſiones ad illud pertinentes infeſtare præſumas; ſciens in iniuriam coronæ Regni redundare quicquid denuò mali eidem Monaſterio feceris. Si quid autem habes aduerſus Abbatem, ecce ad iuſtitiam illum tibi exhibeo. Accedénſque Abbas ad Regem petijt iuſtitiam de Comite. Reſpondit ei Rex: quoniam pro compoſitione vo-

Renuit Comes ſtare Regis ſententiæ.

catus à me venit, non decet regiam manſuetudinem in ius illum ad præſens trahere: Suſtine ergo donec recedat, & poſtmodùm tibi & illi aſſignabo diem & locum agendi. Et conuenerunt iterum ſequenti die in domum Fratrum Vizeliac. quæ ſita eſt ſuper fluuium Lupæ apud Moretum.

Concilium cogit denuò Rex apud Moretum.

Aderant autem cum Guilelmo Abbate Vizeliacenſi Hugo Abbas S. Germani, Stephanus Abbas S. Remigij Senonenſis, Stephanus Abbas Caſtri Meliduni..... Abbas Caſtri Landonis, & Iuriſperitus Mainerius, atque Oſmundus Pariſienſis Canonicus. Quidam verò multifariè tentabant ſi quomodo poſſent auertere animum Regis ab Abbate, vel ab Eccleſia Vizeliacenſi; ſed fruſtrati ſunt omnes conatus Satanæ, & dirupti laquei clandeſtinæ cupiditatis; quoniam Abbas in nullo penitus à voluntate & ſententia Regis deficiebat: Comes autem iudicio Regis ſtare omnino recuſabat; & conqueſtus eſt quòd Abbas hominem ſuum captum teneret. Requiſitus, quem: reſpondit, Andream de Palude. Et ait Abbas: Andreas de Palude nihil omninò ad te pertinens, meus eſt à planta pedis vſque ad verticem, ſicut proprius ſeruus Monaſterij Vizeliac. Dixítque Comes: Conditionem ſeruitutis huius Andreas minimè niſi coactus cognoſcit. Reſpondit Abbas: Ecce ſuper hoc etiam adſto iudicio Regiæ Curiæ. Et dixerunt Optimates & Conſiliarij Regis: Mos Regiæ Curiæ talis eſt, quòd ſi quis de ſeruili conditione ab alio interpellatus fuerit, liber à ſuo poſſeſſore producatur in medium. Qui ſi ſuum poſſeſſorem ſolum Dominum ſuũ recognouerit, calumniator lite ſoluta nihil in eo habebit. Si autem ſe ſeruum calumniatoris dixerit, nudus cedet in partẽ calumniatoris, res autẽ illius tam mobiles quam immobiles vniuerſas nudo relicto corpore poſſeſſor occupabit. Reſpondit Abbas: hoc iudicium & hunc morem laudo & libenter obſeruabo. Tunc confuſus Comes voluit ignominiam cauſæ ſuæ in Abbatem refundere, & propoſuit calumniam de proditore illo Guilelmo, qui digno interitu perierat, dicens Monachum qui in ſua tutela exiſtebat, præcepto Abbatis fuiſſe interemptum. Et exclamauit omnis Curia aduerſus tam inſipientem & nequiſſimam calumniam Comitis; dixítque Abbas: Licet omnino falſa ſit propoſita calumnia, nihil tamen exinde tibi reſponſu-

Digitized by Google

rus ſum. Cùm ergo cognouiſſet Rex de pſeudo illo Monacho in riſum multum excuſſus, ait Comiti : Ergone tales ſunt Monachi tui ? Cúmque modum & cauſam interitus perditi hominis audiſſet, iterum ſubſannando & improperando ait : ô iuſtus & competens clamor Comitis ! ô proſequenda calumnia nobiliſſimi Principis ! quid ſuper hoc expoſtulat ? proditor Monachus terræ corpus, diabolo animam exſoluit.

Interim terram Vizeliac. prædatur Hugo Letardus.

Dum hæc apud Moretum aguntur, Hugo Letardus aſſumptis ſatellitibus Comitis ingreſſus eſt terram Vizeliacenſis Monaſterij, & fecit in eam prædam multam nimis armentorum & pecorum, variæque ſuppellectilis, & etiam infecta coria manſionariorum de cœno extrahens diſtraxit, & pecuniam ducentarum, eóque ampliùs librarum ex omnibus confecit. Et aſcendens clamauit per præconem in foro, quòd ſi quis cuiuſlibet conditionis deinceps aliquid venale afferret infra oppidum Vizeliaci vel in omni confinio eius, bonorum ſuorum amiſſionem & proprij corporis iniuriam vel captiuitatem incurrerent. Tranſactâ denique ſeptimanâ Paſchæ poſuit nequiſſimos viros, & ipsâ inopiâ prædones acerrimos qui ſingulos aditus obſeruarent, ne quis virorum aut mulierum, paruulorum vel ſenum præſumeret deſcendere ad hauriendam aquam, ſeu ad molendum triticum. Vnde factum eſt vt Matronæ & Virgines pro ſexus reuerentia confidentes deſcenderent aliquando, & à viliſſimis hominibus dehoneſtarentur & violarentur, atque iniurijs multis affligerentur. Tanta igitur neceſſitate coacti deſcenderunt ipſi Fratres ad hauriendam aquam, & ad legenda olera ; ſed & ipſos iniurijs affectos ſpoliauerunt, nec vilitatem pannorum, ſeu inhabilitatem habitus pannoſi garciferi erubuerunt. Stephanus quoque de Beliaco accepta à Fratribus pecuniâ quingentorum ſolidorum, & piperis ac ceræ non modica quantitate, egreſſus pergebat ad Abbatem eo tempore apud Villare Monaſterium commorantem, & inſidias Comitis declinantem. Cúmque ſatellites Comitis ſuſpectos haberet Stephanus, aſſumpto fratre ſuo milite circuiuit per deuia & venit in Poſeium, confidens de conductu Guilelmi Præpoſiti Droienſis, qui ſororem illius in vxorem duxerat. Sanè proditio pietate ſanguinis nonnunquam abutitur. Recedente nanque

milite à fratre, protinus misit Guilelmus Præpositus Droiensis Guilelmum de Lensech, qui insecutus est abeuntem Stephanum, & abstulit ab eo pecuniam, & equos, & vniuersa quæ deferebat. Reuersus ergo Stephanus accessit ad Idam matrem Comitis, & petijt ex parte Regis vt ablata sibi restituerentur, quoniam cuncta spectabant ad domum Villaris Monasterij, quæ in dominatione & tutela Regis existebat. At illa nomen Regis spernens, & Monasterium Vizeliac. quod erat in protectione sua & filij sui, ab aduersario suo & filij sui deprædari prætendens, vix precibus amicorum Stephani deuicta, equos & partem ceræ iussit reddere. Et peruenit verbum istud ad aures Vizeliacensium, & consternati sunt animo, paternam magis inopiam quàm propriam deflentes ærumnam. Et factus est rumor, quod præcepisset Comes, vt seniores & potentiores populi Vizeliac. comprehenderentur, & bona eorum diriperentur, vel confiscarentur. Qui perterriti receperunt se infra Claustra Monasterij.

Gaufredus igitur Angligena, qui post Gilonem primum locum in Cœnobio Vizeliac. tunc obtinebat, scripsit cum fratribus suis Abbati, significans ei quanta afflictione & contritione à satellitibus Comitis oppidum Vizeliaci obsideretur. Tunc Abbas venit Beluacum, quò Rex fortè conuenerat cum multitudine Episcoporum & Optimatum suorum. Vt ergo cognouit Rex mala quæ Vizeliacensi Monasterio Guilelmus Comes Niuernensis intulerat, assignauit ei diem agendi cum Abbate coram se Aurelianis Dominicâ quæ præcedit Pentecosten; ita tamen vt sibi primùm satisfaceret de contemptu & transgressione mandati sui, Monasterium præfatum post prohibitionem suam persequendo. Et accepto die, indignatus est Comes valde, & recessit cum comminatione multa. Accessítque Abbas ad Ducem Burgundiæ, rogans eum vt obsessis opem ferre dignaretur. Protinus ille scripsit Guntardo Præposito Aualonensi, præcipiens ei quatinus quæque venalia terræ suæ Vizeliacum indubitanter conduceret, & etiam si necesse foret armis defenderet. Sed puer ætate & animo pellectus à Comite per astutiam Anserici de Monte-Regali, qui non minùs quàm Comes Abbati & Monasterio inimicabatur, mentitus est omnia quæ spoponderat, & pro-

Abbas Bellouacũ Regem adit conquestu. rus de prædis à Comitis satellitibus actis.

hibuit venalia, præcipiens comprehendi quotquot de Vizeliacenſibus in terra ſua inuenirentur. Rex autem Ludouicus accerſitis librarijs ſcripſit omnibus Præfectis & Principibus Regni ſui, vt coadunato exercitu equitum & peditum ſibi occurrerent Senonis Dominicâ quæ præcedit feſtum B. Mariæ Magdalenæ. Porrò Comes veritus iudicium Regiæ Curiæ aſſignatam ſibi diem excuſauit. Rex illico aſſignauit primam Dominicam poſt Pentecoſten Pariſius. Et hanc quoque rurſus excuſanti dedit tertiam Dominicam poſt Pentecoſten Laudunum: Sed & hanc tertiò excuſans Comes, miſit Guilelmum de Domno-Petro, ſupplicans, vt vel ſemel Rex inire dignaretur colloquium, quo vtrinque auditis allegationibus ipſe per omnia ſtaret arbitrio Regis. Et bonus viſus eſt ſermo in oculis Regis, cui grata requies, exoſum ſemper extitit bellum.

Genealogia Regum Capetianorum.

Hic eſt enim Ludouicus Rex filius Ludouici, qui cognominatus eſt Groſſus, filij Philippi, filij Henrici, filij Roberti, filij Hugonis Capitonis, qui primus Rex extitit poſt defectum genealogiæ Caroli, quæ per ducentos fermè annos regnauit; fuerúntque à primo anno Hugonis vſque ad primum annum huius Ludouici, qui cum patre per quinquennium regnauit, anni fere centum quadraginta. Hic eſt Rex Ludouicus cuius pater Ludouicus vſquequaque dilatauit Regnum ſuum, & coniunxit ei in matrimonium filiam Guilelmi Ducis Aquitanorum & Comitis Pictauorum, propter quam acquiſiuit omnem Aquitaniam, Guaſconiam, Baſcloniam, & Nauarriam, vſque ad montes Pyrenæos, & vſque ad Crucem Caroli. Hic eſt Rex Ludouicus qui quintodecimo anno Regni ſui, præſidente in Romana Cathedra Eugenio, cum magno exercitu vexillo viuificæ Crucis inſignito Hieroſolymam perrexit, gentem inimicam fidei debellaturus. Sed incognito Dei iudicio, maxima ſuorum parte amiſſa, abſque triumpho redijt, prauóque vſus conſilio vxorem ſuam cum prænominata terra, quæ Regnum aliquando per ſe extiterat, dimiſit, & poſtmodum coniunctus eſt filiæ Imperatoris Hiſpanorum, quâ defunctâ, tertiò nupſit ſororem Comitis Henrici de qua primam ſuſcepit filium nomine Philippum, anno Regni ſui XXXIII. à Galijs redeunte Alexandro Papa.

Ludouicus 7. Hieroſolymam petit.

Digitized by Google

Conueniũt Moretum Rex, Comes, & Abbas.

Conuenerunt igitur apud Moretum Rex, & Comes, & Abbas. Propositis hinc inde controuersijs, voluit Rex vt vterque staret definitioni Henrici Archipræsulis Remensis, & Henrici Comitis Trecensis: & concessit Comes data fide in manu Petri fratris Regis, ita se facturum: Abbas autem in verbo tantùm veritatis idem spopondit. Quærentibus diem definitionis (neque enim intererant arbitri) respondit Rex, quòd circa festum B. Dionysij congruam eis diem assignaret: interim verò Abbas ad Monasterium suum reuerteretur, & optata pace atque securitate ipse & sui perfruerentur, vsque-quo lis per prædictos arbitros terminaretur. Quam pacem se seruaturum Comes sacramento fidei confirmauit. Sic singulis ad sua redeuntibus, Abbas Guilelmus abijt Trecas ad Comitem Henricum, & inde Clareuallis, quò se sperabat inuenturum fratrem Regis Henricum Archiepiscopum: quem cùm non inuenisset, rediens celebrauit sollemnitatem B.M. Magdalenæ in Monasterio. Rex verò Ludouicus mouit exercitum aduersus Guilelmum Comitem Cabilonensem propter pessimam stragem, quam Guilelmus filius eius exercuerat super Cluniacenses. Cùm enim occupasset castrum Lordonis, quod extat de iure Cluniacensis Cœnobij, egressi sunt maiores natu cum iuuenibus de vico Cluniacensi, quos incautos sicut indoctum vulgus, docta manus militum Comitis protinus aggressa, fugam inire compulit, & ferè omnes ad internecionẽ deleuit. Mouens ergo Rex exercitum, occupauit Castella & munitiones eius, & ipsam vrbem Cabilonensiũ, omnémque terram illius vsque ad fluuium Ararium, quam deuastatam tradidit in manu Hugonis Ducis Burgundiæ, & Guilelmi Comitis Niuernis, quousque puer ipse, qui causa malorum extiterat, venit Vizeliacum ante faciem Regis cum matre sua, & prout potuit Regi satisfecit. Quia igitur totum pondus ipsius negotij Comitem Niuernis occupabat, distulit Rex diffinitionem controuersiæ, quæ versabatur inter ipsum Comitem & Abbatem, vsque in festum quod instabat B. Martini.

1166. Anno Verbi Domini incarnati millesimo centesimo sexagesimo sexto; Exceptionis autem sacri corporis B. Dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ ducentesimo octogesimo sexto, porrò destru-

Digitized by Google

destructionis execratæ Burgensium Communiæ vndecimo, decima die mensis Nouembris, conuenerunt ante Regem Parisius Guilelmus Abbas Vizeliacensis, & Guilelmus Comes Niuernis, & proposuit Co. * ..... An. 881. receptũ Vizeliaci corpus B M. Magdalenæ.

Guido adhuc puer frater Comitis..... Soror eius adhuc innupta, & iunior frater suus.....Milo de Nuceriis...

* *Desunt hic sexfolia excisa.*

Dissimulatâ igitur nequitiâ verborum matris surrexit Comes, & flexit genua ante sanctum Euangelium, & viuificam Crucem Christi, sanctásque Reliquias. Cui cùm Abbas vellet dictare formam iuramenti; sustine, ait, & permitte me quod corde sentio & fide teneo, per me proferre: si quid autem minùs vel ampliùs protulero, liceat tibi emendare; dixítque, sicut ex præsenti chirographo recitatum est, & ego bona fide intelligo, vósque omnes qui adstatis, intelligitis, sic tenebo & obseruabo, & meos obseruare faciam. Sic me Deus adiuuet & Sancta ista. Et clamauerunt omnes, satis est, satis est, bene & luculenter dictum est. Vocánsque Guidonem fratrem suum præcepit vt & ipse iuraret in eundem modum; quod & fecit, sic dicens: Sicut Dominus Comes frater meus bona fide iurauit, sic & ego bona fide tenebo & obseruabo. Sic me Deus adiuuet & Sancta ista. Deinde vocatus Præpositus Altisiodori nomine Ioannes, Columbus quoque Præpositus Tornodori, & Milo Præpositus Malliaci, atque Hugo Letardus Præpositus Castricensorij, aliíque circumadiacentis territorij, iurauerunt sicut in chirographo difinitum fuerat. Ida verò mater Comitis subterfugiens ingressa est Oratorium intactæ Virginis MARIÆ, quod contiguum erat Capitulo, accito secum Milone, aliísque quampluribus, quos vecordiæ suæ sperabat parituros, & cùm multifariè retractarent quomodo iusiurandum Comitissa euitare posset, nullúsque sibi honestus pateret exitus, vocauerunt Comitem: quo præsente supplicabat mater ne eam iurare cõpelleret. Respondit ei Comes: si me vis periuriũ incurrere, noli iurare: quæ dixit: Velim nolim concedo in verbo legitimo quicquid pro voluntate iurasti. Dixit ei Comes, si hoc satis fuerit Abbati, mihi quoque satis erit. At illa: Roga, inquit, fili, eum vt tibi det hoc iusiurandum. Reuersus Comes ad Abbatem dixit: turpe est mulierem iurare, maximè verò matrem meam, quæ nobilis

Iusiurandũ Comitis de pace tenenda cum Vizeliacensibus.

Digitized by Google

est & genere & potentatu, sed & vidua: parce illi quæso, & ne illam compellas iurare; sed susci pe pactum illius in verbo legitimo; ego autem pro ea tenebor quòd sic obseruabit. Respondit Abbas: noli, inquit, noli soluere firmamentum pacis: scio enim matrem tuam initium & causam fuisse omnium inimicitiarum tuarum, quam profectò constat plura compromittere, pauca effectui mancipare. Veruntamen amore tui, si vt dixisti, formam compositionis seruaturam se in verbo legitimo pepigerit, patiar vt quilibet legitimus miles vice ipsius adstante illa ante Sancta iuret. Et factum est ita: & iurauit Balduinus, qui dictus est pro ea. Et facta est lætitia & exultatio magna omni populo in die illa. Et facta est concordia & amicitia magna inter Abbatem & Comitem, & nulla fuit distantia inter vtrumque, quin sentiret idem vnus quod alter. Hi autem qui operatores & incitatores inimicitiarum omniũ fuerant ad pedes Abbatis venerunt, & vt eos Comiti offensos reconciliaret suppliciter exorauerunt. Rex autem Ludouicus venit Vizeliacum, & gratias ei egit Abbas cum Fratribus suis pro adepta pace, & occurrit ei filius Comitis Cabilonis, & agente Abbate fecit pacem cum Rege.

Ad hoc colloquium venit & Stephanus Abbas Cluniaci, qui exosam habens personam Guilelmi Abbatis Vizeliaci, dedignatus est ingredi oppidum Vizeliaci, & substitit in prædio quod dicitur Nouemfontanas, mandauítque Regi vt sibi vbilibet occurreret, qui assignauit ei locum in crastinum apud S. Petrum inferiorem, quod est prædium Monasterij Vizeliaci; quod vt Guilelmus Abbas Vizeliacensis cognouit, misit ad eum Renaldum Eleemosynarium, & Gaudricum Priorem de Campo-molli: quos vix ad se introductos cùm audisset, non resalutato Guilelmo, remisit Stephanus dicens collaturum se cum Fratribus suis super ea quæ sibi protulerãt. Erant autem cum Stephano Abbate Cluniaci Bernardus Prior S. Stephani Niuernensis, & Hugo de Siluiniaco, Thomas & Amblardus aliíque quamplures, qui omnes vnanimiter rogauerunt & laudauerunt vt adquiesceret petitioni Abbatis Vizeliaci. Petijt enim Abbas Vizeliacensis, vt ipse Abbas Cluniacensis Vizeliacum veniret; ille autem sibi occurreret cum Duce Burgundiæ & Comite Niuernis, vniuersáque mi-

Digitized by Google

litia Procerum, qui tunc ibidem conuenerant, & ornatis plateis multóque incenſo flagrantibus *, ſolemnem proceſſionem cum ſignorum omnium ſonitu, feſtiuo more ſuſciperet, Capitulum pro arbitrio teneret, ad cymbalum Refectorij ſederet ſi vellet, aut certè in camera Abbatis quot quot vellet diebus comperendinaret. Acquieſcens ergo Cluniacenſis ſuorum conſilio, mandauit Abbati Vizeliac. per Hugonem & Amblardum, quòd ſatisfaceret petitioni illius. Statímque Abbas præcepit ornari Baſilicam & omnes plateas, omníque populo clamante præcone præcepit vt fores & veſtibula domorum ſuarum decenter ornarent, & honeſtè ſecum procederent in occurſum Abbatis Cluniacenſis. Superueniens autem Theobaldus Prior Cluniaci, qui poſtmodum factus eſt Abbas Monaſterij Moliſmenſis, vituperauit conſilium Fratrum ſuorum. Veniénſque cum Pontio tunc Priore Paredi Monaſterii, tentabat animum Guilelmi Abbatis, inquirens quo honore Abbatem Cluniaci ſuſcipere diſponeret. Cui Abbas reſpondit, dicens: Aſſumptis mecum Comitibus & Proceribus atque Militibus, quorum multitudinem adeſſe cernitis, occurram Domino Cluniacenſi, & ſolemnem ei proceſſionem exhibebo. Cùm autem huc ingreſſus fuerit, Capitulum & Refectorium pro arbitrio tenebit, aut in ipſa Camera mea quandiu voluerit, comperendinabit, omnémque illi honorem exhibebo, in frumento, vino & carne, & piſcibus. Submurmurante Theobaldo, reſpondit Pontius: Hæc omnia quæ proponis, bona quidem ſunt, ſed minùs ſufficientia perſonæ Abbatis Cluniaci. At ille: Quid ergo, ait, ampliùs faciendum vobis videtur? Et reſpondit Pontius: optimè noſti quid ei congruat, præſertim in hoc Monaſterio, quod præter communem hoſpitalitatem ampliori tenetur ſibi reuerentiâ. Bene (inquit) noui quid ſibi congruat, ideóque omnem debitum illi honorem exhibebo. Si autem fortè vltra intenditis, hoc apud vos certum conſtare volo, quòd collata mihi ſede non ſibi cedam. At illi dixerunt; noli ergo fatigari, quoniam Dominus Abbas minimè huc veniens, obſequium tuum recipiet. Quibus Abbas ipſe ait, viderit; feci ego quod meũ fuit. Et audiuit Rex & Optimates eius hoc verbum, & diſplicuit eis valde, dixerúntque: O quanta ar-

* fragrantibus.

Abbatis Cluniac. actus improbantur

à Rege ac Procerib⁹ rogantia iſtius hominis, qui ſibi oblatum tantum honorem deſpicit, & Dominum Regem nóſque omnes occurrere ſibi expetit. Cùm hæc loquerentur, & eſſet Guilelmus Abbas coram Rege, dictum eſt ei, quòd Stephanus Abbas Cluniaci iam deſcendiſſet ad gradus exteriores maioris Baſilicæ, & ſtaret ante altare Apoſtolorum Petri & Pauli, ad quem deſcendens, deduxit eum in domum ſuperiorem ante conſpectum Regis, vbi cùm fruſtra per totum diem ieiunus perſtitiſſet, imminente noctis conticinio, rediit ad prætaxatum prædium. Et magnificatus eſt ea die Abbas Guilelmus in conſpectu Regis & Comitis Niuernis, omniúmque Procerũ. Et obtinuit Abbas Guilelmus gratiam Comitis Niuernis, & magis ac magis per ſingulos dies proficiebat in dilectione eius; ita quòd Comes per omnia ſeſe illi crederet, & ſecreta ſua committeret.

Guilelmus Niuern. pergit Hieroſol.

Poſt hæc verba Comes Niuernis GVILELMVS, filius Guilelmi Altiſiodorenſis filij Guilelmi Cartuſienſis, filij Renaldi Malliacenſis, filij Guilelmi Niuernenſis, filij Renaldi, qui fuit filius Landrici primi huius generis Comitis Niuernis, accepit apud Caritatem ſignum viuificæ Crucis gratiâ Hieroſolymitanæ peregrinationis ab Hugone Senonenſi Archiepiſcopo.

Deonarii ſeu Poplicani hæretici in iudicium adducti.

Eo tempore deprehenſi ſunt apud Vizeliacum quidam hæretici, qui dicuntur Deonarij ſeu Poplicani, & adducti in quæſtionem per ambages & circuitus verborum tentabant velare fœdiſſimam ſectam hæreſis ſuæ. Separatos itaque Abbas iuſſit recludi, donec à ſuperuenientibus Epiſcopis honeſtiſque perſonis conuincerentur: fuerúntque detenti ferè per ſexaginta vel eò ampliùs dies, & frequenter adducebantur in medium; & nunc minis, nunc blandimentis de fide Catholica inquirebantur. Tandem cùm fruſtra multo tempore laboratum fuiſſet, mediantibus Archiepiſcopis, videlicet Lugdunenſi & Narbonenſi, cum Epiſcopo Niuernenſi, & Abbatibus, aliiſque peritiſſimis viris quampluribus, conuicti ſunt quòd ſolam diuinitatis eſſentiam ore confitentes omnia penitùs Eccleſiæ Catholicæ ſacramenta euacuarent, Baptiſmum ſcilicet paruulorum, Euchariſtiam, viuificæ Crucis impreſſionem, exorcizatæ aquæ aſperſionem, Baſilicarum ædificia,

Hæreſis eorum capita.

Digitized by Google

decimarum & oblationum remedia, coniugatorum cõnubia, Monachorum inſtituta, Clericorum & Sacerdotum omnia officia. Et cùm inſtaret Paſchalis ſolemnitas, duo ex illis, audito quòd proximè ignis exterminandi eſſent iudicio, finxerunt ſe credere quod Catholica credit Eccleſia, & pro pace Eccleſiæ aquæ examine ſatisfacturos. In ipſa igitur proceſſione Paſchalis ſolemnitatis adducti ſunt in medium maximę multitudinis, quæ totum Clauſtrum occupabat, ſtante Guichardo Lugdunenſi Archiepiſcopo, & Bernardo Niuernenſium Epiſcopo, Magiſtro quoque Galterio Laudunenſi Epiſcopo, cum Guilelmo Vizeliacenſi Abbate. Itaque requiſiti de fide per ſingula capitula, ſic ſe credere dixerunt ſicut Catholica credit Eccleſia. Requiſiti de execrabili ſacramento erroris ſui, nihil ſe ſcire dixerunt, præter præſcriptam infidelitatem Eccleſiaſticorum ſacramentorum. Requiſiti vtrum ita ſe credere, vti profeſſi ſunt, & nihil de ſecreto erroris ampliùs ſe ſcire aquæ examine probarent: ita ſe facturos ſponte abſque aliqua adiudicatione reſponderunt. Tunc omnis Eccleſia vno ore exclamauit, *Deo gratias*. Et reſpondens Abbas dixit omnibus qui aderant: Quid ergo, Fratres, vobis videtur faciendum de his qui adhuc in ſua perſeuerant obſtinatione? Reſponderunt omnes: Comburantur, Comburantur. Sequenti die adducti ſunt illi duo qui videbantur reuocati, ad iudicium examinis aquæ; quorum vnus omnium iudicio ſaluus per aquam factus eſt: fuerunt tamen nonnulli qui exinde dubiam tulêre ſententiam. Alter porrò remerſus in aquam, fere omnium ore damnatus eſt. Vnde carceri mancipatus, quoniam varia quorundam, etiam Sacerdotum ferebatur ſententia, iterum ipſo petente, ad aquæ iudicium reductus, & ſecundò demerſus, nec vel parum ab aqua receptus eſt. Bis denique damnatus igni ab omnibus adiudicatus eſt: Sed deferens Abbas præſentiæ ſuæ, publicè cæſum eliminari præcepit. Cæteri autem numero ſeptem igni traditi exuſti ſunt in valle Eſconij. An. 1167.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

ABbates quid præcauere debeant, 212
Academia. V. Toloſæ.
S. Acherici ſiue Acheri Monaſterium, 307. actus Sancti huius percurruntur, ibid.
Adam Abbas S. Dionyſij Pariſ. 130
S. Adeodatus ſiue Deodatus Epiſcopus Niuern. abdicato Epiſcopatu in eremum ſeceſſit, 277. eius acta breuiter perſtringũtur, ibid. & ſeqq. Monaſterium, ibid. 282 eximitur à iure Epiſcopi Tul. & Sedi Apoſtolicæ ſubijcitur, 312 inſtauratur à Ducisſa Beatrice, 313 Tranſlatio corporis B. Deodati, ibid.
Adhelret Rex Anglorum, 257
Alberici Hoſtienſis Epiſc. S. A. L. Epiſtola, 480
Albertus Comes de Daſporch. 355
Alexander Papa III. ab Imperatore vexatur, 339. moratur in Gallia, ibid. pacem init cum Imperatore, 340 eo Summo Pontifice electo ſchiſma exoritur, 566 eius partibus ſtat Ludouicus Rex Galliæ, 578 aduerſantur Fridericus Imp. & Henricus Comes Trecẽſis, 579 & ſeqq. plura ea de re colloquia, ibid. 780 Pariſiis Alexander ſuſcipitur, 582 Eccleſiam S. Germani Pratenſ. conſecrat. ib. Concilium celebrat apud Turones, 584 Comiti Niuern. ſcribit, 590 Item Senonenſ. Archiep. 597 Epiſcopis Eduenſ. Ligonenſ. & Antiſſiodor & Niuern. 598 Ludouico Regi, 599 & Guilelmo Abbati Vizel. 600
S. Amantius Ruthenenſ. 193
Amantius ſiue Airamnus, 194
Anaſtaſii Papæ IV. epiſtolæ, 495 & ſeqq.
Andegauenſ. Comes malleus bonorum à S. Bernardo appellatur, 167
Angelorum diſciplina, 64
Angelrannus ex Cancellario Imperatoris Metenſ. Epiſc. 299 Abbas Senonienſ. ibid.
Angerannus de Couci. 550
Animarum tres ſtatus, 33
S. Anſberti corporis tranſlatio, 197 250
Anſbertus filiam Lotharii Regis duxit, 185 eius proles, ibid.
S. Anſelmi epiſtola, 121 opus ſuum quod Monologium inſcribitur corrigendum vel approbandum mittit Lanfranco, 121
Anſigiſi Abbatis Fontanel. geſta, 232
Apoſtolica diſciplina, 48
Archembaldus de Burgobono, 554
Archiepiſcopus cauſas aliarum Eccleſiarum terminare nequit ſine conſenſu Epiſcoporum, 155
Arnulfus Lexouienſ. dilaudatur à S. Bernardo, 167
Arnulfi Metenſ. Epiſc. genus, 185
Attrebatenſis Eccleſiæ priuilegium ab Vrbano pp. 2. conceſſum, 123 reſtituendum Epiſcopum decernit Papa, ib. Attrebatum populoſa quondam ciuitas, ib. ſubdita fuit Cameracenſi Epiſcopo, ib. Cardinali Epiſcopo perpetuò Ac-

trebatum gaudeat, 124. 126 id cõfirmatur à Paschali pp. secundo, 126
Auaritia in quo consistit, & quantum malum, 38
Austrulphi Abbatis Fontinel. gesta, 222

B

Bagga Monachus ac Presbyter Cœnobii Fontinel. sanctè vixit, 201
Baini Abbat. Fontinel & Episcopi Teruan. gesta, 195 & seqq. fuit Rector Floriaci Cœnobii, 196
Baldricus Nouiom. Episc. 130
Barrensis Comes, 442 & seq.
S. Bartholomæus Apost. laudibus extollitur, 14 & seqq. In Armenia prædicat Euangelium, ib. eum alloquitur Christus, ib. Licaoniæ prædicauit, & Albaniæ in Armenia martyrio coronatur, 18 ex Armenia eius corpus ad Liparam insulam appulit, 19 è Lipara Beneuentum translatum est, 22
Beatorum officium, videre, amare, laudare, 135
V. Beda historiam Anglorum ad annum vsque 731 perduxit, 208
Begonis-Cella, siue Monasterium, nunc S. Blasii, 285
Benedictina regula in Fontinellensi Cœnobio restauratur, 234
Benigni Abb. Fontinellensis gesta, 198 & seqq. exulat iussu Ragenfredi Maioris domus, 198 quę bona contulerit Fontinellæ, 203
Bernardus Niuern. Episcopus, 645
Bernardus Conuenarũ Comes Monachum Conchensem interfecit, 175 quòd de illatis damnis satisfecerit vt dominium restituatur orant Abbas &c. 175
S. Bernardi epistolæ, 165 & seqq. 492
Bernardus Rex Italiæ Carolo Imperatori se tradit, 235
S. Berta, 261
Bertholdus Tullens. Episcopus, 284 Monasterium S. Saluatoris construxit, 314
Bertholdus Episc. Argentinens. 383
Bertrada post abiuratum prauum cũ Rege Philippo commercium ab excommunicatione absoluitur, 130
Bodonis-Monasterium à Bodone Episcopo Tullensi constructum, 283
Bona Ecclesiarum ac Cœnobiorum dominationi potentium non attribuenda, 212
Boni non tantùm honorandi, sed & mali, 44
De Boxeriis Monasterium à Gozelino Epic. Tul. exædificatum, 310
S. Brunonis Episcopi Tullens. posteà Leonis Papæ IX. actus, 312 320 v. Leo.
Burdigalensem vrbem vastant Saraceni, 209

C

Calmosiaci Cœnobium Ord. S. Augustí, 325
Callisti II. inaugurationem narrat Cono S. A. Legatus, 493
Canutus Danorum Rex inuadit Angliæ Regnum, 257
Capetianorum Regum genealogia, 639
Carlomanus Rex, 218
Carolus Dux Saracenos deuicit, fugauit, Regémque cepit, interemit, 209 213 Ducem Morentum fugauit, Prouinciam, aliáque plurima ditioni Francorum subegit, 216 Legatos Romam mittit Grimonem Corbeiæ Abbatem, & Sigebertum Monachum S. Dionysij, 217

Caroli

Digitized by Google

Caroli Mag. genus & prosapia, 185
Carolus Mag. 22 7.228.231.
Cardinalis Episcopus Attrebati perpetuò permaneat, 124
Castitas ac puritas acquiri nequeũt absque castigatione carnis ac vigiliarum labore, 32,33.36 Castitatis sex gradus, 35 quomodo castitas violatur, 37 Non sola corporalis sed potissimè mentis requiritur, 38: Diuinæ gratiæ largitate conceditur, 39: quantum quis in patientia cordis, tantum in corporis puritate proficit, ib.
Childebertus II. Rex, 195.196.197 203. eius filij, 196
Childericus III. Rex, 207, 211, 215 216: Blichildis eius vxor, 211
Christianus quid intendere debeat, 62: comparatio inter philosophũ, Iudæum, Christianum & Claustralem, ib. & seq. in Christianis non principium sed finis quæritur, 133
Clauis Cœli, Claustri, seculi, inferni, mortis, 92
Cluniacenses Monachi cur obedientiam præstare detrectant Alexandro Papæ, 567: Vizeliacense Monast. vsurpare tentant, 570 & seq. Abbatis fastus Regi longè exosus, 643.
Cogitationibus quæ mentem à contemplatione reuocant non interpellari impossibile est, 27. tria cogitationum principia, ib. Confessio prauas cogitationes propellit, 30
Compunctionis vis & effectus, 133
Conchensis, V. Monachus, Abbas Vesianus nomine, 175
Concilium Lateranense Innocentio Papa III. præsidente, 359
Concilium Turonense, cui præsidet Alexander Papa III. 583: agitata eo in Concilio causa Clericorum Paris. aduersus Monachos Sangermanenses, ibid.
Concupiscentia carnis & spiritus 31 & seq.
S. Condedus Monachus S. Vandregesili, 263
Cõfessionis virtus, 30: propellit prauas cogitationes pura confessio, ib. triplex confessio, 80: secunda est baptismi regeneratio, ib. vera confessio & eius efficacia 81 & seq. in confessione actio, cogitatio, & intentio exprimenda, 82. *Ore confessio fit ad salutem*, quî intelligendum, 134: varia confessio, ibid. & seq. quando confessio oris necessaria, & econtra, 135
Cononis Episcopi Prænestini S. A. Legati epistola de inauguratione Callisti Papæ &c. 493
Consuetudo & vsus quomodò à lege differunt, 50
Continentia V. Castitas.
Conradus Spirensis pòst Metens. Episcopus, 342
Correctionis modus, 54
S. Clementis L. Metens. Episcopi actus percurruntur, 301

D

DAgobertus Rex, 193
Dagobertus II. Rex, 202
Daimbertus Archiep. Senon. 130; Ei scribit Paschal. Papa, ib. 470
De Dammartino Comes, qui terras Ecclesiæ Paris. inuaserat, à Papa excommunicatus, 128
Dani V. Normanni.
De Danubrio. V. de Salmis.
De Dasporch Comitatus, 382 Comites Christianissimi extitêre, 383: plura Monasteria fundauerunt, ibid.
Deo velle & facere, idem, 101
S. Deodati Monasteriũ V. Adeotati.

Digitized by Google

Diabolus quare miſericordiam Dei non conſecutus, 59
Dies ad opus, nox ad quietē 1. & ſeq.
S. Dionyſij Monaſterium in valle Lebrath, 308
Diſciplinæ Clauſtralis Tractatus, 42. Libertas animi niſi infatuata fuiſſet, diſciplinâ non indiguiſſet, ibid. ad diſciplinam Clauſt. pertinet pati & nō facere mala, ſed potiùs pro malis reddere bona, 45
Diſciplinæ auctores 47. quid diſciplina Clauſt. ib. 58. 59. diſciplina Angelica, 64: exercitia Clauſtralis diſciplinæ, 75
Diues pauperi nō præferendus, 144
Doctores qui veri, qui falſi, 138
S. Dominicus Ordinem Prædicatorum inſtituit, 372

E

ECcleſiæ Gallicanæ conſuetudo, 182
Eduardus Angliæ Regnum adnitentibus Normannis adeptus eſt, 258
Einhardus ſiue Eginhardus Abbas Fontinel. 234
B. Elizabeth Ord. Franciſc. actus, 399
Erardus Epiſcop. Reneſporch, 284. 288
Erchenoaldus Maior-domus, 190 eius encomium, ibid.
Euchariſtia præcipuè eſt neceſſaria, 93: locū tenet in Eccleſię corpore, quem cor in homine, ib. ad Euchariſtiam quando accedendum, quando cedendum, quando recedendum, ib. quid cedere & recedere, 94; modus & tempus accedendi, ib intentio, & deuotio triplex, 96: cauſæ accedendi, ib. & ſeq inſtitutio huius Sacramenti, 97, Vtilitas. 98. eſt virtus & ſanitas in corpore Chriſti, ib. triplex neceſſitas Euchariſtiæ, 99 & ſeq. quâ ratione ſumendum corpus Chriſti, 101
Eudo Dux Aquitaniæ Saracenos ad ſibi auxiliandum aduocauit, 209
Eugenij Papæ II. Epiſtolæ, 475 & ſeqq.
Excommunicationis ſententiam qui ferre volunt maturitatem & grauitatem oſtendant, 185

F

FAcundi Hermianenſ. Epiſtola in defēſione trium Capitulorum, 106; & ſeqq. Vigilium ac Pelagium Pontif. Rom. perperam ſugillat, 107, anathemate inuolutum ſe conqueritur, 110
Ferrandus Flandriæ Comes, 345
Ferricus Dux Lotharingiæ, 316
Floriacum Cœnobium in pago Velocaſino exædificat Pipinus Dux, 195, Subiectum Fontinellenſi, ib. 196, poſſeſſiones dinumerantur, 196
Fontinellenſe Chronicon, 185. Fontinellenſe Cœnobium à quo fundatū 188, quo in loco, 190, deſcriptio loci, ib. annus fundationis, 192; conſecrata eſt Eccleſia à S. Audoeno, ib. detrimentum patitur Monaſterium Teutſindo Abbate, 210; egeſtate laborātes Monachi deflectunt ab obſeruatione Regulæ, ib. reſtauratur, 234; quaſi Canonici agentes Monachi, ibid. conſtitutio illis facta ab Anſegiſo, 244. Monaſterium à Danis combuſtum, 251: reſtauratur, 255
Fornicatio deſcribitur, 37 & ſeq. V. Caſtitas.
S. Franciſci vitæ inſtitutio, & Ordinis Minorum, 373
Francorum Imperium poſt obitum Ludouici Pij diuiditur, 186
Fridericus Lotharingiæ Dux, 306

Digitized by Google

308, 355
Fridericus Imp. Alexandro PP. 3 aduersatur, 339, à quo excommunicatur, ibid. pœnitens absoluitur, 340. aquis submergitur, ib.
Fridericus II. Imp. 362; Ecclesiæ Romanæ terram vsurpat, 363 filiã Ioannis Regis Hierusalem duxit vxorem, 364. de Friderico multa, 365 & seqq. Imperium ipsi abrogauit Innocentius Papa, 366. Veneno interijt, 371
Fulco Comes Andegau. excommunicatus ob illicitas filiæ nuptias, 149
Fulco Fontinellæ Abbas, 248
Fridericus de Salmis, 396

G

GAlo Scholæ Paris. Magister, 155 & sequ. excommunicatus ab Episcopo, 157
Gaufridi Carnot. Episcopi epistolæ nonnullæ, 160. 163 & seq.
Gaufridus V. Goffridus.
Gemeticense Cœnobium combustum, 251, restauratum à Guilelmo Duce, 252
S. Genouefæ Paris. Ecclesia sub tutela Romani Pontif. 155
S. Georgij Mart. reliquiæ inuentæ, 223
S. Germani Parisien. Ecclesia consecratur ab Alexandro Papa III. 582: causam obtinet in Concilio Turon. aduersus Clericos Paris. 583
Gerardus ex I. Abbate S. Arnulfi Crespeiensis præficitur Fõtanellæ Cœnobio, 258 & seq. interficitur, 265; discipulus fuit Fulberti Carnot. Episcopi. ib.
B. Gerardus Tullens. Episc. clarus miraculis, 311
Gerardus Vadanimontis Comes, 325
Gerardi Comitis Testamentum, seu Fundatio Monasteriorum Pultarien sis & Vizeliacensis, 446 & seqq. Berta eius vxor, ibid. epistola Gerardi ad Nicolaum Papã, qua iuri solius Roma. Pontificis vult præfata Monasteria; 452
Geruoldi Abbatis Fontinel. gesta. 228
Gilo Episcop. Tullens. 409. 427 & seq. 431
Girardum Engolism. Episc. Paschalis 2 Papa Legatum suum constituit in Gallia, 132
Godo nepos S. Vandregesili, 190
Gofridus Episc. Niuernens. 518, 520
Goffridus ex Abbate S. Medardi Suess. Episcopus Catalau. 165
Gorziæ Monasterium, 318
Gozelinus Tullensis Præsul Episcopatum instaurat, 310
Gradulfus Decanus, pòst Abbas Fõtinellæ, 263. 266 & seqq. Vicarium Rotomag. diœcesis constituere proponit Malgerius Archiep, 267
Gratia remunerabilem religionem & disciplinam reddit, 63. Suprema ex gratia cum libero arbitrio adimplentur, 64. gratia cùm præuenit mentem, oratio grata & deuota est, 83. Deus longè est à corde cum subtrahit gratiam, ib.
Gregorij PP. IX. epistolæ, 171 & seqq.
Grimo Abbas Corbeię Legatus Romam à Carolo Martello missus, 217
Gualo Episc. Paris 130
Gualo V. Galo.
Gualterus. V. Vvalterius.
Guichardus ex Abbate Pontiniacensi Archiep. Lugdu. 593. 645
Guido Cardinal. Cremonensis. 566
Guilelmus I. Niuernẽs. Comes 470

iura Vizeliacenſ. Monaſterij vſurpare cõatur, ib. & ſeqq. 529; Carthuſiæ Monachus effectus eſt, ib. 534, à cane deuoratus, ib.
Guilelmus de S. Amore agit coram Summo Pontif. nomine Pariſ. Academiæ aduerſus Prædicatores, 410
Guilelmi Normanni nuptias cum filia Fulconis Comitis Andega. ob cognationem diſſolui mandat Calliſtus PP. 149: ideò Fulco excommunicatur, ib.
Guilelmus Dux Normanniæ Gemeticenſe Cœnobium inſtaurat, 252 eius tempore fides Chriſtiana floret, ib. ſtatuerat Monachicũ habitũ aſſumere, ſed fraude Herluini morte præuentus, ib.
S. Gundelbertus Archiep. Senonenſis, quo tempore floruerit, 273 abdicato Archiepiſcopatu ſeceſſit in Voſagi eremum, 274, Fundator fuit Monaſterij Senonienſis, ibid. & ſeqq.

H

HAdriani Papæ IV. epiſtolæ, 501 & ſeqq.
Hæretici Deonarij ſeu Poplicani Vizeliaci deprehenduntur, 644 quales eorum hæreſes, ibid.
Harduinus Monachus Fontinel. in Cella S. Saturnini eremiticam vitam duxit, 230
Helias Epiſc Aurelian. 507
Henricus de Albomonte, 394
Henricus Argentinenſ. Epiſc. 414, 417 & ſeqq.
Henricus Beluacenſis Epiſc. poſteà Archiep. Remenſ. 567
Héricus de Danubrio dictus de Salmis, 381. 385. vxorem duxit ſororem Friderici Ducis Lotharingiæ, 392. eius filij, ibid. mors, 393
Henricus Abbas Pontiſarenſis, 151
Henricus Epiſcop. Eduenſ. Ducis Burgund. germanus, 508
Henricum filium Ludouici VI. Regis Franc. Clericum in ſuam protectionem ſuſcipit Papa, 150
Henricus Imp. filius Friderici. 541
Henrico I. Comiti Campaniæ dicat Petrus Cellenſ. Tractatum de Diſciplina Clauſtrali, 42. 43
Henricus Portugalliæ Comes fœdus init cum Raimundo Comite, 122
Henricus Comes Trecenſis aduerſatur Alexandro Papæ III. 578 & ſeqq. quare, 580
Henricus Piſanus Cardinal. Electus Mogunt. Archiep. 605, 611
Herbertus Lexouienſ Epiſcop. 266
Herbertus Latiniaci Abbas doctiſſimus, 258
Heremberti Toloſani Archiep. corpus in Monaſterio Fontanellenſi, 263
S. Hildegardis prophetię dono prædita, 371, eius ſcripta, ibi. Prophetia, 409
Honorandi non tantum boni, ſed & mali, 44
Hubertus Epiſc Siluanect. 130
Hugo Niuernenſ. Epiſc. 470
Hugo I. Cluniac. Abbas, 122
Hugonis electi Archiep confirmationem à Summo Pontif. petunt Clerici Rotomag. 151: ſcribit Eugenio Papæ de Vizeliacenſium libertate, 486
Hugonis Archiep. Rotomag. Rectoris Cœnobij Fõtinel. geſta, 205 & ſeqq. Epiſcopus etiam fuit Pariſ. & Abbas Gemet. contra decreta Canonum, 207
Hugo de Tillio, 530
Hugo Antiſſiodor. Epiſc. 470. 484
Hugoni Senonenſi Archiep ſcribit Alexãder Papa, 597: epiſtola Hu-

Digitized by Google

gonis ad Comitem Niuern. 601
Iudex delegatus à Papa in cauſa Vizeliacenſium & Comitis Niuern. 612, ſcribit Epiſcopis Eduẽſi, Lingon. Autiſſiodor. & Niuern. ſe ſententiam excõmunicationis in Comitẽ Niuern. tuliſſe, 615, ſcribit Abbati Vizeliac. 629
Humbaldus Cardinal. Hoſtienſ. Epiſc. 566
Humbaldus Epiſc. Autiſiodor. 130
Humbertus Eduenſ. Epiſc. 507
Humbertus Lugdu. Archiep. 519
Humilitas Chriſtiana exerceri non poteſt ſine honoris mundani iactura, 32
Hunfredus Comes Pratellenſe Cœnobium ædificat, 267
S. Hydulphi Archiepiſc. Treuirenſis actus ſummatim referuntur, 284 & ſeqq. 289. tres ſalinarij fontes in horto Monaſterij, quòd impedimento eſſent quieti Monachorum, à Deo impetrat, vt priorem aquæ dulcedinem reciperẽt: & à miraculis S. Spinolus abſtineret, 287. Quia ex fontibus & miraculis quæſtus ſpreuerat, ampliora ei Deus impertiuit, ib. corporis tranſlatio, 309

I

IAcinthus Cardinalis, 591. 592
Iacobus Metenſ. Epiſcopus, 376 eius actus, 385. 420. 422. obitus, 424
Ida Comitiſſa Niuernenſ. 594
Ildefonſus Rex Arragonum fundat Monaſterium Syluæ-regalis, 168
Imma nubit Adelredo Regi Anglorum, 257 item Canuto qui Regnũ vſurparat, 258
Imma fœmina mutato habitu Fontanellæ manſit, 263
Imagines ſacras deponũt Senonienſes ob diras vexationes ipſis illatas, 423
Innocentij Papæ II. laudes proſequitur S. Bernard. 167: Epiſtolæ, 471 & ſeqq.
Innocentius III. Papa. 354
Innocentij Papæ IV. electio, 366
Imperio Fridericum deiecit, ib.
Interdicti ſententiã tulit Theobald. Archidiac. inconſulto Epiſcopo Pariſ. 161. Interdicto ferit Regnũ Angliæ Stephanus Cantuarienſ. 170
Inuidia gehenna eſt, 46
Ioannes de Brine Rex Hieruſalem, 364
Ioannes Cardinalis S.A. Legatus in Anglia, 543
Ioannes Cardinalis de S. Martina, 566
Ioannes Metenſis Epiſcopus, 383. 587
Iocerannus Lingon. Epiſc. 470
Iocius Turon. Archiep. Regis Frãc. Nuntius, 580
Iordanus Cardinalis S.A. Legatus in Gallia, 544
Ioſeph ab Arimathæa corpus ad Medianum Monaſterium defertur, 305
Iſmarus Cardinal. Epiſcopus Tuſculan. 566
De Iudæis multa. 401 & ſeq. 404
Iuliobona vrbs à Gaio Iulio ædificata, 214, Caletum anteà vocata, ibid.
Iuo Carnot. Epiſc. 130
Iuſti Orgelitani epiſtola, 119, commentarium edidit in Cantica Cant. 120

L

LAmbertus Epiſcopus Attrebatenſ. à Papa inſtitutus ac confirmatus, 123. 124. 126: Legatus à Summo Pontif. recipit Philippi Regis iuramentum, quo ipſe pel-

licem abdicare promittit,129
Landonis Archiep. Remensis, & Rectoris Fontinel. Abbatiæ gesta, 208
Lectio vberiorem orationis fructum producit,12, quomodò proficiendum ex lectione,54, silentio concatenata est lectio, 78: est pascua vberrima, ib. quàm vtilis, ib.
S. Leo Papa IX. è Comitibus de Dasporch oriundus, 383, V. Bruno.
Lex quî à Consuetudine & vsu differt, 50, Lex Euangelij perfecta, 98
Libertas animi ex proprio arbitrio infatuata eget pœnali disciplina, 42
Libertas velut odor suauis, 139
De Lietsemberch Dominus, 432 & seqq.
Logense siue Longense Cœnobium, 200
Lucij Papæ II. Epistolæ, 473 & seq.
Lodouici Pij Imp. genus & proles, 185, 232, 233, 248
Ludouicus VI. Regnum Franc. dilatauit, 639
Ludouici VII. Epistola Pontio Abbati Vizeliac. 500. dilaudatur, 639 Hierosolymam petit, ib.
S. Ludouicus quare iter Hierosolymitanum aggressus est, 397, Damiatam obtinet, 369, capitur Rex à Saracenis, 370, ipsi suadere conantur Fratres Prædicatores vt habitum religionis assumat, 411

M

MAherus Episc. Tullens. 327 328 & seqq.
Maherus Lotharingiæ Dux, 325
Mainardus Abbas Fontinellæ restaurat Monasterium penitus dirutum, 255, eliminatis Clericis Abbas S. Michaëlis præficitur, 256
Malgerius Archiep. Rotomag. filius Ricardi II. Ducis Norm. 264
Manasses Aurelian. Episcopus, Legatus Ludouici VII. Regis Franc. 578
Manasses Meldens. Episc. 130
Matrimonium quo in gradu possit contrahi statuit Innocentius III. Papa, 360
Matthæus Lotharingiæ Dux, 325
B. Mariæ Magdalenæ corpus olim Vizeliaci asseruatum, 526, quo anno exceptum ibidem fuit, 540
Matthæus de Montemorenciaco, 165
Mauricius Paris. Episc. Regis Franc. Nuntius, 580
Medianum-Monasterium à S. Hydulpho ædificatũ, 285 Imperiale fuit, i. armatorũ cuneos ad Imperatorem dum bella vrgerent, mittere solebat, 290: illius Abbas Fortunatus Patriarcha Ierosolymitan. 305. Monachi expellũtur, 306, restituuntur, ibid.
Metis Vrbs quare Mediomatrica dicta 299, Archiepiscopatus honore olim insignitam asserit Richerius Senonien. ib. Metenses à Comite Barrensi sunt interfecti, 326
Monachorum vigiliæ laudantur, 1. Monachi finis & scopus, 24: quod studiũ, 25, Monachorũ disciplina, vide disciplina. Monachorũ disciplinæ exẽplar Apost. 48 & seqq. præsertim B. Paulus in suis Epistolis regulas illis præfigit, ib. Religionis quæ vincula, & exercitia, 51, 52: quomodò scientia sæculari vti debẽt Monachi 56, Crucifixo Christo assimilari 58; ad quid monastica vitam multi arripiunt 59 Claustralis quidintendat, 62: cõ-

Digitized by Google

paratio inter philoſophũ, Iudæũ, Chriſtianum, & Clauſtralem, ib. & ſeq. Monachorum exercitia 75 eorum quale ſilentium 76: Monachus Conchenſis crudeliter interfectus, 175, egeſtas Monachis quare pernicioſa, 210. Capitulum Monachorum Conuentus appellatur, vbi lectio diuina recitatur, & de regulari obſeruantia agitur, 239, diſſolutio Monachorum ob inopiam 291

Monaſteriorum bona nõ diſtrahenda, nec dominationi potentium tribuenda, 212, quid inde mali proueniat, ibid.

Morte nihil bonis appetibilius, nihil malis odioſius, 85; quanta bona ex morte ijs, qui non ſunt de mundo, proueniant, ib. & ſeq dies mortis à Deo conſtituta, 86: mortis debitum nemini indultum, nec ipſi Filio Dei, ib. ad mortem præparatio, ib. & 87: mortis meditatio perneceſſaria 89. ad hanc meditationẽ pertinet mors Chriſti, mors diaboli, mors hominis, 90 & ſeq. mors Chriſti quid operatur, 91

N

NAnthildis Regina, 194
S. Nicolai corpus Barium trãsfertur, 324: digiti eius articulus in Lotharingiæ oppido collocatur, 324

Normanni Galliam intrant, vaſtántque, 150 & ſeq.

Nox ad quietem, dies ad opus, 1. & ſeqq.

O

ODilia Virgo viſum meritis SS. Hydulphi & Erardi recipit, 288: eius acta quędam percurruntur ib & ſeq.

Odo Burgundiæ Dux, 479, 481

Offæ Regis Anglorum ad Geruoldum Abbatem epiſtola 229

Olricus Abb Pariſ. S Maglorij, 130

Opus nullũ remunerabile eſt, quod non commendat gratia cum conſcientia bona, 63

Oratio duplex, laborioſa, & deuota, 83. Oratione ira Dei deletur, & gratia conceditur, ibid. gratia præuenit orationem, ib.

Otto Cardinal. S. A. Legatus, 569

Otto Imperator, 310

Otto de Brunſuuich Imperator, 341 eum inaugurat Innocentius 3 Papa, 343 & ſeq. cui ille aduerſatur, ac bona Eccleſiæ inuadit, ib. bellum init cum Rege Franc. 345

P

PAſchalis 2. PP. Epiſtolæ 126 & ſeqq. ab excommunicatione abſolui mãdat Philippum Regẽ, 128, Epiſtolæ Vizeliacẽſibus ſcriptæ, 469

Patientia & lenitate cum gratia Dei caſtitas acquiritur, 39

Pauperes qui non ſubleuat idololatriæ reus eſt, 38: pauperi diues non præferendus, 144

Peccatum primi parentis vnde, 55 quæ ſunt peccata ex ſenſualitate, & quæ ex ratione, 82

Pelagium Papam laceſſit iniurijs Facundus, 107

Petrus Cellenſis quare Tractatum ſcripſit de diſciplina Clauſtrali, 43. 45: triginta annis vitam religioſam profeſſus, 45, iſchiade affectus, ib. vult vt ſcripta ſua non ad plauſum, ſed ad planctum legantur, 46

Petrus de Collemedio A. S. Legatus, 172 & ſeqq.

S. Petrus Ord. Prædicat. martyrio afficitur, 407

Philippus Sueuiæ Dux, Imperator,

341, 342
Philippus Metenſ. Epiſcop. 431, 433, 442 & ſeq.
Philippi Auguſti Regis Franc iudicium, 334; inſignem victoriam refert de Imperatore, 345, obitus & ſepultura. 351, 352
Philippus I. Rex Franc. à vinculo excommunicationis abſoluitur, 128, iuramétum eiuſdem, 129, 130
Pibo Epiſc. Tullenſ. 321
Pipini Regis genus & proſapia, 185
Pipinus Rex, 218, 219, 222
Plectrudis vxor Pipini, 196
Pœnitentiæ veræ indicia, 132 & ſeq. effectus corde pœnitentis, 133: pœnitentia non tempore, ſed cordis amaritudine ponderatur, 134
Popo Treuirenſ. Archiep. 320
Portæ ſæculi, Clauſtri, & Cœli, 91 & ſeq. de Poſſerijs, V. Boxerijs.
Prædicatorũ Ordo inſtituitur, 372 Prædicatores inter & Clericos Pariſienſes grauis controuerſia, 409 & ſeqq. ſuadere conantur S. Ludouico, vt habitum religioſum ſumat, 411
Prælati quid debeant præcauere, 212
Pratellenſe Cœnobium ædificatur, 267, regitur à Gradulfo Abbate S. Vandregeſili, ib. I. Abbas, ibid.
Primaſium Bizacenum ſugillat Facundus, 107
Pſalmodiæ bonum, 7, Auctores, ib. Pſalmorum vtilitas maxima, 8 & ſeqq. Pſalmodiæ vſus antiquus, 10, Pſallendi modus, 11
Pultarienſis Monaſterij fundatio, 448

R

RAdo Scriptor Regalium priuilegiorum, gerulúſque annuli Regij, 194
Radulfus Archiep. Turon. 130
Radulfus Comes Rotomagenſis, 194
Raginfridi Archiep. Rotomag. & Rectoris Fontanellenſis Abbatiæ geſta, 216
Raimundus Toloſanus Comes iubetur cum vxore habitare, 171, petit vt pater in cimiterio Eccleſ. ſepeliatur, 172, & terminus ſolutionis 10. mil. marcarum & itineris Ieroſol. à Papa prorogetur, 173 Ordini Ciſterc. ſoluat debitam pecuniam iubet Papa, 174
Raimundus Gallæciæ Comes fœdus init cum Hérico Comite, 122
Renaldus Abb. S. Germani Pariſ. 130
Rainoldus Abb. Stamp. 130
Ratharius Comes. 211
Renaldus de Sanlize Epiſc. Tullenſ. 328, 329 & ſeqq.
Regnum Dei & diaboli quî differunt, 26: Regnum Dei tripliciter ſumi poteſt, ibid.
Religioſi V. Monachi.
Religionis quid ſubſtantiale, quid accidentale, 50: remunerabilis nõ eſt religio quam non commendat gratia cum conſcientia bona, 63
Remigius Archiep. Rotomag. 218
Richardus Dux Normanniæ fœliciter gubernat, 252
Richardus II. Dux Norman. laudibus attolitur. 257. eius proles, 264. f.
Richardus III. Dux Norman. 264
Robertus Archiep. Rotomag. dedicat Eccleſiam S. Vandregeſili, 266
Robertus Dux Normanniæ, 264: res præclarè ab eo geſtæ perſtringuntur, ibid.
Robertus Epiſcopus Conſtantienſ. 266
Rodulphus de Habeſporch. 437
Rogerus Epiſc. Tullenſ. 387

Rollo

Rollo Dux Normanniæ Christo dat nomen, 252, leges æquissimas instituit, ib.
Romanus Cardinal. A. S. Legatus, 174; instituit Academiam Tolosanam, 181
Roscelinus Clericus Compend. reprehenditur, 141, & seq.
Roscelinus Ducis Norman. Cubicularius, 259

S

SAcerdotes crudeliter interfecti, 413, & seqq.
De Salmis Domini, 381, 385, 392, 393 396, 397, 420, & seqq. 427, & seq.
S. Saluatoris Monasterium, 314, 316
Scientiæ veræ ac cœlestis acquirendæ media, 40, eiusdem scientiæ descriptio, ib. & seq. scientia secularis qui vtendum, 56, 57
Scripturæ sacræ vera scientia, 40, & seq. In Scriptura potiùs spiritus requirendus quàm litera, 43
Senebaldus Cardinalis, 366
Senonensé Archiepisc. subijci non debere Lugdunensi contendit Rex Francorum, 147
Senonienſis Monasterij descriptio, 273, & seqq. nominis etymon, 275, à quo fundatum, 274. & seq. Ecclesiæ prima dedicatio, 276 quando subiectum est Monasterium ditioni Metensis episcopi, 299, ab Episcopo Met. temporalia, à Tullensi spiritalia recipit, 303, Abbatum iura, 304, Aduocati constituuntur, 304, peruersi Abbatis ac Monachorum mores, 317 restituitur disciplina regularis, 319, Prioratus de Danubrio, de Mertuauille, & de Xuris, 408; ob diras vexationes Domini de Salmis sacras imagines deponunt Senonienses, eúmque excommunicatum proclamant, 423, diripiuntur omnia quæ ad id Monasterium attinent ab ipso de Salmis, 424, & seq.

ABBATES SENONIENSES.

I. S. Gundelbertus, pag. 273, & seq. Magneramnus, 299, Agericus, Mageramnus, Bõciolus, Stephanus, Angelramnus Metẽs. Episcopus, ibid. Norgandus, 303, Adelhardus, 317, Rangerus, 318: Rambertus, ib. Bercherus, 321, Antonius, 322, Galterus, 323, Humbertus, 326, Gerardus, Bernardus, Theodoricus, ib. Cono. 327, Hẽricus, 338, 381, Vvidericus, 384, Balduinus, 387, 390. 420, & seqq.
Sepulturæ traditi SS. Vindregesi. Ansbert. & Vulfran. cum vestibus Sacerdotalibus, 198
S. Sidonij Cella seu Prioratus, 208
Sigebertus S. Dionysij Monachus Romam Legatus à Carolo Martello missus, 217
Silentium quale esse conuenit, 76, & seq. rationes obseruandi silentij, 77, silentio concatenata est lectio, 78
S. Simeonis Metens. Episcop. corpus transfertur, 300, 303
Simon Dux Lotharingiæ, 316
S. Sixti Monasterium prope ciuitatem Remensem, 233
S. Spinuli miracula, 286
Stephanus Metens. Episcopus, 322
Stephanus, Cantuarien. Regnum Angliæ interdicto ferit, 170, nullã eius electionem Rex declarat, 171
Stephani Episcopi Paris. epistola quâ Ecclesiæ suæ iura tuetur, 155 & seqq. 161, eius constantia & patientia, 162, necem eius conspirant aduersarii, ib.
Stephanus de Guarlanda Archidiac. Paris. renuit Episcopi iudicium, 558, & seq.

Digitized by Google

Stephanus Tullenſis Epiſcop. 310
Stiuagienſe Monaſterium Ord. Prę. monſtrat.. 275
Superbia quantum ſit peccatũ pauci perpendunt, 141
Stephanus Eduenſ. Epiſc. 407, 471
Sybillæ Beguinæ actus & illuſio, 375
Syluæ-regalis Monaſterij fundatio ab Ildefonſo Rege Arragonum, 168
Stephanus Meldenſ. Epiſcop. Iudex delegatus à Papa in cauſa Vizeliacenſium, 612

T

TAſſilo Dux Baioariæ, 229
Teutſindi Abbatis S. Martini Turon. & Fontanellenſis geſta, 210
Theobaldus Abbas S. Germani Pratenſis Legatus Ludouici Regis, 578
Theobaldus Dux Lotharingiæ, 332 333, 357, 382
Theobaldi Archidiac. Pariſ. peruicacia erga Epiſcopum, 161
Theobaldus Maiordomus, 202
Theobaldi Stampenſ. epiſtolæ variæ, 132 & ſeqq.
Theodoricus II. Rex, 204
S. Thomas Cant. Archiepiſ. exul in Gallia, 593, adit Alexandrum Papam, ibid.
Toloſæ Academia inſtituta ac confirmata. 181, ſtatuta, 182
Traſarius Abbas Fontinel. 232, 234

V

VAlterus Tornacenſ. Epiſcopus Legatione A. S. fungitur, 178 & ſeqq.
Vando v. Vvando.
S. Vãdregeſili genealogia, 185, geſta, 188 & ſeq. Vvando vocatus, 188
S. Vandregeſili Monaſterium, V. Fontinellenſe, S. Vandregeſilus Regulam S. Benedicti obſeruandam inſtituit, 210, corporis eius tranſlatio, 250, reddere ſe offert corpus S. Vandregeſili Girardus Abbas Gandau. ſed repulsã paſſus eſt ab Aulicis, 254, Gandaui requie ſcit, ib.
Venaſcenum Comitatũ cur Eccleſia Rom. retineat, 177, & ſeqq. hunc renuit Papa reddere Comiti Toloſano, 183
Veſianus Abbas Conchenſis, 175
Vigiliæ ſacræ quã ſaluti neceſſariæ, 1. & ſeqq. vigiliarum antiquitas, 3 Vtilitas, 5, Quæ ad Vigilias præparatio, 6
Vigilium Papam iniurijs afficit Facundus, 107
Vizeliacenſis Monaſterij fundatio, 448, argenti libræ duæ ſingulis annis ſolui debent Romano Pontifici, 449, 454, 462, & ſeqq. 528 cui ſubditur Monaſterium, 450 451, 452 vbi ſitum eſt, 448, 454 Nicolaus I. papa confirmat fundationem, 458, & Ioannes Papa VIII. & alij Summi Pontifices, 461. & ſeqq. Abbas interficitur, 471, Vice Papæ Eduenſis Epiſcopus Abbati benedicit, 472, immunitates infringere tentat idem Epiſcopus 472, & ſeqq. arbitros conſtituit Papa Lingonenſem Epiſcopum & Bernardũ Ab. Clareual. 472, Auctor quare hiſtoriã Vizel. ſcribere aggreſſus eſt, 506 525. Quare ſtrenuè Põtius Abbas libertatẽ Eccleſiæ Vizel. propugnauit, ib. Quæ Vizeliaci priuilegia, 507, 526, 527: ea primus perturbare tentat Hũbertus Eduenſ. Epiſc. ib. Helias Aurelian. Ordines ſacros petente Abbate cõferens, ib. Henricus Eduenſ. Epiſcop. ius Eccleſiæ Vizeliac. infringere co-

Digitized by Google

natur,508,coram Eugenio Papa III. de ipso iure controuertitur, 509,causa cadit Episcop. Eduens. 510,541,cum eo tandē Abbas Vizel. pacem init 522. Monasterium Vizeliacense cùm subuersum fuisset,instauratur,ac Monialibus exclusis Monachi inhabitant, 527 Guilelmus Comes Niuernens. vsurpare aggreditur dominiū Vizeliaci, 529, lis inter ipsum & Vizeliacenses, 530, filij Comitis vexando Monachos Vizel. patrem imitantur, 534,& seqq. deprædatur Comes bona Vizel. 537, de interficiendo Abbate coniurant Oppidani Vizel. 546, adhærent Comiti, 548,& seqq. pessimè Monachos diuexant, 551,& seqq. tandem pace compositā cum Comite Vizeliacum suam obtinet libertatem, 564, in eligendo Abbate consensus Comitis Niuern. haud requirendus, 569, Cluniacenses vsurpant regimen Monasterij Vizel. 570, sed ab illorum potestate eximitur, 572, Hugo Pictauinus Auctor Historiæ Vizel. 610, Monachi crudeliter vexati aufugiunt, 622, Parisiis Regi pandunt causā itineris & doloris, 626, 628, clementer à Rege excepti, 626: qui Monachos ipsemet restituit, 632 pacem tandem Comes init cum Abbate, 641

ABBATES VIZELIACENSES.

Eudo, 461, 527, Aymo 463, Guido, 464, Eldrardus, ib. Robertus, 465 Gaufridus, 468, Bernо, ib. Altardus, 469, Robertus. ib. Artaldus, 472, 475, Pontius, 472 & seqq. 524, 568, Renaldus, 532, Guilelmus, 568, & seqq.

Vmbaldus, v. Humbaldus.

Vniuersitas, v. Tolosæ.

Voluntas bona quàm efficax, 136

Vosagi descriptio, 273, & seqq.

Vrbanus IV. Papa, 442

Vualterus Argentinensis Episc. 434 435, & seqq. 440

Vuarato Maiordomus, 206, Ansfledis eius vxor, ib.

Vuando Abbas Fontinel. in exilium pulsus, 199, reuocatur à Pipino Rege, 217, eius gesta, 218

Vuandregesilus v. Vandregesilus.

Vuido Abbas Cœnobiorum S. Vedasti & Fontanellensis, 215

Vuidonis siue Vuidolaici Abbatis Fontanel. gesta, 226

Vuitboldus Carol. Mag. Capellanus, 228

S. Vulfrannus ex Monacho Fontanel. Archiepisc. Senonensis, 249, 250 Frisiam petit Euangelij prædicādi gratiâ, ib. obit Fontanellæ atq; inibi sepultus est 250, corporis eius translatio, ib. 263; Inuentum corpus integrum cum veste Sacerdotali, 260, in capsa argentea repositum, 263, Rotomagum defertur, 270

Vulfaldus Maiordomus, 211

Zundebaldus Dux Lotharingiæ, 306

CHRONICI FONTINELLENSIS
variæ lectiones.

PAgina. 189. *linea.* 22. audiens *lege*, adiens. *lin.* 24. ac vitæ arctioris explorandi ſemitam. *lin.* 30. Eo deinde loco deſerto.

Pag. 190. *lin* 4. poſſet habere gazas. *lin.* 5. Coangelico Epiſcopo *lin.* 10. conſtruxit. *lin.* 13. bonæ recordationis ſæpefati Dagoberti. *lin.* 15. cum filio eius Hlodoueo & Baltilde. *lin.* 22. in quo ſaltu etiam ædificatum. *lin.* 32. & 33. emanationis per ſpatia paſſuum plus minúſve &c.

Pag. 191. *lin.* 1. Quæ admirabilis. *lin.* 8. paſſus octingentos quinque. *lin.* 12. & 13. impetu tempus malinæ accedunt. *lin.* 22. cùm quis illuc aduenerit.

Pag. 192. *lin.* 5. Indictione III. æuo III. *lin.* 6. vndecimus. *lin.* 7. *dele.* III. *lin.* 8. gubernante anno X. *lin.* 14. admirabilis Pater. *lin.* 23. & 24. ædificatis Baſilicis.

Pag. 193. *lin.* 24. ante acceſſum illuc. *lin. vlt.* iuberet patrari donationem, &c.

Pag. 194. *lin.* 3. & 4. iuſſu Regis & Reginæ, vt ex ſua indulgentia iugiter teneret. Edita eſt hæc confirmatio pridie Non. Februarij. Nam & ipſa auctoritas in hoc Cœnobio ſeruatur. Defuncto autem Rothmaro remanſit filius eius Airamnus in pueritiæ annis. Quo tempore Erchinoaldus Maior domus Regiæ à prædicto Airamno commutauit ſupradicta locella data eidem in territorio Veliocaſſino alia pro ipſis; vnde Pater eius Rotmarus carnis originem duxit. Beatus quoque Vvandregeſilus à prædicto Patricio ſub titulo pretij eadem locella adeptus eſt. Edita fuit anno XII. ſæpefati Regis Compendio Palatio Regio die Kal. Mart. congregatis Francorum populis in Campo Martio, vbi omnibus annis conueniebant, veluti omnibus notum eſt.

Pag. 197. 20. *lin.* quæ vocatur Pauſas.

Pag. 198. *lin.* 13. Anſbertus annis XI. *lin.* 14. Vvlfranus an-

Digitized by Google

nis XI. *lin.* 19. *& Flauiacenſis.*

Pag. 202. *lin.* 5. *dele.* vt. *lin.* 7. Benignum in Eccleſia orationi ſecretiùs inſiſtere. Tunc vnus ex miniſtris concito gradu eundem Patrem adijt, fundentémque Domino preces ſolo proſtratum reperit: cúmque diutiùs, &c.
lin. 25. ſuggerente Theobaldo maiore, &c. *lin.* 29. per illum lacum, &c.

Pag. 203. *lin.* 7. petrafícta & ipſum bracum ad ipſum manſionilem. *lin.* 9. ſecus illam viam publicam quæ dicitur ad duos pontes & ad Bracum qui dicitur briciloném. *lin.* 29. huic Cœnobio Semnau & Mauronis ciſternam, poſſeſſiones ſitas in pago Caletinſe.

Pag. 204. *lin.* 19. Tulbiaco Caſtro. *lin. vlt.* Giſlehardus monticellos.

Pag. 205. *lin.* 4. *&* 5. Paterfamilias Ictor nomine. *lin.* 13. *&* 14. Summacrana largitus eſt. *lin.* 15. Roccolini lucum ſiue Bertilinum curtem & Nanciacum. *lin.* 16. Saciacum ſiue Dingum. *lin.* 20. *&* 21. Colnicio. Obiit autem iſdem venerabilis Pater Benignus XIII. Kal. Aprilis.

Pag. 206. *lin.* 2. *&* 3. Incarnationis ſeptingenteſimum trigeſimum. *lin.* 33. propagatione & reſtauratione ac exaltatione, &c.

Pag. 207. *lin.* 1. vigeſimus tertius à M. &c. *lin.* 11. Indictione vndecima. *lin.* 14. Feria IV. Factus verò Præſul contulit poſſeſſionem ſuam, quæ vocatur Mollinus-Cottus, huic Cœnobio ſitam in pago Belloacenſi ſuper fluuium Maſſo, continentem manſos LXXXIV. Inter reliqua, &c.
lin. 15. etiam Vintlanam villam, &c. *lin.* 30. Menſatas hoc in Cœnobio conſtituit, deputatis videlicet villis quæ per vnumquémque menſem ſufficientem præberent alimoniam, &c.

Pag. 208. *lin.* 23. quæ eſt in Vvarinna.

Pag. 209. *lin.* 23. Pictauem vrbem profecti ſunt, baſilicámque &c. *lin.* 34. Apoſtolorum Principis huius Cœnobij, &c.

Pag. 210. lin. 1. *Geſta* TEVTSINDI *mali Rectoris. lin. penult.* Adeptus nanque iſte locum regiminis &c.

Pag. 211. *lin.* 12. Vvarinnam fiſcos duos qui ſunt in pago Tellau iuxta fluuios Tellas & Vvarinna, *lin.* 18. Regina ſua Bli-

tilde. *lin.* 20. Inuonis & Ermonis, *lin.* 33. Vallis Cucunioli in pago, &c.

Pag. 212. *lin.* 14. Cœnobijs sunt collata, de iure Ecclesiarum ac Cœnobiorum ablata. *lin.* 26. balthei & calcares fabricantur.

Pag. 213. *lin.* 8. non tollunt. talem vitam finientes excipiuntur ab his qui Græco eloquio vocantur δυὸ ἀνοχθόντοι. *lin.* 36. Erinharius Præpositus.

Pag. 215. *lin.* 8. & 9. quod est in Attrebatensi territorio. *lin.* 15. ad aues feriendas erat. *lin. vlt.* pago Constantino.

Pag. 219. *lin.* 35. tertiam partem de Eora.

Pag. 220. *lin.* 13. Episcopi & Rhetoris. Sermo de Adam, &c.

Pag. 221. *lin. vlt. delenda hæc verba* Vvidolaici verò annus primus.

Pag. 223. *lin.* 3. cernentes Vicani, &c.

Ita MS. codex perantiquus Abbatiæ Fontinellensis; quem cùm seriùs optato acceperimus, nempe iam è prelo 12. capita emerserant, hîc in calce voluminis Varias Lectiones, & Addenda, subjicere summus coacti. Quæ verò in priorum capitum marginibus variantia videbis, partim à V. C. Andrea Duchesnio, partimque à nobis affixa sunt.

FINIS.

Digitized by Google

Errata.

PAg.5.lin.30.*lege* pædoris.pag.6.lin,12. *lege* expeditũ.lin. 17. inſuaues ſimus. pag.11.lin.3.in marg. *poſt* hîc,*adde*,aliquid pag.13.l.6.*lege*, Aïoni.pag.35.l.31.*poſt* deſiderijs *dele virgulã*,*& pone eam poſt* eius.pag.39.lin.7. meritò,l.merito.pag.58.lin.25.altera,l.à terra.pag.96.lin.17 l correptionem.pag.103.lin.10.l.Moyſem.pag.17. lin. 36. l. fulti. pag. 83. lin. 18. l. mentem.pag.126 lin.20.in marg.l.1101.pag.141.lin.33.l.donum. pag.142. in marg.lin.31.l.Iuo.pag.189.lin.36.l.ignarum.pag.197.lin.20.l.Pauſas. pag.205.lin.12.l.iſthinc.pag.206. lin. 30. l. Baiocaſſinæ. poſt pag. 215. l. 216. pag.225.l.33j& 34.l.promit.280 lin.16.l.copioſam.pag.409.lin.vlt. l.decidere.pag.448 in marg.l.*Pontieres*.pag.448.lin.15.l. villas.pag.457 lin.18.l.Illuſtrium.pag 502.*in marg.poſt* afficiant,*dele*,&.pag.510.l.12.in marg.cauſa cecidit.pag.535.in marg.*ante* concliare,*adde* Abbas.pag 574. lin.34.l.animos.

In Præfatione. pag.5. lin.3.l.Reliquiarum.pag.11.lin.6.l.Abendon.

Cetera, Lector, manu benigna emendabis.

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google